# ACTA

# SANCTAE SEDIS

## IN COMPENDIUM OPPORTUNE REDACTA

ET ILLUSTRATA

**SEU**

**Acta iuridica et sollemniora ex Supremo Romano Pontifice immediate dimanantia: acta inter ea quae publici neri possunt iuris, sive sint Decreta, sive Instructiones, sive Responsa, et alia huiusmodi: praesertim vero Causarum expositiones et resolutiones ex variis EE. Cardinalium Sacris Congregationibus, ad ecclesiastici iuris accuratam intelligentiam et observantiam conferentes, in compendium diligenti studio redactae: alia denique iuridica, quibus opportune illustrantur quae in expositis actis vel difficultatem parere possint, vel ad vigentis iuris notitiam ulterius conducant: in utilitatem eorum qui in Ecclesiae legibus studiose dignoscendis, et in regimine christiani gregis, vel in colenda Domini vinea sedulo adlaborant.**

EDITIO STEREOTYP A

Volumen VIII.

ROMAE

EX TYPOGRAPHIA POLYGLOTTA

**S. C. DE PROPAGANDA FIDE**

**MCMVIII.**



**JOHNSON REPRINT CORPORATION**
**Ili Fifth Avenue, New York, N. Y. 10003**

**JOHNSON REPRINT COMPANY LTD.**
**Berkeley Square House, London, W. 1**

First reprinting, 1968, Johnson Reprint Corporation
Printed in the United States of America

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII TRIDENTINI

## IURISPATRONATUS

*Die 28 Martii Ì874.*

**Compendium facti.** Per mortem Sacerdotis R. vacavit mense Martio 1872 in oppido Dioeceseos F. praebenda Archipresbyteralis Ecclesiae S. Mariae in coelum Assumptae, cui animarum cura adnexa erat. Hinc Excrrius Princeps Ioannes Andreas C. illius praebendae patronus, Episcopo praesentavit Sacerdotem Franciscum B. ut praevio examine institutionem assequeretur.

Cum vero iste Sacerdos utpote non idoneus repulsam ab Episcopo sustinuisset, et Episcopi decisio ab H. S. O. ad quem appellaverat, confirmata fuisset, ad secundam nominationem deventum est, quam obtinuit Sacerdos Ioseph F, canonicus Collegiatae Ecclesiae S. Mariae Maioris in oppido P. eiusdem Dioeceseos.

Huius rei notitiam utut acceperunt Rectores municipii, Capitulum Ecclesiae Sanctae Mariae Assumptae in coelum, et plures cives supplicem H. S. O. dederunt libellum exponentes, sacerdotem F. alienigenam esse, ad familiam, contra quam plura feruntur, pertinere, nulla meritorum aestimatione frui, ideoque si Archipresbyteratum adipiscentur, illa omnia mala resurgerent, quae ultimus possessor, pariter alienigena, per decem et octo annos intulerat. Quamobrem effusis precibus rogarunt, ut extraneo reiecto, sacerdos eiusdem oppidi S. nominaretur, qui Cleri populique fiducia ob sua merita potiri posset. Super his precibus rogatus Episcopus factum, uti supra narratam fuit, exposuit, ac subdidit, quod quamvis pluries expetivisset ab Excmo Patrono, ut antequam ad praesentationem

saltem Parochorum deveniret, eum consuleret, tamen ntmi-t quam id potuit obtinere. Interea temporis Municipium et Capitulum formiter probandum assumpsit Principem C. neminem posse praesentare, qui ex oppido S. non esset; imo municipalis Syndicus eo progressus est, ut ius ipsum nominandi Principi denegaret, asserens Archipresbyteralem praebendam vel liberae collationis evasisse, vel si adhuc iuspatronatus subiecta dici vellet, hoc ius non Principi, sed Municipio competere. Quare protestatione m contra patronum emisit ; cui protestationi Princeps contrariam opposuit, enixe deprecans ut antiquissima iura sua s^rta tectaque servarentur.

Hisce habitis decretum prodiit ex Secretaria S. Congregationis, ut causa poneretur in folio et notificantur Episcopo, qui partes admoneret, eisque praefigeret congruum termi nutu ad sua iura deducenda. Morem gessit Episcopus, et ex parte Municipii duo dedit documenta ad rem facientia ; de quibus sermo erit inferius. Hinc causa proposita est sub dubiis in calce exscriptis.

**Disceptatio sinóptica.**

IURA MUNICIPII. - Tradit S. Concilium Tridentinum *Sess.* 25 *cap. 9 de Reform,* titulum iurispatronatus probari posse « *ex fundatione vel dotatione, qui ex authentico documento et aliis fure requisitis ostendatur , sive etiam ex multiplicatis praesentationem per antiquissimum temporis cursum, qui hominum memoriam excedat, aliasve secundum iuris dispositionem. In iis vero personis, seu communitatibus vel universitatibus, in quibus id ius plerumque ex usurpatione potius quaesitum praesumi solet, plenior ei exactior probatio ad docendum verum titulum requiratur, nec immemorabilis temporis probatio aliter eis suffragetur , quam si praeter reliqua ad eam necessaria praesentationes etiam continuatam, non minori saltem quam quinquaginta, annorum spatio, quae omnes effectum sortitae sint, authenticis scripturis probentur.* »

Quaenam vero sint illae personae potentiores , quae iuspatronatus sibi usurpavisse praesumuntur, optime declarat Card.

De Luca *P. 1 de iurep. disc. LVIII num. 24. 25.* « *Personae duiem potentes dicuntur illi, qui habent iurisdictionem temporalem in loco in quo situm est beneficium, quamvis illa non sit plena et absoluta* sed subordinata ut est illa Feudatariorum et Baronum.... Atque in hoc spectatur initium, an scilicet de tempore acquisitionis iurispatronatus et praesentandi haberet iurisdictionem in loco, quamvis deinde illam habere desierit.* »

Cum igitur Princeps inter illas potentiores personas a Conc. Trid. notatas connumerandus videatur necesse est, ad iurispatronatus titulum sibi vindicandum , ut exhibeat documenta fundationis vel dotationis, quibus deficientibus, prouti evenit in casu nostro, duo necessario iuxta Tridentinum praestare tenetur; primo nempe immemorabilem probare debet cum suis conditionibus traditis a vulgari Glossa *in cap. 1 de praescripta in 6,* quasque colligit *Tondut. quaest, benef. lib. 1 cap. 104. num. 12* « *ibi* » Pro immemorabilis probatione opor-
> tebat ut testes deponerent de visu per quadraginta annos
» ante motam litem, et quod ita audierant a suis maioribus
> qui ab aliis suis maioribus dici audierant, et quod ipsi nec
> maiores sui quidquam viderunt vel audiverunt in ' contra-
» rium, nec non deponere debebant de publica voce et fama
» haec verba fuit et est » Secundo necesse est ut ex parte Principis constet per authentica documenta de praesentationibus multiplicatis, et continuatis, effectumque sortitis p e spatium ad minus 50 annorum, prouti factum fuisse a Principe Burghesio in simili fere causa patet ex Rota *in decis, diei 17 Martii 1665 coram Bevilacqua,* quam refert et late expendit Cardinalis *De Luca Lib. XIII de iurep. disc. III.* E contra Municipium omne tulerit punctum, si ista duo minime in themate verificari evincat.

His praemissis, contendebat Municipium post Concilium Tridentinum in materia iurispatronatus agi non posse amplius de iudicio possessorio, etsi de institutione canonica pertractetur, sed semper in petitorio quaestionem esse agitandam, ceu probe animadvertit Fagnanus *in Cap. Consultationibus d? iurepat.* Hinc frustra Princeps ad huiusmodi adminiculum confugerat, tu

ultimus status ei patrocinetut'. Iamvero indubium est Principi C. deesse omnem titulum fundationis vel dotationis ad iuspatronatus evincendum : siquidem beneficia oppidi S. non excepta Archipresbyterali praebenda, a piis testatoribus fundata fuerunt, et solummodo volvente anno 1609 ad augendam praebendarum dotem parvum fundum Princeps constituit, quin tamen sibi ullo pacto iuspatronatus reservaret. Cum igitur ius nominandi, quod Princeps exercuit, ex nullo canonico titulo originem ducat, nonnisi ex feudali et Baronali privilegio illud repeti potest, quae iura cum abolita iam defecerint, manifestum est iuspatronatus vel ad Municipium modo pertinere, a quo nempe bona illa baronalia, quibus privilegium patronatus inhaerebat, olim constituta sunt, vel iurepatronatus penitus extincto, Episcopum liberum collatorem evasisse.

Hoc posito addebant Municipes frustra Principem confugere ad immemorabilem, et ad praesentationes confirmatas exitumque sortitas, ut praesumptionem adsumat melioris tituli de mundo. Nam cum ex dictis probe noscatur, omnem titulum legitimum fundationis, vel dotationis abfuisse, nihil aliud Principis favore remanet praeter privilegium, ex quo dicatur iuspatronatus oriri. Porro scitum est privilegium a Tridentino *Sess. 25 cap. 9 de Reform,* revocatum fuisse, et post Tridentinum huiusmodi privilegium haud prodesse, nisi a Pontifice concessum fuerit cum clausula derogatoria ipsius Concilii Reiffenst. *lib. 3 decr. Tit. 38. de Iurep. n. 12.* Quo constituto neque immemorabilis, neque continuatae praesentationes aliquid iuva-it ; semper enim constaret de radice infecta, seu de initio vitioso, imo nulla antiquitas etiam mille annorum suffragatur ut ait De Luca *de iurepatr. disc. 57, Genuen. in Praxi Archiep. cap. 63. n. 5, Gconzal. gloss. 18. n. 48 et seqq.,* et alii passim. Nulla igitur suppetit ratio quare princeps sibi iuspatronatus adhuc vindicare possit ; non privilegium quia abrogatum fuit a Tridentino : non immemorabiles et continuatae praesentationes, quia ab initio vitioso originem trahunt.

IURA PRINCIPIS C. Verum istis deductionibus mordicus obslstebat Excmus Princeps, animadvertens praeprimis, agi in

themate de iudicio institutionis, hoc est de iudicio mere possessorio, in quo ex doctorum, ac tribunalium sententia derivata *ex Cap. 19 Consultationibus de iurepat,* ultimus status dumtaxat est attendendas. Porro ultimus status ipsi favebat, hinc de praesentatione ab eo peracta, et per consequens de institutione concedenda in hac iudicii sede non posse dubitari existimabat, modo praesentati qualitates non obstarent.

Verumtamen etiamsi petitorium iudicium persequi placeret, haud minori luce eius iura clarescere prosequebatur. Sane advertebat ipse, Municipii sermonem nullo prorsus documento firmari, ideoque tamquam mere gratuitum respuendum esse: imo re intimius inspecta, quolibet iuridico titulo Municipes destitui, quominus et litem intentent, iudiciumque instituant. Verum iis etiam omissis, omnia adversariorum argumenta nihili facienda esse protuebatur Princeps, cum pro se militet immemorabilis possessio, tum ante, tum post Concilium Tridentinum, ex qua nempe ius oritur allegandi titulum meliorem de mundo. Revera iam ab anno 1528 , cum nondum indictum fuisset Tridentinum, nominationes peragi coeperunt, quae semper continuatae , exitumque sortitae usque ad ultimum possessorem perseverarunt, per spatium scilicet quod tria saecula exuperat. Imo cum anno 1612 causa mota fuisset super huiusmodi patronatu inter Principem Philippum **L,** et Episcopum F. ex sententia Vicarii Generalis ipsius Episcopi, Princeps victor ab arena discessit.

Porro ex antiquissima hac possessione deduci potest iuspatronatus in casu minime ortum habere ex privilegio feudali, uti putat Municipium. Equidem privilegia feudalia a Concilio Tridentino sublata sunt *Sess. 25 cap. 9 de Re f or.* dum e contra iuspatronatus praebendae Archiepiscopalis in themate tum ante, tum post Concilium Tridentinum palam, pacifice, et sine ulla intercapedine et contradictione ad nostra usque tempora exercitum fuit. Quare duo illa necessario requisita ad iuspatronatus evincendum procul dubio in hac controversia verificari videntur ; immemorabilem nempe, nec ipsi adversarii inficiantur ; praesentationes vero *continuatae, non minori saltem quam quinquaginta annorum spatio.*

*quae omnes effectum sortitae sint.,* ex dictis plenissime eruuntur.

Ad secundam vero quaestionem quod spectat ex duplici capite institutio Sacerdotis F. impetebatur, vel quia nempe patronus non poterat illum nominare utpote alienigenam, vel quia nominatus reiici debebat tamquam non idoneus. Quod eo recidit ut videatur utrum adsit defectus potestatis in patrono, et defectus requisitarum qualitatum in nominato. Ad primum quod attinet, thesim suam probare conabantur Municipes duobus allatis documentis, quorum primum refert Marcum Antonium C. anno 1609 consensum suum praestitisse ut simplex Beneficium S. Joannis Baptistae Ecclesiae parochiali uniretur, atque eius bona dividerentur inter presbyteros ipsius parochialis Ecclesiae sibi reservato patronatus iure. Iamvero Municipium illis verbis « ut bona dividerentur inter presbyteros eiusdem Ecclesiae Parochialis » evincere portendebat extraneos excludi debere. Hoc autem argumentum nihili faciendum esse ictu oculi apparere propugnabat patronus.

In altero documento Municipii et Capituli nomine exarato plures citabantur testes inter quos Innocentius Maria P. Sacerdos Decanus annorum 74, et Michael B. annorum 83, qui unanimiter deposuere se a maioribus, eosque ab aliis suis maioribus audivisse ex quadam conventione anno 1609 peracta inter Principem et Municipium, non posse primum ad Archipresbyteratum praesentare nisi Sacerdotem ex oppido S. Idque maxime confirmari aiebant ex Curiae Episcopalis testimonio, ex quo erui datum erat per spatium plusquam centum annorum parochos huius Ecclesiae semper indígenas fuisse.

Verum qui praeest tabulario Principis fidem faciebat nullum documentum extare in eius Archivio, ex quo appareret Patronum onere devinctum esse praesentandi Municipem ad Archipresbyteratum sub poena nullitatis praesentationis, cum potius contrarium innotesceret si ultimus beneficii status attender etur, siquidem ultimus possessor alienigena fuit.

Neque duo documenta a municipibus producta aliquid ponderis habere videbantur, dum enim ex una parte primum controversiae caput pro Principe confirmant, quia exercitium iu-

rispaíronaíus eidem attribuunt, et titulum dotationis cum reservatione explicita iurispatronatus evincunt, ex altera ad secundam controversiae partem favore Municipii definiendam parum roboris addunt.

Reliquum itaque est ut qualitates Sacerdotis F. breviter exploren tur, ex quibus queat dignosci, an eidem danda vel neganda sit institutio quatenus Princeps ad Sacerdotes oppidi S. praesentandas minime arctari iudicetur. Iamvero Municipium asserebat Sacerdotem istum pessimum animarum pastorem futurum, tum quia utpote alienigena prava vestigia sequetur praedecessoris, tum quia ad familiam pertinet adeo religionis expertem, ut nuper eius avunculus, ingruente sibi morte, omnis pietatis signa respuerif, magnumque scandalum excitaverit.

Verum ex alia parte Sacerdos iste bonum retulit testimonium a Rectore Seminarii, in quo studiorum curriculum explevit, et Episcopus animum suum eidem non adversum aperuit.

Hisce omnibus expositis proposita sunt resolvenda

**Dubia.**

I. An cui et quomodo competat iuspatronatus in casu.

II. An praesentatio Sacerdotis Iosephi F. sustineatur ita ut ei danda sit institutio in casu.

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 28 Martii 1874 respondere censuit :

Ad primum, Affirmative favore Principis C. et amplius.

Ad secundum. Affirmative et institutionem dandam esse Sacerdoti F. dummodo ab Episcopo capax et idoneus reperiatur.

EXINDE COLLIGES:

I. Concilium Tridentinum in sess 25. cap. 9, de reform, expresse revocasse omnia iuspatronatus per occupationem, vel consuetudinem usurpata.

II. Ad evincendum iuspatronatus, ubi de usurpatione nrgeat praesumptio, pleniorem et exactiorem probationem requiri iuxta praescriptum eiusdem Concilii.

III. Propterea iuspatronatus in personis potentibus, seu alias de usurpatione suspectis, non docto de titulo fundationis, vel dotationis probari debere per immemorabile tempus una cum praesentationibus continuatis, et effectum sortitis non minori spatio saltem quinquaginta annorum.

IV. Decretum conciliare absque dicta rigorosa forma inficiens ius potentium, illud inficere etiam in possessorio.

V. Potentium nomine eos omnes venire, qui iurisdictionem temporalem habent in loco, in quo situm est beneficium.

VI. Malam quorumdam de familia famam non officere, quominus praesentato ad beneficium etiam parochiale dei ur institutio, dummodo ab Episcopo capax, et idoneus reperiatur.

## FRUCTUUM CANONICALIUM

*Die 9 Maii 1874.*

**Compendium facti.** In Collegiata Ecclesia civitatis P. antiqua inoleverat consuetudo, qua Canonici et Beneficiati superstites praebendarum vacantium reditus perciperent atque inter se aequis partibus, deductis oneribus, distribuerent. Consuetudinem hanc confirmavit Pontifex Maximus Gregorius XVI tum cum Apostolicis Literis diei 11 Ianuarii 1844 Ecclesiam illam Cathedrae honore auxit : legitur enim in illis <c Pecu-
» liaribus inspectis circumstantiis, et aliqua habita veteris,
> quae super hac re inibi invaluit consuetudinis ratione, spe-
» cialem impertimur facultatem , ut post hoc tempore vaca-
» tionis uniuscuiusque ex praefatis sive Canonicalibus sive
» beneficialibus praebendis, reditus omnes inde mature obve-
» nientes, quibuscumque porro deductis oneribus, dividantur
» in totidem aequis partibus, ac seorsim respective distribuan-
> tur singulos inter superstites, sive Canonicos, sive Bene-
» ficiatos Concathedralis P. »

Hac itaque consuetudine freti canonici illius Ecclesiae, die 8 Februarii 1873, supplicem libellum H. S. O. dederunt sequentia exponentes.

Sacerdos Felix P. cum canonicatu sub titulo S. Gregorii VII in eadem Ecclesia frueretur, mense Iulio 1862 obtenta a Patrono nominatione ad Archipresbyteralem praebendam, quae secunda dignitas inibi est, et curam animarum adnexam habet, ea potitus fuit. Ex hoc factum est, ut canonica institutione et possessione minime instructus, et canonicatu S. Gregorii minime dimisso, omnes Archipresbyteratus reditus, detractis tantummodo libellis 360, quae Oeconomo illius praebendae rependuntur, sibi vindicaverit, quin adnexa onera expleverit. Canonici consuetudine innixi petunt, ut fructus a Sacerdote iniuste percepti in communem massam conferantur.

Exponebant insuper, quod sacerdos Franciscus O. mense Februarii 1861 relata patroni nominatione fructus canonicatus S. Petri sibi adsciscere coeperat, quin tamen canonicam institutionem et possessionem a legitima auctoritate obtinuisset. Verum ineunte anno 1865 facultas ei facta est a legitimo superiore Emo D. N. Pro-Datario percipiendi illius Praebendae reditus in quod, propriis abdicatis iuribus, Canonici consenserunt, maximam illius egestatem miserati. Ex eo tempore Sacerdos praedictus onera canonicatui inhaerentia ferre coepit, et idcirco iure meritoque fructibus beneficii potitur. Repetunt hinc canonici fructus illos, quos ipse percepit cum nondum superiorum venia et capituli consensus accessisset, atque oneribus praebendae, non ipse, sed capitulum obnoxium fuerat.

Denique exponebant canonici, quod anno 1864 Sacerdos Hieronymus B. Primicerius illius Ecclesiae Apostolicis Litteris ad Praeposituram, quae prima dignitas est, nominatus fuerat illiusque investituram ab Archiepiscopo assequutus, quin tamen notitiam de hac obtenta dignitate capitulo ex officio communicasset. Imo actum realis, et corporalis possessionis distulit usque ad annum 1873. Iamvero pro isto tempore quod a die canonicae nominationis et institutionis, usque ad diem captae possessionis decurrit, canonici, qui onera praebendae adnexa pertulerunt, reditus etiam ad normam dictae consuetudinis exquirunt.

Canonicorum preces Episcopo ablegatae sunt, ut audito capitulo formiter congregato, necnon interesse habentibus, de merito propositae quaestionis referret, et documenta ad rem facientia transmitteret. Morem gessit Episcopus, et iis quae supra diximus confirmatis, partiumque deductionibus transmissis, animi sui sensa aperuit, de quibus inferius. Tum iussum fuit, ut causa poneretur in folio sub dubiorum formula, quae in calce huius libelli prostat.

### Disceptatio synoptica.

CIRCA PRIMAM QUAESTIONEM. Canonici inquiunt, omni prorsus iure Felicem P. destitui, quo reditus Archipresbyteralis praebendae suos facere queat. Ipse enim nulla canonica in-

vestitura praeditus et nulla legitimorum superiorum facultate munitus erat, hinc nonnisi contra iustitiae et sacrorum canonum normas illius praebendae fructibus potiri valuit. Huc accedit, quod uno eodemque tempore duplici incompatibili beneficio gavisus fuit, archipresbyteratu nempe, qui secunda dignitas est, et canonicatu sub titulo S. Gregorii VII, ideoque canonum iura hac in re omnino violavit. Neque ad bonam fidem pro iure suo tuendo confugere posse videtur. Primo enim in re tam clara atque omnibus manifesta, ignorantia vel bona fides praesumi non potest ; deinde cum stimulis conscientiae lacessitus anno 1864 per proprium Confessarium S. Poenitentiariam adiisset et indultum de percipiendis Archipresbyteratus fructibus expostulasset, S. Poenitentiaria sub die 26 Sept. 1864 consideratis expositis, auditoque loci Ordinario illud *concedi non expedire* respondit. Quovis igitur, nedum canonico, sed et honesto titulo caret Sacerdos P. ut fructus illius praebendae sibi unice vindicet. Restat itaque ut in capituli massam eos refundat iuxta consuetudinem superius expositam.

Verum ex adverso canonicus P. minime inficiat ur se rigore iustitiae eos fructus in communem acervum conferre debere, attamen non ita se rem habere contendit si aequitas inspiciatur. Sane factorum historiam ab origine retexens ait se ad Archipresbyteralem praebendam obtinendam, quae 1860 vacavit, solemne specimen fecisse et digniorem renuntiatum esse. Habita sed vero patroni nominatione, Episcopus antequam ad institutionem procederet, S. Sedis iudicium exquirere satius duxit, quo pendente, e vivis ereptus est. Tum patronus, ne a se facta nominatio in irritum cederet, Archipresbyteratus reditus Sacerdoti P. tribuit deductis libellis 360 Hieronymo B. rependendis, qui Administrationem illius praebendae curatae a defuncto Episcopo acceperat. Duobus annis ab iis percipiendis abstinuit, veniam S. Sedis ad quam confugerat, expectans; cum tamen responsum diu desiderantur, fortasse ob tabellariorum culpam, ut ipse ait, ad S. Poenitentiariam ope sui confessarii rem detulit. Iamvero Vicarius Capitularis, cui remissa res fuerat, fructus eum percipere posse ex Rescripto S. Poenitentiariae edixit, salvis tamen capituli iuribus, et so-

lummodo post motam hanc controversiam se rescivisse, ait, a S. Poenitentiaria suas preces omnino reiecfas esse. Hinc probare nititur bonam fidem sibi numquam defuisse. Subdit etiam sui canonicatus reditus pertenues esse, et illam pecuniae vim, quam titulo Archipresbyteralis praebendae a patrono recipit, vix aequare portionem illam, quae sibi obveniret, si dictus patronus vacantium beneficiorum fructus capitulo concederet. Rursus se non exiguam illorum proventuum partem impendisse dicit in Ecclesiae Cathedralis emolumentum, quae ob temporum vices, et vectigalium pondus in extremam decidit paupertatem. Deinde notat se nullum in iis fructibus percipiendis damnum capitulo intulisse : siquidem si eos respuisset, non id capituli, sed patroni bono tantummodo factum esset: immerito igitur de eo coarguitur, quod nisi evenisset, nihil modo canonici haberent quod a se repetere possent.

Denique sermonem absolvit inquiens se in posterum , si ita S. Congregationi videbitur, nunquam reditus Archipresbyteralis praebendae recepturum fore, licet hoc in ipsius patroni bonum tantummodo redundet; quos autem huc usque percepit, si nihil iam adducta argumenta suadeant, in communem acervum conferre non recusat. Exoptat tamen ut Oeconomo Archipresbyterali tandem remoto, calumniisque sibi impactis contemptis, Archipresbyter ipse renuntietur.

Episcopus autem animi sui sententiam aperiens ait, consuetudinem penes Ecclesiam Cathedralem invectam et Pontificiis Literis confirmatam canonicis favere: utrum vero canonicus bona fide caruerit necne, se ignorare dicit, cum de factis agatur, quae suam electionem antecedunt, quaeque scrutatu difficillima sunt: subdit tamen sibi ante oculos obversari S. Poenitentiariae Rescriptum, quo petitum indultum omnino denegabatur. Demum quoad Archipresbyteralem praebendam, cui imminet animarum cura, se nihil magis optare dicit, quam ut remedium efficax tandem afferatur, et probato alicui Sacerdoti, qui eam in titulum habeat, concedatur.

CIRCA ALTERAM QUAESTIONEM, quae Sacerdotem O. respicit, animadvertebant Canonici iam dicta consuetudine innixi eadem fere, quae supra contra Sacerdotem P. protulerunt. Licet enim

anno 1865 S. Dataria, canonicis consentientibus, induisent ut reditibus canonicatus S. Petri Apostoli a Gubernio receptis frui posset, ista tamen facultas non praeteritum tempus seil futurum respiciebat. Hoc autem eruitur tum ex conceptu cuiuslibet Rescripti vel conventionis, tum ex eo quod Sacerdos O. ante praedictum annum nempe 1865 quovis legitimo titulo ad reditus percipiendos destituebatur, si patroni nominationem excipias, quae penes Ecclesiam, si caetera non concurrant, nullius prorsus momenti est. Imo neque oneribus, quibus afficiebatur praebenda, eo tempore satisfecit, quae tamen a capitulo expleta sunt.

His autem canonicorum deductionibus Sacerdos O. reponit se quidem anno 1861 nominationem obtinuisse, fructus tamen canonicatus Sancti Petri nonnisi anno 1864 exeunte percepisse. Quare per id temporis onera praebendae imminentia non tulit, cum neque emolumentis potiretur. Habita autem anno 1865 venia S. Sedis et canonicorum consensu ad reditus percipiendos, onera adamussim implere coepit, ut capitulum ipsum fatetur. Deinde factum est, ut civile Gubernium etiam pro annis 1861, 1862, 1863 et 1864 fructus canonicales ei tribueret, quosque inopia confectus non reiecit. Subdit autem se capitulo minime denegare pro adimpletis oneribus ab anno 1861 usque ad annum 1864 congruum emolumentum ; verum ait se tanta rei familiaris angustia premi, ut aegram vitam vix trahere possit. A canonicatu enim vix libellae 208 sibi redeunt, quae pro vitae sustentatione penitus absumuntur. Episcopus re hinc inde perpensa, putat canonicorum preces excipiendas esse.

RELATE AD TERTIAM QUAESTIONEM quae multum ab aliis discrepat, quaeque ad Hieronymum B. olim Vicarium Capitularem refertur, notabatur, quod ipse a S. Sede nominationem habuit, investituram autem ab Archiepiscopo. Attamen canonici ad sua iura vindicanda praefatam invocant consuetudinem, qua innixi fructus Praeposituraé exigunt a die canonicae collationis usque ad diem captae possessionis. Tralatitium enim in iure esse dicunt, quod fructus cuiuslibet praebendae decurrere non incipiant nisi a die captae possessionis[1], qua nimirum cum caruerit praefatus B. ab anno 1864 usque ad an-

num 1873 necesse est ut fructus huius temporis IT? mensam capitularem refundat. Neque dici potest Pontificem ei Praeposituram contulisse, ut gravibus expensis, quibus in obeundo Vicarii munere premebatur, occurrere posset. De hac enim Pontificis voluntate minime constat ; ideoque praesumi nequit derogatum fuisse antiquae consuetudini favore capituli inductae, quae verosimiliter a Pontifice ignorabatur. Insuper, subdunt canonici, praeter Curiae emolumenta, quae incerta vocantur, praeter reditus, qui ex proprio canonicatu, et ab Oeconomia Archipresbyterali Sacerdoti B. obveniebant, mille libellae a civili Gubernio quotannis ei suppeditatae sunt, quibus necessarios Curiae sumptus perferret. Notant etiam quod onera Praeposituræ inhaerentia hoc temporis intervallo non ipse, sed capitulum sustinuit. Nulla igitur causa excogitari potest, qua Hieronymus B. fructus Praeposituræ ab anno 1864 usque ad annum 1873 communi mensae subducere valeat.

Contra sed vero Sacerdos B. se non ignorare fatetur neque consuetudinem illius Ecclesiae, neque Apostolicas Literas Gregorii XVI, quae illam confirmant. Verum consuetudinem istam in praesenti themate vim suam minime exerere contendit. Primum enim animadvertit, tunc illam locum habere cum agatur de percipiendis reditibus beneficiorum vacantium. Dicitur enim in Bulla Gregorii XVI. « Peculiaribus inspectis > circumstantiis et aliqua habita veteris, quae super hac re > inibi invaluit consuetudinis ratione, specialem impertimur » facultatem ut post hoc tempore *vacationis* etc. » Iam vero dici nequit vacua illa praebenda, quam quisque per canonicam nominationem, et investituram iam fecerit suam. Neque opponant canonici realem et corporalem possessionem Sacerdotem minime cepisse, ideoque praebendam illam ceu vacantem eo tempore considerandam esse. Siquidem ex eo quod possessio defuerit, minime sequitur Praeposituram ceu vacuam reputari. Deinde nemo est qui ignoret sibi culpae ducendum non esse, si realem et corporalem possessionem opportuno tempore assequutus non sit ; maiori enim vi, licet quam maxime invitus repulsus fuit. Iamvero minime rationi consentaneum foret, si infortunium et vulnus a Gubernio sibi

illatum, gravius Canonicorum conatibus redderetur. Hinc est quod principium illud iure canonico receptum, ut fructus nempe non decurrant, nisi a die captae possessionis, suas patiatur oportet exceptiones, inter quas ea praesertim recensetur si nempe per eum, contra quem agitur, non steterit quominus hanc possessionem iniverit. Quapropter a capienda possessione saepe iustis de causis S. Sedes dispensat, fructusque praebendae interea concedit.

Silentio autem praetereundum non est Summum Pontificem Vicarium capitularem Praepositum insignire voluisse, eum in finem, ut ingentes Curiae sumptus sustinere aliquo modo posset. Etenim cum superioribus Vicariis capitularibus libellae 125 a mensa Episcopali excerptae in singulos menses tribuerentur, e contrario ipsi, qui per decem annos id oneris sustinuit, praefatum emolumentum a Gubernio denegatum fuit. Hinc praecones verbi Dei tum ordinarios, tum extraordinarios penes domum suam excepit et propriis sumptibus aluit ; hinc labores suos gratis impendit ; imo tales subiit expensas, quae vim libellarum 10,000 cumulatim aequant. Iamvero Summus Pontifex hisce omnibus consideratis Praeposituram ei largitus est, cumque rescivisset praepotenti ratione possessionem capere haud posse, non parvo dolore affectus est. Indignum autem videretur, quod etiam canonici in id modo convenirent, ut Pontificis voluntatem irritam facerent.

Neque dicant canonici, se onera illius praebendae tulisse, ideoque et emolumentis frui debere : pro expletis namque oneribus aequam mercedem, ab eo cui de iure, postulaverunt, quae ipsis denegata non fuit. Neque iterum subdant non posse Vicarium capitularem uno eodemque tempore duplici praebenda incompatibili potiri, Primiceriatu nempe et Praepositum ; ipse enim Praepositurae fructibus contentus est, sponte remissurus fructus Primiceriatus.

Verum haec omnia omittenda esse subdit Sacerdos B. utpote ad causae utilitatem parum facientia. Sane canonici fructus Praepositurae exigunt ab anno 1864 usque ad annum 1873. At vero ipse ab anno 1872 fructus Praepositurae habere coepit, illos autem quos in antecessum, nempe ab anno

1864 usque ad annum 1872 percipere debuisset, non solum nondum habuit, et id canonici omnes fatentur, verum etiam neque in posterum illos habendi spes ulla illucescit. Quae igitur canonici proferunt quoad fructus Praepositurae, qui ab anno 1864 usque ad annum 1872 decurrunt, mere hypothetica sunt, et casum speculativum attingunt. Tota igitur controversia eo reducitur, ut exquiratur, an fructus Praepositurae ab anno 1872 usque ad annum 1873 capitulo cedant, an potius Hieronymo B. Quo facilius autem id intelligatur ad rei historiam redit ipse Sacerdos B. inquiens, quod anno 1872, tum quia morbo correptus, tum quia posthac ob Dioecesis negotia Romam petere debuit, tum quia spes suppetebat obtinendi reditus omnes Praepositurae per octo annos non perceptos, distulit corporalis possessionis actum ad sequentem annum nempe 1873, quando scilicet huiusmodi spes in irritum cesserat. Interea tamen tum Episcopo, tum capitulo de huiusmodi mora in capienda possessione notitiam dedit, simulque protestationem emisit, se reditus Primiceriatus, quibus fruebatur, in capituli mensam depositurum, si fructus Praepositurae recuperare posset. Contigit itaque, ut inita, possessione die 26 Martii 1873, ei reditus tributi sint Praepositurae incipiendo a die concessionis enunciati *placet*, quae nempe facta fuerat die 21 Aprilis anni 1872, neque pro isto anno reditus Primiceriatus ab eo sunt exquisita Tota igitur quaestio circa fructus istius anni versatur : canonici enim repetunt fructus praepositurae, qui pinguiores sunt, Vicarius autem fructus Primiceriatus reddere vellet, Praepositurae autem sibi retinere. Canonici eo argumento nituntur, quod nempe Vicarius nondum eo tempore, quod intercedit inter 1872 et 1873, possessionem praepositurae aggressus fuerat ; Vicarius autem tum argumentis superius expositis, quae generalia dici possunt, tum aliis deductionibus, quae propius rem istam attingunt, suum ius tueri conatur.

Revera, ipse subdit, si ad annum, iustis quidem de causis, possessionem Praepositurae inire destitit, hoc quidem magis in capituli, quam in suam utilitatem egit. Siquidem si statim anno 1872, quo die *Exequatur* datum fuit, Praepositurae

possessionem ingressus fuisset, vacans hoc ipso efficiebatur Primiceriatus eiusque reditus ad se Gubernium avocasset. Retardata igitur Praepositurae possessione, id assequi potuerunt Canonici, ut reditus Primiceriatus percipere valerent. Cum autem in praesentiarum hisce minime sint contenti, quamdam aviditatem ostendunt, simulque bonum receptum in ipsius auctoris damnum convertere conantur. Deinde cum causa morae in capienda possessione, canonicis notificata fuerit ; ipsi autem silentium perpetuum adhibuerint (quia nimirum de ipsorum utilitate tunc agebatur), ex implicita quadam eorumdem conventione et adprobatione, eam processisse dici debet. Hinc est quod per id temporis canonici Praepositurae onera expleverint, sed ex mandato Sacerdotis B., uti pariter ex eius mandato, congruum emolumentum receperunt. Rursus ab aequitatis et iustitiae legibus prorsus abhorret, quod canonici a Vicario repetant 50 vel 60 scutata, quot nimirum constat differentia inter reditus Primiceriatus et Praepositurae, cum iste, de ipsorum mandato, Vicarii capitularis munere functus, summam saltem libellarum 10,000 amiserit. Aequum igitur non apparet quod iste tantis gravetur impensis, capitulum vero immune abeat.

His omnibus accedit Episcopi sententia, quae Vicario favet omnino.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. - Certum in iure est, nullum beneficiatum fructus beneficii percipere posse sine possessione. Tralatitiam iuris disciplinam meminit Devoti in *Instit. lib. 2 tit. 14. sect. 5. §. 36* « ibi » Satis non est, aliquem benefi-
» cium obtinuisse, nisi is etiam possessionem adipiscatur, ut
» fructus capiat, suosque faciat. »

Hoc praesertim in capitulis attenditur ; in iis enim *tertium* aliquid est observandum, scilicet ius collegii, ita ut nemo datum in collegio locum occupet, nisi a coetu *in fratrem recipiatur.* Et quamvis de Pontificia collatione agatur, provisi! s possessionem nancisci nequit, nisi a capitulo inductus. Ita Lotter. *de re benef. lib. 1. qu. 19. num. 9* « ibi > *Neque*
*» etiam necessario conveniunt (praebenda, et canonicatus) in*
*» ipso articulo collationis, aut respectu temporis, ut patet ex*

» *praecide g atïs textibus, aut respectu collaturum, quia rece*-*
» *ptio in canonicum radicatur in ipso capitulo, nec ab eo*
» *usquam avellitur, ne quis fiat de Universitate contra ipsius*
» *Universitatis voluntatem: super quo est fundata ratio ut*
» *etiamsi Papa provideat de canonicatu, adhuc exigatur tra-*
» *ditio possessionis capitulariter, quae receptionis vim obti-*
» *neat.* » Atque in *lib. 3. qu. 5. n. 23 seqq.* « ibi » *Ratio*
» *istius formae praescribendae ea mihi videtur, quia cum*
» *collegium sit societas, non patitur ius quempiam in illud*
* *trudi contra collegarum seu, sociorum voluntatem : I. qui*
» *admittitur ff. pro soc. alias videretur, ut dixi, per Pa-*
» *pam praeiudicium inferri ipsi collegio, cuius in hoc ius*
» *semper intendit salvum esse Put. decis. 22. lib. 2. Qua-*
» *propter forma U ter arum in parte exequuliva haec est, ut*
» *capitulum personam recipiat, ut est expressum in cap. Si*
» *capitulo 5. de concess. praeb, in 6.* »

Receptionis vero necessitatem, ut canonicus fructu potiatur, demonstrat De Hosa *de exequut. lit. Apost. par. 1 cap. 5. n. 95 seqq.* « ibi » *Subnectunlur etiam illae clausu-*
>> *lae : quod' recipiatur in fratrem et cum plenitudine iuris*
» *canonicalis, ac illa : et slallum in choro et locum in ca-*
» *pitulo assignes. Pro quarum explicatione illud tyronibus*
» *beiie notum memorandum est, quod praebenda et cano-*
» *nicatus non sunt idem, etiam stricte accepto praebendae*
» *vocabulo, quatenus beneficium ecclesiasticum importat, sed*
» *diversa, nihilque inter se ex propria natura, commune*
» *habent, circumscripto effectu adnexionis perpetuae, ut no-*
» *tant canonistae etc. Nam canonicatus et ius habendi stal-*
» *tum in choro, locum in capitulo ad cantandum et legen-*
» *dum, et vocem in capitulo, provenit ex receptione in fra-*
» *irem, ut in c. in Genesi de élection, in fine ; praebenda*
» *autem eat ius percipiendi fructus in ecclesia cui praeben-*
» *datus servit competens ex officio divino tamquam uni ex*
> *collegio, ut dicunt omnes canonistae etc. Sic poterit bene*
» *stare canonicatus sine praebenda, prout vidi in multis*
» *Cathedralibus.* »

Possessio igitur cum receptione in fratrem omnino requiritur antequam provisus possit praebendae fructu potiri. Nec satis. Non quaelibet enim apprehensio iuvat, sed *legitima* exposcitur, atque ut legitima sit, oportet possessionem capitulariter tradi ; sin minus, nullitate laborat. In re notissima satis erit Barbosam ita disserentem adducere in *tract, de canon, cap. 15 num. 1 seqq.* « ibi » *Possessio capitulariter ca-*
» *pienda est de quocumque canonicatu sive dignitate quae*
> *sit de capitulo. Ita Innoc. etc. et ideo possessio aliter ca-*
» *pta non est considerabilis ac proinde nec manutenibilis :*
> *Gratian. Rota etc. Unde in eadem Rota, in Syracusana*
> *canonicatus 1 Febr. 1623 cor. Pirovano fuit dictum*
» *quod cum instrumentum narret tantummodo possessionem*
» *fuisse captam coram notario et testibus in stallo canoni-*
» *caii, nulla facta mentione de praesentia capituli tunc*
» *congregati, merito possession is actus remansit invalidus....*
» *Ampliatur primo ut procedat etiamsi possessio fuisset ca-*
» *pta de mandato exequutoris Uter arum Apostolicarum....*
» *Ampliatur secundo, etiamsi data esset facultas capiendi*
> *possessionem canonicatus propria auctoritate.... Amplia-*
> *tur tertio, etiamsi capta fuisset a canonicis de capitulo,*
> *sed non capitulariter.* » Verumtamen ex altera parte animadvertendum occurrit possessionem capere in canonicatibus ad formalitatem pertinere, hinc iustis intervenientibus causis ab ea posse dispensari. Ita Ferraris verbo *canonicatus.*

Hisce omnibus expensis proposita sunt resolvenda

»lifo i a

I. *An fructus Archipresbyteralis praebendae quos ab anno 1862 Sacerdos Felix P. percipit in capituli massam refundi debeant in casu.*

II. *An fructus canonicatus S. Petri ab anno 1861 usque ad annum 1865 Sacerdoti Francisco O vel capitulo tribuendi sint in casu.*

III. *An reditus Praepositurae ab anno 1864 usque ad annum 1873 Hieronymo B. vel capitulari mensae assignari debeant in casu.*

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 9 Maii 1874 respondit

Ad I. et II. Dubium Affirmative favore massae capitularis pro fructibus vere perceptis.

Ad III. Affirmative favore Hieronymi B. ita tamen ut pro tempore, quo ipse Praepositurae fructus realiter percepit, Capitulari massae fructus Primiceriatus restituat, et Episcopus de bono et aequo liquidationem fructuum in dubiis supra propositis curet.

EXINDE COLLIGES :

1. Satis non esse aliquem beneficium obtinuisse, ut fructus percipiat, suosque faciat, sed etiam requiri ut ipsius possessionem adipiscatur.

2. Quare cuiuslibet praebendae vel beneficii fructus non decurrere nisi a die captae possessionis.

3. Hinc fructus a beneficiato perceptos, antequam corporalem possessionem adeptus est, restituendos esse.

4. A canonicis possessionem canonicalis praebendae capiendam esse praesente Capitulo collegialiter congregato, ut valida et legitima dici possit.

5. Verum Sanctam Sedem iustis de causis a possessione capienda dispensare soieie, ut qurs praebendae fructus percipere valeat.

# SACRORUM UTENSILIUM ET CUBICULORUM

*Die 9 Maii 1874.*

**comuemi i uu& facti.** Die 23 Martii 1872 agitabatur coram S. Congregatione Concilii quaestio « an esset locus erectioni Ecclesiae Beneficialis in Vice-Parochialem pro administrandis Sacramentis, seu potius servandae essent qualitates et natura tum Ecclesiae, tum Beneficii iuxta fundationem, » quae causa relata fuit in Vol. 7. Fase. IX huius Ephemeridis p. 511. Et S. Congregatio ad propositum dubiuMi respondebat: *Supplicandum SSmo ut per modum provisionis in Ecclesia beneficiali G. salvis qualitatibus et natura, tum ipsius tum beneficii iuxta fundationem, functiones omnes parochiales per Vicarium eo m,od,o, quo Episcopus in Domino expedire iudicaverit, libere valeant exerceri independenter a patronis, quibuscumque in contrarium non obstantibus.* = Novae auditionis beneficio obtento, causa iterum proposita fuit in Comitiis diei 20 Iulii 1872, et ad dubium = *an **sit** standum vel recedendum a decisis in casu* ~ Emi Patres rescripserunt = *in decisis et amplius.* =

Huc re perducta, omni controversiae finis impositus videbatur. Verum aliter se res habuit. Episcopus enim H. S. O. sententia fretus, Vicarium Parochum statim delegit, eumque in Ecclesia G. ad exercendam animarum curam constituit. Ut vero beneficiatus Rector ipsius Ecclesiae propriis muniis libere fungi posset, iussit ut sacra utensilia, quae neque a fundatore relicta, neque beneficii fructibus acquisita forent, sed collatitia populi pecunia comparata essent, nedum beneficialibus, sed et parochialibus functionibus obeundis inservirent. Huiusmodi sed vero dispositionem aegre tulit illius Ecclesiae beneficiatus, et protestatione penes Curiam Episcopalem emissa, eidem se minime obtemperaturum declaravit, donec ex authen-

tica interpretatione praefatae sententiae H. S. O. sibi certo non constaret de ea obligatione, quam Episcopus imposuit. Ex his factum est ut populus, qui suis oblationibus Ecclesiam illam sacris auxerat utensilibus, cum ista parochialibus functionibus subtrahi conspiceret, ita graves excitaverit tumultus, ut civilis potestatis interventus ad eos compescendos necessarius fuerit, a qua postea criminale iudicium hac super re institutum est. Cum itaque in hac misera rerum conditione Vicarius parochialis versaretur, litteras Episcopo dedit controversiam, et scandalum dirimi postulans, qui autem ut rei gravitati occurreret, ea quae Vicario parochiali ad sua munia obeunda necessaria forent de proprio suppeditavit, interea tamen plura de Sacerdote M. diuturnam, infestamque oppositionem instaurante conquestus,' declarari petiit, an vi sententiae ab H. S. O. latae Vicarius parochialis communia habere possit cum Rectore Beneficiato illius ecclesiae organum, campanas, vasa, indumenta sacra, caeterique utensilia, vel ea saltem quae neque a fundatore relicta, neque beneficii fructibus, sed fidelium eleemosynis comparata sunt. Definiri etiam poposcit an idem Vicarius uti queat duobus cubiculis ecclesiae adnexis et a populo extructis pro residentia Rectoris, qui tamen in illis nunquam habitavit, neque habitat in praesentiarum.

His litteris receptis, iussum est ut causa poneretur in folio, idque notum fieret Episcopo, qui partibus -praefigeret congruum tempus ad sua iura deducenda ; verum Sacerdos M. licet ab Episcopo admonitus, nullas deductiones exhibuit, hinc causa disceptanda et dirimenda proposita est sub dubiorum formula, quae in calce huius libelli exscribitur.

### Disceptati» synopttca.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Utraque pars pro suo iure tuendo ad sententiam H. S. O. quam superius retulimus, confugit, vanamque, imo contrariam inde trahens conclusionem. Tota igitur controversia in eo sita est, ut rectus illius sensus dignoscatur, idest in quanam parte commutata fuerit pii testatoris voluntas, et in qua parte adhuc integra perseveret.

Indubium est, quod pius fundator Thomas S. nedum Ecclesiam patrocinii B. M. V, sed et sacra utensilia quibus eam ornaverat, nempe iura et pertinentias universas in beneficium contulerit, ut ipsis Rector illius Ecclesiae unice potiretur. Perpendendum igitur est, an commutata ipsius voluntate, ila ut non amplius solus Rector, sed et Vicarius parochialis functiones suas in ea Ecclesia peragere valeat, iam non sjlum ecclesia ipsa, sec! et sacra utensilia ad eam pertinentia'communia sint dicenda. Iamvero cum H. S. O. in sua ferenda sententia de his sacris utensilibus explicite loquutus non sit, nihil aliud restat, nisi ut impliciius sensus ipsius sententiae consideretur, quo scilicet colligatur quid Rectori, quidve Vicario parochiali reponendum sit, tum quoad utensilia a fundatore relicta vel beneficii fluctibus acquisita, tum quoad ea, quae populus sua pecunia comparavit.

His praehabitis, quod attinet ad primum controversiae caput, adversus Rectorem beneficiafum animadverti potest ex sententia H. S. O. quamlibet facultatem, et libertatem Vicario factam fuisse, exercendi functiones j arochiales in ecclesia G. istamque libertatem eo tantummodo limite coerceri, quod nempe qualitates et naturam, tum ecclesiae, tum beneficii iuxta fundationem , laedere et imminuere nequeat. At vero quaenam sint qualitates, et natura tum ecclesiae, tum beneficii declaravisse videtur ipse testator per ea verba « *praedicta Ecclesia Patrocinii B. M. V. in beneficium simplex et sine cura ut. praefertur erecta cum iuribus, et, pertinentiis suis universis semper et cunctis futuris temporibus habeat et retineat, ac habere et retinere debeat naturam, qualitatem, et conditionem beneficii simplicis de iure patronatus laicorum etc.* » Qualitas igitur et natura ea est, ut beneficium in illa Ecclesia erectum , sit simplex , de iure patronatus laicorum, et animarum curam adnexam non habeat. Quidquid igitur has qualitates et naturam minime laedit, id Vicario parochiali concessum fuisse existimandum est; atqui quod sacra supellex communis sit inter ipsum et Beneficiatum in suis functionibus obeundis, nullam iniuriam, nullamque laesionem iis qualitatibus affert, et proinde nulla appa-

ret ratio qua Vicarius parochialis ab usu illius supellectilis repellatur.

Imo recta interpretatio contrarium omnino suadere videtur. Re sane vera 8. Congregatio facultate a Pontifice obtenta potestatem Vicario dedit functiones omnes parochiales in ea Ecclesia peragendi ; saltem igitur implicite id ei tribuisse apparet, quo finem istum assequi valeret. Compertissimi enim, imo naturalis iuris est, eum qui vult finem, media etiam ad illum finem conducentia voluisse. At vero nemini dubium esse potest, sacra sine supellectili parochiales functiones expleri non posse. Quapropter fidelium utilitati parum vel nihil consultum fuisset, si Vicarius ab Episcopo constitutus in ea conditione versari deberet, qua utensilibus omnibus carens, muniis animarum curae inhaerentibus, satisfacere non posset.

Rursus nemo inficias iverit H. S. O. Vicario parochiali ad suas functiones exercendas usum illius ecclesiae concessisse. Id enim verba ipsa decreti naturali sensu intellecta praeseferunt. Dicitur enim « *Supplicandum SSmo ut per mod u/n provisionis in Ecclesia beneficiati G... functiones omnes parochiales'per Vicarium... libere valeant exerceri.* » At vero usus alicuius rei importat etiam usum illarum rerum, quae eidem adnexae sunt iuxta notissimum illud « accessorium sequitur naturam principalis » praesertim si absque usu adnexarum rerum, usus rei principalis parum, vel nihil prodesset, ut nostro in themate verificatur. Sic ex iure civili, ille, cui aedium ususfructus constitutus fuit, aedium etiam instrumentis uti potest *L. sed si quid 15* §. *proprietatis 6. ff. h. t.* et illi, cui fundi ususfructus concessus fuit, agri instrumenta cedunt *ex dicta Lege, et ex L. item si fundi 9 §. ult. ff. h. t.* Iamvero tum organum, quo fidelium pietas excitatur et fovetur, tum campanae, quibus fideles ad Ecclesiam vocantur, tum vasa et indumenta sacra, quibus functionum decori prospicitur partem ipsius ecclesiae quodammodo constituunt, et proinde ei cedere debent, cui ecclesiae usus concessus fuit. Id magis magisque ex iure sacrorum canonum confirmatur ; communi enim dispositione inductum fuit, ut paramenta, ornamenta, coeteraque omnia honorifico Dei cultui necessaria,

fabricae aequiparentur, et sub fabricae nomine comprehendantur. De Albertis *de sacris utens. Dec. LXXXII. n. 3. Franc, de Eccles. Cathedr. c. 20. n. 34. Amostaz. de caus. piis lib. 4. c. 1. n. 25,* et alii passim.

Ex quo illud principium invectum habetur, ut reparatio ecclesiae, et praeparatio ornamentorum, aliorumque ad divinum cultura spectantium pari gradu procedant. *Franc, de Eccles. Cath. cap. 20. n. 34 et seq. concordat Rota in Gerunden. 17 Inn. 1601. num. 1. coram Pio.* Quod adeo verum est, ut si legatum fabricae relinquatur, modo expressum non fuerit illud inservire debere specialiter pro reparatione materiali Ecclesiae, dubitari nequeat posse expendi pro ornamentis et aliis necessariis ad divinum cultum ; quia ista sub nomine fabricae comprehenduntur, ceu tradit *Amostaz. de caus. piis lib. 4. c. 1. n. 25, Sánchez cons. lib. 4. cap. 2. dub. 14, De Lago de iustit. disp. 24. sect. 13. num. 304.* Si igitur sacra supellex adeo cum Ecclesia , seu materiali fabrica cohaereat, ut unum quodammodo efficere existimetur, pleno iure consequitur usum Ecclesiae G. Vicario parochiali concessum, et paramentorum , caeterorumque utensilium usum inducere oportere.

Denique et hoc loco praetereundum non est, pium fundatorem in illa Ecclesia dotanda, nihil aliud sibi quam fidelium spirituale bonum proposuisse, ideoque si in hodiernis versaretur circumstantiis. Vicariumque parochialem in sua ecclesia pro utilitate populi constitutum adspiceret. nullimode has tricas moveret, sacramque supellectilem ip^i denegare!. Concludendum igitur ex sententia H. S. Ö. ius esse Vicario utendi vicissim cum Beneficiato sacra illius ecclesiae supellectili.

VERUM E CONTRARIO animad vertebatur decretum H. S. O. nullo pacto Vicario parochiali induisisse, ut ipsius ecclesiae et beneficiati iura, pertinentias, possessionesque quoquo modo pertingeret, sibique vindicaret.

Sane prudenti verborum oeconomia hoc unum expressum fuit, posse nempe per Vicarium parochiales functiones in ea ecclesia libere exerceri, ita tamen ut qualitates et natura, (um ecclesiae, tum beneficii salva omnino manerent. Qua quidem

dispositione in eo tantum derogatum fuisse videtur testatoris voluntati, ut nempe nedum in ea Ecclesia Beneficiatus suas functiones, sed et provisionis modo suas etiam Vicarius in posterum peragere valeret ; minime vero facta fuit facultas Vicario, ut divitias et bona illius ecclesiae, inter quae procul dubio sacra supellex recensetur, cum Beneficiato communia haberet. Revera si huiusmodi ius Vicario parochiali tribueretur, ne salvae quidem manerent qualitates et natura, tum Ecclesiae, tum beneficii secundum fundationem- Etenim, pius fundator ita suam aperuit voluntatem **c=** *ut praedicta eedesia, Patrocinii B. Mariae Vir g. in beneficium simplex et sine cura, ut praefertur erecta cum iuribus et pertinentiis suis universis semper, et cunctis futuris temporibus habeat et retineat, ac habere et retinere debeat naturam,' qualitatem et conditionem beneficii simplicis.* = At vero si utensilia, quae profecto in numerum pertinentiarum universarum illius ecclesiae referuntur, in Vicarii commodum verti deberent , iam ista ecclesia non beneficium simplex, sed curatum quodammodo quoad suas pertinentias efficeretur. Hoc autem est contra naturam et qualitates ipsius beneficii, quas tamen H. S. O. salvas et integras voluit, insuper si in sua ferenda sententia S. H. C. communem supellectilis usum Vicario tribuisset, magnum intulisset detrimentum tum ecclesiae, tum beneficiato ; siquidem cum indumenta, vasa, caeteraque utensilia ad genus illarum rerum pertineant, quae usu consumunfur, quo maior et frequentior erit usus, eo citius deteriora efficientur vel penitus deficient. Quare Rectoris iura laederentur, fructusque beneficii, auctis expensis, imminuerentur, a quo tamen H. S. O. in praefato decreto omnino abhorruisse videtur : praesertim si attendantur illius praebendae reditus : ait enim Episcopus in sua littera informatoria diei 14 Octobris anni 1871 data, quod proventus Ecclesiae Beneficialis *G.* annuatim ascendunt ad summam scutat. 40.

Neque iuvat regerere eam fuisse Sacrae Congregationis mentem in eo Decreto exarando, ut nempe Vicarius parochiales functiones in ea Ecclesia explere posset, hunc autem finem sacra sine supellectili non obtineri. Namque in iure sta-

futum est, ni, cui imminet onus animarum, illi et onus immineat sacra utensilia Ecclesiis suppeditandi ad hoc, ut debito modo cultus Deo reddatur'. Sane nemo ignorat respectu cathedralis ecclesiae defectu fabricae, et sacristae teneri Episcopum ad sacra utensilia procuranda tamquam sponsum immediatum ipsius ecclesiae, et Pastorem animarum *ex canon. Decernimus 10. quaest. 1 cap. 1 de eccles, a édifie. De Albertis de sacris utens. Dec. XLII n. 38, 39.* Parochos autem, aliosque principales Ecclesiarum Parochialium Rectores, earum fructus percipientes , ad provisionem sacrorum utensilium pro iisdem ecclesiis adstringi. *De Albertis cap. Xli n. 11 et seq.* ubi fuse hoc probat, dummodo parocho tot supersint fructus, quot praeter congruam sustentationem, ad sacra utensilia acquirenda sufficiant *ibidem num.,. 145;* caeteris autem deficientibus, onus providendi Ecclesiam parochialem ad populum spectare *ibidem num. 213.* At vero reditus, et emolumenta, quibus iste Vicarius parochialis potitur non adeo exigua apparent, ut vel ad populum pro sacris utensilibus confugiat, vel alienis uti cogatur. Episcopus enim in eadem littera informatoria ait, se Vicario summam scutat. 60 attribuisse, quibus adnecti debet eleemosyna missarum, atque proventus, qui annuatim pertingant summam scutat. 310.

Denique et illud omittendum non est, agi in themate de eo decreto, quo pii fundatoris voluntas commutata fuit; ideoque eam interpretationem praeferri oportere, quae magis ipsam testatoris voluntatem servet, et commutationem, utpote in iure odiosam, coerceat. Enimvero nihil apud Ecclesiam solemnius, vel antiquius, quam pias fundatorum voluntates colere, et nonnisi iusta causa intercedente easdem commutare, ut praecipit Trid. *sess. XXII de Reform. Cap. VI.* Cum igitur iam ex parte istius fundatoris voluntas, sapientissimis licet de causis, commutata fuerit, in praesenti controversia ea interpretatio seligenda, quae ipsius fundatoris voluntati faveat.

Nunc autem exquirendum superest, an saltem ea supellex, quae populi oblationibus parta est, a Beneficiato et Vicario Curato communi usu vicissim adhiberi queat. Et in hac re Vicarii favore reponendum esse videtur. Etenim manue ti>

sin e elucet per usum istius sacrae supellectilis, quam populus Ecclesiae suppeditavit, nullo pacto qualitates et naturam tum ecclesiae, tum beneficii iuxta fundationem attingi, cum subsequentibus fanlum temporibus eam fideles dono dederint; cessant itaque illa omnia argumenta superius allata, quae obstabant, quominus Vicarius utensilia a fundatore relicta, vel beneficii fructibus acquisita, ad suum usum revocare posset.

insuper ex voluntate donantium, quid hac in re decerni queat, luculenter eruitur. Fideles enim in oblationibus istis perficiendis nihil aliud praeter divinum cultu[1] u, propriumque spirituale bonum respexerunt. Iamvero cum functiones parochiales ad Dei cultum potissimo modo referantur, et fidelibus, magis quam beneficiales functiones, necessariae sint, manifesto colligitur ea populum fuisse mente in muneribus illis largiendis, ut necessitati et decori parochialium functionum etiam consuleret.

Imo fideles quid in hac re sentirent ita aperte declararunt, ut nulla coniectura, vel divinatione opus sit. Nam, ut superius retulimus, cum Capellanus sacra indumenta populi sumptibus acquisita Vicario parochiali denegasset, tanta indignatione percitus fuit, ut tumultus turbasque excit iverit. Hoc autem factum satis superque ostendit, nedum iustitiae, sed et prudentiae consonum esse, ut utensili;) populi expensis comparata, etiam in Vicarii parochialis usum verti debeant, secus enim parochiani non solum dolore et scandalo afiicientur, sed ab huiusmodi oblationibus in .posterum retrahentur.

Ad secundum controversiae caput animad vertebatur validiora urgere argumenta praesertim ex prudentia et aequitate desumpta, cum sermo instituatur de duobus illis cubiculis Ecclesiae attiguis, quae fidelium aere extructa sunt eum in finem, ut Beneficiatus inter ipsos commoraretur, licet numquam inibi commoratus est, dum e contra Vicarius parochialis maximopere iisdem indiget, Cum igitur haec duo cubicula sacerdoti M. minime prosint, Vicario autem parochiali apprime necessaria sint, aequa ratio postulat, ut huic utenda concedantur. Caeterum diuturnae difficultates, contradictionesque quas inomnibus rebas Beneficiai us ille excitavit, ut Episcopi

voluntati adversaretur indicio sunt, eum non suorum iurium conscientia, sed dissensionis aestu moveri.

Verum neque pars adversa sua ratione destituitur. Vicarius sane parochialis, qui virtute Decreti H. S O. in ea ecclesia ab Episcopo constitutus est nihil de suo illuc intulit, sed ea quae ibi reperit, omnia ad ecclesiam beneficialem pertinebant, sive ex primitiva dotatione, sive ex beneficii fructibus , sive ex fidelium eleemosynis. Quapropter Vicarius iste nullum ius, nullumque titulum ad aliqua utensilia quoquomodo sibi vindicanda, exhibere potest.

Neque iuvat opponere fidelium munera fundationem minime attingere, eamque salvam omnino manere, si etiam Vicarii bono et usui illa munera vertantur Etenim tum id quod a primaeva fundatione Ecclesiae tribuitur, tum id quod postea, quocumque legitimo modo accedit, in ipsius ecclesiae dominium transit, illiusque patrimonium quodammodo constituit. Quapropter illud idem iuris, quo quis potiri debet, ut bona fundationis ad suum usum transferre possit, requiritur etiam pro usu illorum bonorum, quae postero tempore ecclesiae obvenerunt. Quare huiusmodi quaestio refunditur in primam, et proinde si ex Decreto H. S. O. Vicarius parochialis uti non poterit sacra illa supellectili, quae a fundatore relicta, vel beneficii fructibus comparata fuit, neque ea, quae ex oblationibus accessit, uti valet.

Nec pariter iuvat oggerere fideles ea mente dona obfulisse, ut quibuslibet functionibus, quae Dei cultum respiciunt, inter quas potissimum parochiales recensentur, consuleretur ; oblationes enim istae antequam Vicarius constitueretur factae sunt, eo nempe tempore, quo omnium animis infixum erat in ea ecclesia parochiales functiones, ita fundatore iubente, explendas non fore. Donantes igitur nonnisi beneficialium functionum decori prospicere potuerunt. Immerito proinde in praesentiarum querimonias extollunt ; sacra enim utensilia aere collatitio acquisita divini cultus incremento adamussim cedunt ; neque ipsorum mens in contrarium torquetur, etiamsi parochialibus functionibus subtrahantur.

Quod vero attinet ad duo cubicula ecclesiae adnexa, quae Vicarius parochialis sibi utenda petit, eadem ratiocinatio ito-

rari posset. Hoc unum addendum est, illa nempe cubicula pro residentia Rectoris extructa fuisse : hinc si sacerdos M. penes suam ecclesiam non recidet, minime officit quominus ipsius successores maiore diligentia praediti aliter se gerant. Hinc iura tertio acquisita, si ea cubicula Vicario tribuantur, laederentur prorsus, ac pessumdarentur.

His expositis proposita sunt resolvenda

alubia

I. *An et quae sacra utensilia ecclesiae G. in parochialium functionum usum cedere debeant in casu.*

II. *An cubicula pro Rectore Ecclesiae a fundatore destinata inservire debeant usui viceparochi in casu.*

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 9 Maii 1874 respondere censuit

Ad 1 Negative exceptis organo, campanis, et sede confessionali expensis parochialibus manutenendis.

Ad 2 Demptis verbis *a fundatore destinata* Episcopus curet, ut cubicula destinentur usui viceparochi, soluta congrua annua pensione rectori beneficii.

EXINDE COLLIGES:

1. Parochos aliosque principales Ecclesiarum parochialium Rectores earum fructus percipientes, demptis congruis alimentis, ad provisionem sacrorum utensilium pro iisdem Ecclesiis adstringi.

2. Concessa aliqua Ecclesia in succursalem alicuius Paroeciae, usum organi, campanarum, et Confessionalis sedis tributum pariter eidem censeri, cum onere manutentionis ad Parochum pertinente.

# CIRCA MISSAM PRO POPULO

*Die 9 Maii i874.*

**summaria »reeum.** Episcopus C. die 18 Iunii 1873 supplici sacratissimo Principi oblato libello quaerebat : « 1. Utrum » parochus, duas habens parochias, qui ob rationabilem cau- » sam non potuit die dominica vel festo secundam Missam » celebrare, teneatur per hebdomadam applicare Missam pro » populo suae secundae parochiae ; vel utrum sufficiat, ut uni- » eam Missam, quam die dominica vel festo celebrat, appli- » cet pro populo duarum suarum parochiarum. 2. Utrum dic- » bus festis suppressis, in quibus binam Missam celebrandi » non habet facultatem, sufficiat, ut solam Missam, quam » dicere potest, applicet pro populo duarum suarum parochia- » rum, vel utrum, altera die, teneatur secundam Missam pro » populo secundae parochiae applicare. »

Hisce dubiis S. Congregatio respondebat ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.* Ad 2. *Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.*

Praeterea eadem S. Congreg. Concilii eidem Episcopo C. sub die 14 Iulii 1873 facultatem elargiebatur dispensandi ad triennium ab applicatione secundae Missae pro populo, diebus festis suppressis tantum, eos Parochos,suae Dioecesis, qui duabus paroeciis regendis sunt praepositi, ea tamen lege, ut unica Missa applicetur pro populo utriusque paroeciae.

Hac obtenta facultate iterum idem Episcopus huic S. Congregationi exponebat « Saepe accidere, ut sive ob morbum, sive » ob intemperiem, sive ob inundationem etc. quidam parochi » non valeant secundam Missam diebus dominicis vel festis in > sua secunda parochia celebrare,,

» Postulat igitur pro his casibus facultatem eos dispen- > sandi ab applicatione secundae Missae pro populo, ea lege. ut

» unica Missa pro populo utriusque parochiae applicetur, sive » curam habeant secundae parochiae, quae titulari destituta » est, sive deserviant secundae parochiae, cuius titularis ob > causas probatas in sua ecclesia non residet.

» Et quia nunquam parochi secundam Missam pro populo » secundae parochiae diebus festis suppressis, in quibus binam » Missam non celebrabant, applicaverunt ; postulat etiam pro » omnibus parochis dispensationem ab applicatione harum Mis- » sarum pro tempore praeterito. »

Hisce habitis litteris decretum editum fuit die 8 Augusti 1873: « Scribatur eidem Episcopo, cui grave non sit *ve-* » *ferre* utrum alius Sacerdos celebrare soleat in altera Eccle- » sia, quoties diebus festis de praecepto parochus ob infirmi- » tatem vel intemperiem ad eamdem celebraturus accedere » nequeat. » Huic mandato morem gerens Episcopus respondit : « Quoties possibile est, mittitur alius Sacerdos, qui pro » parocho absente vel infirmo Missam celebret in qualibet pa- » roccia diebus dominicis et festis de praecepto.

» Sed saepe accidit, ut impossibile sit celebrare Missam » in secunda parochia parochi absentis, infirmi, vel aliter ìm- > pediti, etiam diebus dominicis et festis de praecepto ob » rationes sequentes : 1. Quia Sacerdotes numero pauciores » sunt ; 2. quia si agitur de intemperie subita, parochus non » potest sibi alium Sacerdotem procurare ; 3. quia si agitur » de infirmitate vel aegritudine subita, nullus Sacerdos adest, » qui Missam celebret. Et si agitur de aegritudine longiore, » saepe non alius invenitur Sacerdos, quam vicinus parochus, » qui, postquam in sua parochia primam Missam celebravit, » alteram celebrat in principali parochia aegrotantis, sed ce- » lebrare nequit in secunda parochia aegrotantis. »

Hoc habito responso rescriptum editum fuit : *Per Summaria precum.*

**Disceptatio synopiica.**

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Omnes animarum Pastores teneri ad celebrandum pro ovibus suis divini iuris esse ignorat nemo. Patet id ex Concilio Tridentino *sess. XXIII cap. I*

*de ti fi f* ***or****-m.* ubi legitur: « Cum praecepi o divino mandatum sit » omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas » .iguoscere, pro his sacrificium offerre— etc. » Quae quidem obligatio a iure ecclesiastico determinata fuit ad omnes dies dominicos et festos, quibus fideles Missam audire debent. Constat id ex variis S. C. declarationibus in *Pistorien, et Prafen. 14 Februarii 1699,* quae adprobata et confirmata fuit ab Innoc. XII peculiari Brevi diei 24 Aprilis dicti anni, quod incipit - *Nuper* - et praesertim ex Constitut. Bened. XIV *Cum semper oblatas* diei 19 Augusti 1744. Imo parochus duabus parochiis praepositus duplicem Missam in festis tenetur applicare, sive per se, si facultatem binandi habet, sive per alios, sive altera die in hebdomada, si ea caret, nisi unio duarum parochiarum sit plenaria et extinctiva, ita ut ex duabus ecclesiis parochialibus, una prorsus ob extinctionem alterius tituli evaserit. Sane proposito dubio in causa Lucen, sub die 12 Martii 1774. « *An parochi duabus Ecclesiis parochialibus praepositi teneantur dominicis, aliisque festis diebus, Missam in unaquaque Ecclesia sive per se sive per alium, applicare pro populo in casu* » responsum prodiit « *Affirmative, exceptis tantum parochiis unitis unione plenaria et extinctiva, et scribatur Episcopo iuxta, instructionem.* » In hac autem instructione S. Congregatio Episcopum certiorem faciendum esse putavit se nunquam dubitasse « quod parochi teneantur applicationi supradictae Missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex Ecclesiis parochialibus, quae » vel aeque principaliter vel subiective coniunctae sunt atque » incorporatae, cum applicatio unius tantummodo Missae pro » populo locum habeat in iis parochialibus, quae invicem adeo » unitate coniunctae atque incorporatae sunt, ut ex duabus una » prorsus cum extinctione tituli alterius evaserit. » Nec aliter ad huius doctrinae tramites iudicavit S. Congregatio in causa *Oveteli. Missae pro populo 18 Novembris 1826,* et in Causa *Cameracen, diei 25 Septembris 1858,* in qua interrogata -- *An Parochus qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, •utrique parochiae suam, Missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate in casu?* - respondit, *Affirmative.*

Idem declaratum invenitur in causa *Salamaútina 22 Februarii 1822, et 21 Martii 1863.* Huiusmodi autem praeceptum adeo urget, ut Pastores animarum teneantur etiam pro populo celebrare in festis a Pio VI suppressis, quia Ecclesia illis diebus solum eximit fideles ab obligatione audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus. Quare obligatio parochi pro populo celebrandi, sicut antea, urget, ceu revelant nonnullae declarationes S. Poenitentiariae a Scavini, aliisque auctoribus relatae. Nec secus dicendum de parochis Galliarum, qui tenentur applicare pro ovibus, diebus festis suppressis, aut in dominicam translatis ex concessione Pii VII, an. 1802. Patet ex variis Decisionibus Sanctae Sedis, praesertim ex declaratione Sacrae Congregationis Concilii a Gregorio XVI approbata in responso ad Illmum D. Bouvier Episcopum Cenomanensem lato die 14 Iunii 1841, nec non ex responsione ad Archiepiscopum Tolosanum die 6 Augusti 1842, iterum ex decisione S. Congreg. Conc. die 25 Septembris 1847. Quapropter ut obligationi huic satisfaciat parochus, non illi sufficit applicare Missam pro populo diebus dominicis, ad quas remittitur seu transfertur solemnitas suppressa, sed praeterea tenetur applicare Missam ipsa die, qua suppressorum festorum officia communiter in Ecclesia recitantur.

Liquet apertissime ex declaratione S. Congregationis Concilii die 25 Septembris 1847 et praesertim ex Constitutione Pii IX - *Amantissimi* - 3 Maii 1858, cuius haec sunt verba : « Hisce litteris declaramus, statuimus atque decernimus, paro- » chos aliosque omnes animarum curam actu gerentes, sacrosan- » ctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et » applicare debere, tum omnibus dominicis aliisque diebus, qui » ex praecepto adhuc sevantur, tum illis etiam, qui ex huius » Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festo- » rum numero sublati ac translati sunt, quemadmodum ipsi » animarum curatores debebant dum Urbani VIII Constitutio » *Universa* an. 1642 in pleno suo robore vigebat, antequam » festivi de praecepto dies im, n i niterentur et transferrentur. » Quod vero attinet ad festos translatos dies, id unum exci- » pimus , ut scilicet, quando una cum solemnitate divinum

> officium translatum fuerit in dominicum diem, una fani UM
» Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem
» Missa, quae praecipua divini pars est, una simul cum ipso
» Officio translata existimari debet. »

Verumtamen rationum momenta ab Episcopo in supplie[5] libello prolata tanti esse videntur, ut eius petitio excipienda sit. Sane quod attinet ad facultatem, quam postulat Episcopus dispensandi ab applicatione secundae Missae pro populo, necessitas ipsa id postulare videtur. Ait enim Episcopus, quod quando parochus non potest celebrare vel se conferre ad secundam paroeciam, tunc fere impossibile est alium mittere Sacerdotem : 1. quia saepissime deest alter presbyter ; 2. quia quando agitur de intemperie vel infirmitate subitanea, deest tempus ad supplendum per alium, si revera adsit alter ; 3. quia quando agitur de infirmitate vel alio impedimento diutino, non potest suppleri nisi per parochum viciniorem, qui post celebratam primam Missam in sua paroecia, celebrat secundam in paroecia principali parochi impediti : ideoque Missa caret, secunda paroecia principali unita, iamvero principium certissimum est ad impossibile neminem teneri. Necessario igitur videtur concedenda facultas Episcopo O. dispensandi in expositis adiunctis cum parochis impeditis diebus dominicis vel festis a celebranda secunda Mis<a pro populo. Paucitas vero redituum postulat, ne parochus alteram Missam pro populo teneatur applicare in hebdomada, siquidem facultas dispensandi a secunda Missa pro populo ob illam tenuitatem concessa sit pro diebus festis suppressis.

Praeterea novum non est, penes II. S. C., ut iustis de causis id concedatur. Sane ita factum fuisse patet ex Decis. S. Congreg, in *Mindonen.* die 20 iulii 1854, inter *Summaria precum* proposita.

Quoad vero sanationem circa, Missas non celebratas pro populo secundae paroeciae diebus festis suppressis, quae applicari debuissent in hebdomada, videtur etiam concedenda, habito respectu ad redituum paucitatem, et ad praxim S. Congregationis.

Cum itaque in themate particulares circumstantiae paro-

chis faveant, et alioquin Episcopus eam indulgen posse affirmet, haud ambigendum videretur, ut petitio Episcopi C. in omnibus benigne excipiatur.

RESCRIPTUM. Propositis itaque et perpensis precibus in Congregatione Concilii die 9 Maii 1874 responsum prodiit:

Quoad absolutionem, celebrata ab unoquoque Parocho una Missa, pro gratia absolutionis super enunciatis omissionibus, quoad vero dispensationem, Episcopo cum facultate dispensandi iuxta, petita, et in circumstantiis taxative inibi expressis, onerata ipsius Episcopi conscientia, ad quinquennium, facto verbo cum SSmo.

EXINDE COLLIGES :

1. Pastores, quibus animarum cura commissa est, teneri ad sacrificium pro iis offerendum ex iure divino, in diebus dominicis et festis etiam suppressis.

2. Parochos, qui duabus distinctis paroeciis sunt praepositi, duplicem Missam in festis applicare teneri, sive per se, si facultatem haheant binandi, vol per alios, si ea carent facultate, sive altera die in hebdomada, non obstante redituum te .illitate.

# EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## NULLITATIS PROFESSIONIS RELIGIOSAE

*Die 6 Ianuarii i 87'4.*

**€*« ï gieaniiiim facti.** Fr. Caietaiius G. in minoribus Ordinibus hodie constitutus, natus est in civitate S. die 28 Novembris 1849, atque habitum religiosum suscepit die 26 Octobris 1864 apud Minores Conventuales. Post integrum probationis annum professionem votorum simplicium emisit die 1 Novembris 1865 ad tramites Litterarum Encyclicarum *Neminem latet.,* quibus inter alia praescribitur : « *ut peracto* pro-
» batione et novitiatu ad praescriptum S. Concilii Tridentini,
» Constitutionum Apostolicarum, et Statutorum Ordinis, Novitii
» vota simplicia emittant, postquam *expleverint aetatem anno-*
» *rum sexdecim* ab eodem Tridentino Concilio statutam, vel
» aliam maiorem, quae forsan a statutis proprii Ordinis a S. Sede
» approbatis requiratur. » At vero error illapsus in Litteris a Curia Episcopali S. occasione vestitionis expeditae, in quibus iuvenis scribebatur natus, non die 28 Novembris 1849, sed die 29 Septembris 1849, huic controversiae originem dedit. Omnino certum videtur, superiores Ordinis religiosi, plenam fidem testimonialibus adhibentes, nullatenus veram iuvenis aetatem suspicatos esse ante annum 1869, in quo novae testimoniales petitae, et die 16 Februarii concessae intuitu Tonsurae, et Minorum Ordinum a Fr. Caietano **G.** suscipiendorum, veramque illius aetatem exprimentes, in ipsorum manus pervenerunt. Quoad Caietanum, si fides adhibeatur eius dictis, quae nullo modo de íMsitate convicta sunt, ipse non incepit serio dubitare de vera sua aetate, et de nullitate suae primae pro-

fessionis factae ante - legitimam aetatem, nisi anno 1809 aliis acceptis testimonialibus, quae veram eius aetatem referebant.

Facta professione votorum simplicium, ipse sese gessit in omnibus tamquam vere professus, et pariter a Superioribus tamquam talis habitus est. Ante Professionem solemnem missus est in alium Conventum sui Ordinis, ubi post tres annos et 70 dies a prima professione, die videlicet 10 Ianuarii 1869, solemnem emisit professionem sine ulla aut ipsius aut cuiuscumque alterius recia: natione : postea vero, cognoscens, ut ipse ait, *primo* professionem suam votorum simplicium emissam fuisse ante aetatem legitimam, *secundo* hanc professionem propter defectum aetatis *nullam* fuisse, et per consequens se nullo modo per tres annos ante professionem solemnem permansisse in votis simplicibus, prout sub poena nullitatis votorum solemnium a SS. D. N. Pio PP. IX praescriptum est, iudicavit pariter *nullam* fuisse suam professionem solemnem, et ad terminos Constitutionis Benedicti XIV *Si datam hominibus*, formalem instantiam die 20 Octobris 1871 introduxit coram Ordinario, ut liber ab omni vinculo votorum declararetur.

Post longas investigationes et discussiones, die 10 Ianuarii 1873, prodiit a Iudicibus per Benedictinam Constitutionem designatis sententia definitiva in primo gradu instantiae, pro nullitate professionis solemnis ; a qua sententia Defensor ex officio Professionum regularium coram S. Congregatione EE. et RR. statim appellavit, atque causa proposita est sub dubitandi fòrmula in calce exscripta.

EA QUAE PROSTANT PRO NULLITATE PROFESSIONIS. Consultor, cui demandatum fuit munus votum edendi in praesenti quaestione, trifariam dividit orationem suam, scilicet I° inquirendum suscipit utrum professio votorum simplicium a f. Caietano *G.* emissa hodie debeat nec ne considerari ut valida secundum ius antiquum, abstractione facta a Decreto diei 12 Iunii 1858, per quod *professio tacila omnino abrogata est ì*

2° Utrum, posito hoc Decreto hodie debeat necne dicta

professio considerari ut valida, et quid inde sequatur pro validitate professionis votorum solemnium ?

3° Utrum, posito quod casus foret dubius, sententia deberet ferri potius pro nullitate vel pro valore professionis votorum solemnium ?

Atque ad 1. quod attinet animadvertit quod haec professio absque ullo dubio in momento emissionis *nulla* fuit propter Decretum-irritans a Concilio Tridentino emanatum, sed dubium est, utrum iuxta ius antiquum intercesserit necne *professio tacila,* vel in momento in quo Caietanus, nihil de nullitate professionis suspicans, et inomnibus se gerens ut professus aetatem pro professione legitimam attigit, vel saltem in aliquo momento posteriori : quae *professio tacita* statim professionem antea *nulliter* emissam convalidasset. Hac in re adesse apud Doctores intricatissimam controversiam liquet ex Fagnano (Cap. *Significatam,* de Regularibus) qui multis auctoritatibus in medium adductis, hanc quaestionem perpendit, necnon ex Ferraris ( *V. Regularis Professio)* qui refert, celeberrimam causan! *Mrifiolanensem*, in qua dictum dubium magno eruditionis apparatu, citatis ex utraque parte multis textibus iuris, tribunalium decisionibus et Doctorum sententiis resolvitur pro nullitate professionis.

Utraque vero sententia in hoc principio concordat, quod si fiant tam a Religioso, quam ab eius Superioribus actus isti, qui de se inducunt tacitam professionem, sicut sunt delatio continua habitus religiosi, votum in Capitulo etc., et si insuper existat tam in Religioso, quam in eius Superioribus vera volunias profitendi, et ad professionem recipiendi, tunc statim post expletum tempus legitimum, professio tacita inducitur.

Sed in casu proposito adestne voluntas sufficiens profitendi et ad professionem recipiendi? Qui stant pro validitate professionis, respondent : *Affirmative,* hoc autem probare conantur ex eo quod utraque voluntas in momento professionis *nulliter* emissae aderat absque dubio. et quod perseverantia huius voluntatis manifeste apparet ex actibus externis, qui libere fiunt a Religioso eiusque Superioribus , quique de se professionem inducunt. Nullum ergo, iuxta adductos Doctores,

*deest* in casu proposito ex requisitis ad validitatem tacitae professionis.

Qui vero stant pro nullitate Professionis, dicunt ***quoi*** m themate non adest sufficiens consensus nec Religiosi nec eius Superiorum. Aderat quidem uterque consensus in actu professionis nulliter emissae; sed emissa professione, cum nec Religiosus nec Superiores aliquid de illius nullitate suspicen-* tur, actus qui postea sequuntur, non amplius continent, ut necessarium esset, intentionem profitendi, aut ad professionem admittendi. Fiunt enim isti actus ex suppositione quod professio iam existat et valida sit, non vero intentione inducendi professionem, cum iam inductam esse supponant. Igitur secundum istos Doctores, plane deest in casu consensus ad professionem tacitam inducendam certi sime necessarius.

Adest etiam tertia sententia, quae distinguit quodammodo inter praecedentes. Secundum Fagnanum aliosque Doctores ad solvendum dubium propositum, oportet sedulo considerare, quid fecisset Religiosus, et quid Superiores, si nullitatem professionis cognovissent eo in momento, quo completur tempus legitimum. Si nullitatem animadvertentes, nihilominus professionem emittere et recipere in eo momento voluissent, tunc iuxta hanc sententiam, statim professio tacita inducitur, quia ex utraque parte sufficiens adest consensus. Si e contra, cognoscentes nullitatem, professionem emittere aut recipere noluissent, tunc professio tacita nullatenus adest ; quia deesset legitimus consensus ad professionem necessarius. Rem illustrat, exemplo. - **Si** superiores qui ante professionem expressam cum Novitio mitissime agant, facta autem professione, illum regant in virga ferrea, ita ut Novitius vinculo professionis adstrictus pene ad desperationem adducatur, certe quando postea completur aetas legitima, si sciret Novitius professionem suam expressam *nullam* fuisse et esse, statim ad saeculum, relicta Religione, evolaret. - Item ponatur, quod Novitius ante professionem dissimulans, humiliter et obedienter se gerat in omnibus : statim vero, professione facta, se insolentem exhibeat, certe, quando tempus legitimum completur, si superiores sciient, professionem expressam *nullam*

fuisse et esse, illum statim ad saeculum remitterent. - Secus in casibus contrariis. - Et sic ista tertia opinio conciliare perten! at oppositas Doctorum et Tribunalium sententias.

Quaerit 2. utrum validitas, seu potius convalidatio dictae professionis votorum simplicium adhuc sustineri valeat post Decretum diei 12 Iunii 1858 in cuius finé haec habentur : « XI. *Ad* VALIDE *emittenda vota solemnia post vota simplicia* » *requiritur professio* EXPRESSA *et ideo* PROFESSIO TACITA OMNI- » NO ABROGATA EST. >

Ad quaestionem consultor *Ne g a live* respondit, et per consequens votum pro nullitate professionis tam simplicis quam solemnis emittit.

Et re sane vera, undenam Canonistae deducebant convalidationem seu ratificationem expressae professionis nulliter emissae ? Certe ex hoc, quod interveniente postea professione tacita, in momento, quo complebator tempus legitimum, haec professio vere valida, prioris professionis nullitatem sanare intelligebatur. Atqui hodie « PROFESSIO TACITA OMNINO ABROGATA EST. » Ergo in casu, haec professio non existit, nec potuit aliquem effectum habere, nec sanare priorem professionem, proindeque haec professio remanet invalida, prouti invalida et nulla est professio solemnis, quae ex Decreto diei 7 Februarii 1862 non subsistit, nisi elapso integro triennio ab emissione votorum simplicium. Ergo confirmanda est sententia, a qua coram hac S. Congregatione appellatur.

At obiicit Defensor : haec verba « *Professio tacita omnino abrogata est,* » significant quidem professionem tacitam non posse subsistere *per se solam :* non autem significant professionem tacitam non posse subsistere, si subsequatur et convalidet professionem expressam antea nulliter emissam. Hanc autem propositionem defendit ex analogia quam professio, quae est matrimonium spirituale, habet cum matrimonio carnali. Nonne constat, subdit ipse, quod Concilium Tridentinum matrimonia *clandestina* penitus annullavit ,.t irritavit ? Per hoc significatur , quod matrimonium totaliter et ex omni parte clandestinum amplius non sustinetur. Si autem matrimonium publice, prout iuris est, iam fuerit celebratum, sed nulliter et

invalide propter occultum defectum consensus legitimi, et si postea privatim ponatur isto consensus, statim, in momento huius positionis, fit matrimonium clandestinum validum, Tridentino Decreto non obstante, ita ut partes non teneantur ad matrimonium iterata vice coram Parocho celebrandum. Nec ista sanatio prioris matrimonii locum habet tantummodo in *unico* casu, quo matrimonium publicum nullum sit propter defectum consensus legitimi, sed etiam in aliis casibus nullitatis ; docent enim Doctores, sublato impedimento, quod fuit causa nullitatis, et perseverante partium consensu, matrimonium nulliter contractum (sic volente Ecclesia) statim convalidari, absque...ulla nova celebratione coram Parocho et testibus. - Applicetur haec doctrina matrimonio spirituali, quod est professio religiosa. Sublato impedimento et perseverante partium consensu (idest religiosi et superiorum), statitn professio nulliter emissa, convahdabitur, non obstante Decreto novissimo, quod debet intelligi non *absolute,* sed *moderate,* iuxta interpretationem Decreti Tridentini circa matrimonia clandestina.

At valetne talis argumentatio? Videtur quod non, etenim 1. inter matrimonium et professionem adest quidem aliqua analogia, non autem omnimoda paritas, quare nimis infirma est illatio ab uno casu ad alterum.

2. Sensus quo intelligi debet Concilium Tridentinum, per Doctorum conclusiones, per decisiones Tribunalium, et per Sedis Apostolicae oracula traditur, ita ut pro certo admitti debeat interpretatio communis et consueta, licet fortasse verbis Concilii Tridentini prima fronte contraria videretur. Verum nulla suppetit Doctorum sententia, et S. Sedis decisio, ex qua vel minimum appareat, quod particula praedicti Decreti intelligi debeat contra sensum eius clarissimum, ac manifestissimum « *Professio tacita OMNINO abrogata est.* »

3. Licet plures Auctores extendant convalidationem occultam matrimonii nulliter contracti, non tantum ad casum nullitatis provenientis ex defectu consensus, sed etiam ad casum nullitatis provenientis ex alio delectu occulto qui probari non potest, nullus tamen Auctor est, qui ausus sit hanc convali-

datione™ occultam extendere ad casum nullitatis provenientis ex defectu, qui verosimiliter externe probabitur (S. Ligorius lib. IV. n. IV.). Iamvero in themate agitur de defectu, qui non tantum verosimiliter externe probabitur, sed qui de facto, ut patet, externe et invicte probatus est. Ergo argumentatio exposita nihil valet.

4. Abrogatio professionis tacitae, de qua in supralaudato Decreto, debet intelligi non *partialiter* et *restricte,* ut vult Defensor, sed *simpliciter, absolute et universaliter.* Quid enim per hanc novam ordinationem voluit obtinere SS. D. N. Pius PP. IX? Profecto, voluit efficax tandem afferre remedium dubiis, quae ex tacita professione saepe oriebantur, cum in infinitum dubitari possit circa naturam et existentiam horum actuum, qui sunt inductivi tacitae professionis, et magis adhuc circa naturam et existentiam consensus interni et reciproci, qui procul dubio ad validitatem professionis tacitae requiruntur. Si dicta clausula intelligatur *absolute,* statim efficax habetur remedium ; si vero clausula debet intelligi *cum limitatione,* non de omnibus, sed tantum de *quibusdam* casibus, qui nullatenus in Decreto indicantur, et qui explicari debeant ex analogas valde incertis a matrimonio carnali deductis, nemo non videt, quod dubitationes antiquae non terminantur, sed e contra per novam difficillimam dubitationum seriem augentur. Unde remedium a sapientissimo Pontifice porrectum nihil prodesset, nisi ad inconvenientia multiplicanda. Ergo Decretum est intelligendum sicut verba sonant, idest *OMNINO absolute, simpliciter.* Ergo non convalidatur professio expressa votorum simplicium, atque adeo professio suo caret fundamento.

Etiamsi haec penitus non admitterentur, attamen evidens est sententiam quae lenet pro convalidatione professionis, saltem notabiliter ex recenti Decreto vulnerari. Atqui ante Decretum haec sententia non erat certa,- sed tantummodo *probabilis.* Ergo post Decretum, si non falsa, saltem *improbabilis* dicenda est, neque ad casum nostrum applicanda.

Accedit denique ad tertiam voti partem, in qua sustinet, quod etiamsi casus foret dubius, adhuc tamen sententia ferri deberet pro - nullitate professionis'.

Considerandum est enim, quod onus vitae religiosae debet procul dubio ut gravissimum iudicari, cum certum sit, quaelibet vota, etiam perfectissima ac difficillima posse pleno iure a vovente in ingressu::! Religionis commutari. Ut ergo tantum pondus reluctanti et contradicenti imponatur, *certo* constare debet, illum esse ad tantum pondus ferendum absque dubio obligatum.

Nec valet subsumere, Religionem etsi laboribus plenam, abundare tamen bonis spiritualibus, iter praebere tutissimum ad praemia coelestia obtinenda ; et per consequens , illum, cui imponitur permanentia in Religione, ex hac obligatione non gravari. ~ Haec enim commoda vitae religiosae vera sunt, et verissima pro illo qui sponte et laetanter in Religionis mancipatu perseverat. Sed, cum agatur de Religioso, qui egressum exoptat, et longam difficultatum seriem ferre paratus est sub spe tandem obtinendi definitivam pro nullitate suae professionis sententiam, pro viro ita disposito, vita religiosa non habet nisi cruciatus et aerumnas, et nedum facilius supernam ducat ad Patriam , sed forsan periculosior efficitur, quam ipsa libertas, qua fruuntur saeculares. Hinc si non potest haberi *certitudo* validae professionis, nec decet, nec aequum est, tantum onus invitis humeris imponere iuxta sententiam Gregorii Nazianzeni : *Si res dubia est, vincat humanitas et fragilitas* (Or. 39).

Accedit etiam aliud notatu dignum , quod scilicet cum habeatur sermo de vita religiosa, Ecclesia difficilis est ad libandum, facilis ad solvendum.

Quapropter in casu pro nullitate standum esse concludit.

PRO VALIDITATE PROFESSIONIS. Defensor ex officio deputatus in primis animadvertit, quatuor fuisse episcopales Curias quae in redigendo processu partem habuere : et quamvis duae ex his eas omnes solemnitates rite observaverint, quae a iure exiguntur, attamen non ita iudicandum de aliis, cum contra praescripta Benedictinae Constitutionis defensorem professionis in omnibus iudicialibus actibus citare, examinique testium praeficere neglexerint. Hinc processum, et sententiam dependenter ab eo prolatam insanabili nullitatis vitio infectam diiudicat.

His ab extrinseco adnotatis ad expendendae digreditili- rationes intrínsecas, quae professionem Fr. Caietani G. tanquam validam suadent. Revera, inquit ipse, Concilium Tridentinum in Sess. 25. Cap. 15. de Reg. exigit ut nemo ad professionem admittatur fiisi decimum sextum aetatis annum expleverit. Cum vero experientia edoceret non id sufficere ad removenda gravia incommoda, ac dubia quae saepe sumoriebantur circa validitatem professionis, SSmus D. N. Papa Pius ÍX Litteris Encyclicis diei 19 Martii 1857 sapientissime praescripsit, ut professi nonnisi post triennium a nuncupatione votorum simplicium, solemnem professionem ederent. His praeiactis contendit defensor aetatis defectum nullatenus suffragari Caietano G. siquidem cum ad professionem solemnem aetas novemdecim annorum requiratur, ipse solemnia vota nuncupavit die 10 Ianuarii 1869 ; atque ideo non solum in aetate canonice praescripta constitutus, sed vigesimo anno iam uno mense et 12 diebus expleto ; omnia ergo ea observata sunt, quae in praefatis Litteris Encyclicis fuerunt sancita. Nec opitulatur oggesta difficultas exinde petita, quod nullitas votorum simplicium, nullitatem secumferat professionis solemnis. Scitum enim est, quod quemadmodum tyrocinium, ita votorum simplicium professio, nihil est aliud quam *via* ac *medium* ad solemnem professionem ineundam. Atqui ubi lex formam aliquam praescribit ad actum definitivum, profecto si ipsa forma aliqua ex parte vitietur, non reddit irritum actum finalem, dummodo rite fuerit perfectus ; et quando forma respicit certum effectum , sufficit eam adimpleri per illud aequipollens per quod ille effectus resultat. *Card. De Laca de f nid. Dis ep. 87. n.* 5 *Rota Decis. 306. n. 5 et seqq. coram Merlino.* Ergo concludit validam renuntiandam professionem Fr. Caietani G.

At dato etiam quod nullitas votorum simplicium influeret in professionem solemnem, atque adeo actus uterque tamquam nullus esset habendus, profecto ipsa permanens commoratio a Fr. G. post solemnem votorum nuncupationem in Instituto protracta omne vitium sanasset, professionem que convalidasse. Verum quidem est ad emittenda vota solemnia post si -

plicia requiri *expressam* professionem atque *tacitam* fuisse prorsus abrogatam, at id vim habet in casu quo quis post emissa vota simplicia, ideo solum religiosum esse contenderet, quia per plures annos officia religiosa obiisset. At in themate contrarium evenit cum solemnis professio fuerit regulariter facta : quare si illegitimitas votorum simplicium adducitur propter aetatis defectum, controversia dirimen.la est iuxta regulas vigentes ante promulgationem Litterarum Encyclicarum 1857, et Declaratoriam an. 1858. iamvero, inquit Defensor, iuxta has regulas siquis professionem solemnem emisisset sine aetate canonica, defectum sanabat si per annum religiosum habitum detulisset ac munia professorum explevisset, ita enim praesumebatur nullitati renuntiasse ac irritam professionem ratam habuisse. Ad rem Bardoni de Prof. Rei. Cap. 1. q. 17. - ibi : « Si quis iuvenis praemisso novitiatus anno pro- > fatetur ETIAMSI DECIMUM SEXTUM ANNUM non expleverit, sine » dubio eius professio nulla est ob impedimentum aetatis. > Eo VERO TEMPORE TRANSACTO cum non amplius adsit im- » pedimentum, sed adsit legitima aetas, sicut potest rite pro- » uteri, ita professionem nullam ratificare. »

Tandem animadvertit Defensor a veritate alienum nec facile credibile existimandum esse quod fr. Caietanus G. aetatis propriae defectum ignoraverit; atque ideo pro validitate eius professionis omnino standum esse existimat.

His aliisque in medium adductis propositum fuit resol vendum Dubium :

An et quomodo sit confirmanda vel infirmanda sententia Curiae Episcopalis in casu ?

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Episc, et Regul. die 6 Februarii 1874 rescribendum censuit « Supplicandum SSmo pro dispensatione ad cautelam. »

EXINDE COLLIGES :

1. Nullam esse ac irritam professionem votorum solemnium iam scienter quam ignoranter emissam, nisi prius per

triennium integrum non permanserit quis in professione votorum sjmplicium.

2. Ád valide emittenda vota solemnia post vota simplicia requiri professionem expressam, et ideo tacitam omnino fuisse abrogatam.

3. Tacitam vero professionem non posse subsistere non tantum per se solam, verum etiam si subsequatur professionem expressam antea nulliter emissam.

4. In dubio an professio emissa valida sit vel non, standum esse pro libertate.

O R A T O R I I

***Die i Maii*** *1874.*

c <mi¡>eiitiitiiii «'««'Ss. Extat in civitate P. vastum terrae spatium muris undique septum, cui aditu - putei per grande ostium, ex latere patefactum ipsius civitatis forum prospectante. Locus hic, ad quem populus convenerat, ut publicis spectaculis interesset, vocatur *arena.* Infra huius arenae spatium , et praecise contra descriptam ianuam adstat baronale palatium , et prope ipsum valde elegans exurgit sacellum , quod pietas Henrici Serovegno, quarto ineunte saeculo, a fundamentis erexit.

Hoc autem sacellum decoratum voluit turri campanaria, necnon tribus aris marmoreis fixis, et percelebris *Giotto* picturis, dedicatumque B. Virg. Mariae sub titulo charitatis. Divini vero cultus incrementi sollicitus Henricus mandavit, ut praepositus una cum tribus sacerdotibus divina ibi peragerent officia, proindeque personali residentia essent adstricti, *qui praepositus,* sunt verba fundatoris, *cum presbyteris, clericis, et familiaribus ibi semper facere teneat residentiam personalem.* Hinc factum est, ut vertente anno 1308, dicto praeposito de consensu territorialis parochi, animarum cura infra arenae limites inhabitantium, commissa fuerit, annuente Episcopo. Considerans autem pius fundator Ecclesiarum institutores ad eas dotandas teneri, bona eidem assignavit, ea tamen lege, ut numquam alienari possent, etiam de Pontificis consensu : *infrascriptas possessiones,* ita instrumentum dotationis anni 1317, *et bona, assignavit, dedit, tradidit in dotem , et possessionem liberam et perpetuam, ita quod non* ***possint*** *possessiones pignorari, vendi, donari, etiam cum licentia Summi Pontificis.* Tandem ius praesentandi sibi, suis-

que haeredibus reservavit. Hanc dotationem una cum peractis reservationibus ultro Episcopus acceptavit, auctoritateque sua sancivit.

Verumtamen anno 1443 huius familiae bona, excepta Ecclesiae dotatione, publicata et divendita fuere a Moderatoribus Venetiarum reipublicae propter Iacobi Serovegno infidelitatem, quae progressu temporis una *cum omni sua pertinentia et patronatu dictae Capellae* ad fratres Foscari pervenerunt. Porro cum hi de iurispatronatus continuatione dubitassent, quod a Iacobo Serovegno amissum propter eius infidelitatem putabant, ut tutius hac in re procederent, eius continuationem expostularunt, obtinueruntque a Summo Pontifice Xisto IV Bulla diei 15 Maii 1476. Interea scitu dignum est huiusmodi Oratorium Episcopi visitationibus fuisse subiectum, in quarum relatione peragebatur: « *Visitavit Oratorium publicum sub liticlo S. Mariae de Arena,* » quin imo, et uti tale habitum fuit a civili potestate luctuosis temporibus italici gubernii.

Huiusmodi iuspatronatus in praesens gaudet familia G. quae dictum oratorium uti privatam proprietatem reputans, divendere in animo habebat: obstiterunt sed vero municipes, et ad curandum tam insigne artis monumentum votum *consilii status* expetierunt, in quo voto concludebatur: 1. Ecclesiam dictam de Arena esse Ecclesiam publicam; 2. suppressionis legi non subiici, eo quia succursalis existat Paroeciae Sanctorum Philippi et Iacobi eiusdem civitatis, proindeque divino cultui aperiendam esse, et fabriceriae praedictae paroeciae tradendam. Quapropter, labente Septembris mense anni 1869 et praecise die 29, armata manu in eius possessionem immissa est laicorum commissio, cui adiunctus fuit Ecclesiasticus vir a Curia deputatus. Perdoluit hac de re familia G. et penes Patriarchalem Curiam conquesta est expostulans, ut decerneretur 1. praefatam Capellani privatam esse proprietatem, 2. immunem a quacumque ecclesiastica iurisdictione sive parochiali, sive Episcopali, 3. iniungendum esse Parocho SS. Philippi et Iacobi, ut abstineat a quocumque exercitio parochiali super praefato oratorio.

Lis ergo ita contestabatur coram Patriarchali Curia; quae visis de iure videndis definitive sententiavit 1. Sacellum sub titulo S. Mariae de Charitate in Arena consistens publicum esse Oratorium, et absolutae proprietatis ecclesiasticae, proindeque *2.* reiiciendam actorum instantiam, quos 3. damnavit ad litis expensas solvendas Hanc sententiam aegre ferens familia G. formalem interposuit appellationem penes tribunal Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium negotiis praepositae, quae accepto huiusmodi libello, et omnibus de more peractis causam disceptandam proposuit in pleno EE. PP. auditorio sub dubitandi formula in calce exscripta.

**Disceptatio syii«»¡»tica.**

DEFENSIO CURIAE. Patronus, qui Curiae iura protuetur, primo loco ostendere satagit capellani in casu publicum , et minime privatum esse oratorium. Quod ut evincat praeprimis monet Ecclesiae nomine locum venire ab auctoritate Ecclesiastica divino cultui sacrum, ideoque ab actione commerciali prorsus immunem ad tradita per *Gonzalez ad reg. 8. Cariceli, gl. 5, n. 26.* Atqui sacellum in casu, uti publicum devotionis locum semper habitum fuisse, nedum demonstrat instrumentum dotationis anni 1317, ubi habentur haec verba: *in honorem, et reverentiam praefatae Virginis genitricis Dei, et Domini nostri Iesu Christi etc,* verum etiam palam fit ex ipsius fundatoris voluntate, qui ad effectum, externum cultum promovendi, inibi ministerium Ecclesiasticum constituit , quod sane non habetur in privatis sacellis. Ergo cum publicum ab initio extiterit, privata auctoritate statum immutare non valet, praesertim cum istiusmodi loca propria fiant Ecclesiae Dei, et nullimode ad privatum patrimonium spectare possint ita *Bonifacius quaest. Ii, causa 12, cap. 3. Fagnan. in 2 p. 3. lib. decret, tit. de censibus cap. auctoritate 'n. 22 ei 28. De Luca Misceli. Eccles. Discept. 1, n. 33.*

Ad roborandum vero huiusmodi argumentum inscriptionem dedicationis illius sacelli profert patronus, excerptam ex libro Soardeonis, cui titulus *De antiquitate Urbis P.* in qua perlegatur ; « Sed de Scrovegnis Henricus miles honestum conser-

» vat animum, facit hic venerabile festum. - Namque Dei ma-
» tri templum solemne dicari. - Fuit ut aeterna possit mer-
» cede beari. Cum locus iste Deo solemni more dicatur. »

Urget praeterea publicitatem capellae demonstrari ex pia fundatoris destinatione, oblationes ibi factas reservando fabricae necessitatibus, et ornamentis : inquit enim fundator « oblatio-
» nes recolligi, et conservari debeant per personas deputatas a
» Praeposito, et in fabrica, atque necessitatibus, et ornamentis
» ipsius Ecclesiae, et sacris distribui, atque expendi. » Quare ex hoc factum esse prosequitur, ut una cum turri campanaria extructam fuerit oratorium ad effatum fideles ad sacra audienda convocandi, quae adstare prohibetur in oratoriis privatis per dispositionem *text. in cap. 10. tit' de. privileg.* Quin imo, et alia adiuncta ad eius publicitatem probandam nullimode deesse videntur, praeter enim turris erectionem, tribus lapideis aris inamovibilibus sacellum constat, quibus notis oratorium publicum ostendi testatur *Pignaf. tom. 1, consult. 92, n. 7 et 9* ibi:
« Constare debet, quod in Ecclesia sive oratorio publico sit al-
» tare lapideum... necnon constare de campanile, et campana,
» quae proprie ad Ecclesias, et oratoria publica pertinent. » Quod si hisce omnibus addas solemnitatem anniversariam imaginis, cui capella est dedicata, necnon processionem a civitatis statutis in hoc sacello praescriptam, concurrentibus auctoritatibus, tam civili, quam ecclesiastica loci, prono veluti alveo fluit de capellae publicitate non esse ambigendum. Absonum enim est a sacris canonibus publicas peragi processiones in oratoriis privatis «certum est quidem et nostris praeceptioni-
» bus constitutum, ne quis in Ecclesia, aut in oratoriis pri-
» vatis, quod Sedis nostrae non legitur permissione dedicatum
» processionem publicam putaret impendi, ne conditores fur-
» tivis subreptionibus contra regularum statuta prosilirent »
*c. certum est de consecrat, dist. i.*

Neve oggerendam, prosequitur patronus, deficientiam documenti consecrationis praefati Oratorii ; quamvis enim actus iste deperditus fuerit in combustione archivii Curiae P., tamen ad eam demonstrandam aequipollentes non desunt probationes. Revera habito prae oculis dotationis instrumento anno 1317 peracto

*in Episcopali palatio in camera Ven. Patris Laguni Dei grafia Episcopi P.* de primitiva consecratione hisce verbis mentio habetur: € D. Henricus Scrovegnus considerans se aedificasse Ec-
> clesiam in civitate P. in loco sito de Arena, et quod funda-
» tores, et institutores Ecclesiarum ipsas dotare tenentui, quod
» si omissa fuerit tempore primarii lapidis, et tempore conse-
» orandi, potest tempore quolibet ipsi Ecclesiae dos constitui. »
Ex quibus clare apparet de sacelli consecratione non esse dubitandum, secus enim nec fundator fuisset ita loquutus, nec Episcopus prolato actui propriam addidisset auctoritatem.

Fortius in themate hanc praesumptionem admittendam esse contendit patronus innixus auctoritati *Pignatell. tom. 1, consult. 92, n. 24,* ubi praelaudatis auctor inter caeteras notas ad oratorium publicum definiendum, visitationem ponit Episcoporum ibi : « vel si visitatum appareat ab Episcopo, cui non
» competit proprium ius visitandi oratoria privata, licet possit
» ad illa accedere, ut videat quomodo se habeant, et an bene
» tractentur... Ex visitatione autem Episcopi non potest intel-
» ligi oratorium privatum tum quia hoc non subest visitationi
» Episcopali... » Atqui in facto est Episcopos, vel eorum Vicarios Generales visitationem oratorii controversi peregisse, quare de eius publicitate nullimode dubium oriri potest ; scitum enim in iure est privata oratoria Episcopali iurisdictioni non subiici :
« Privata oratoria non esse sub potestate Episcopi quoad ius
*y*> exigendi procurationem et consequenter nec quoad ius visi-
» tandi, quia procuratio de iure est annexa visitationi. » *Fagnan. in cit. cap. auctoritate n. 2.* Unde si publica non extasset capella, Ordinarii, Praeposito Curam animarum in arenae ambitu inhabitantium etsi ad familiam Serovegno non pertinerent, non commisissent, quare factum est, ut anno 1476 uti Parochialis habita fuerit teste recitata Bulla Xisti IV. ibi *Infra cuius lirnites, seu situm Parochialis Ecclesia sub vocabulo S. Mariae de Arena fundata etc.* ac uti publicam Ecclesiam non modo reipublicae Venetiarum moderatores eam perspexerunt, verum etiam et ipsum gubernium italicum. Quapropter si tabulae censuariae perspiciantur anno 1811 peractae, apparebit profecto eam reputatam esse inter loca sacra infra

limites Paroeciae SS. Philippi et Iacobi existentia, et illius paroeciae succursalem declaratam fuisse.

Levioris momenti portendit patronus difficultatem in prima actorum instantia allatam, oratorium scilicet ut publicum sit, publicam ianuam in via habere debere teste Devoti *Tnstil. Canon. lib. 2, tit. 7, sect. 3, §. 32.* ibi « Publicum » e<t *oratorium,* quod publicam habet ianuam, et quod cuivis e populo patet; privatum, quod in privatis domibus, et » quod domini arbitrio constituitur. » Pul (licitas namque loci non dependet ex ianuae positione, sed ex facultate unicuique facta ad ipsum accedendi. Parum enim, vel nihil interest utrum ingressus sit in publica via. vel in atrio, dummodo tamen *cuivis de populo pateat.* Quam theoriam firmavit pluribu oratoriorum allatis exemplis, praecipue vero capella S. Aniceti in Urbe, quae licet intra. Altempsiani palatii ambitum locata, nihilominus publicam esse liquet. Transitus autem per atrium ad oratorium accedendi causa numquam a patrono prohibitum, nil aliud ostendit, quam ius transitus a prima erectione ad fideles pertinens, quodque a successoribus servari debet.

Ad roborandum huiusmodi argumentum plures Sacrarum Congregationum resolutiones .adduxit excerptas a *Ferraris Bibliot h. can. sub verbo Oratorium* in quarum vim praecitatis auctor sub *n. 86* statuit quod oratorium non cessat « esse » publicum, etiamsi habeat ianuam in anteriori atrio, seu » cortili palatii ex decreto S. Congreg. EE. et RR. in Os» tunen. 20 Martii 1798 et S. Congreg. Concilii in Campsana » 11 Maii 1704 et 8 Aug. 1705» in quarum postrema constare iudicatum fuit de oratorii publicitate ianuam habentis in atrio *intra septa palatii.* Consti ta itaque loci publicitate ostendere profuetur orator, tam fundatorem, quam successores iure praesentandi super praefata capella gavisos fuisse non vero iure proprietatis. In instrumento enim dotationis haec h - bentur : « Quod ibi debeat semper esse praepositus institutus, » per ipsum dominum Henricum per suos haeredes praesenta> tus, quam praesentationem Praepositorum, qui instituendi in » ipsa Ecclesia, faciat iure et nomine patronatus in se suosque

> haeredes, aut cui iura sua concesserint, retinet, et retinere » intendit. » Iamvero indubii iuris est iuspatronatus existere non posse nisi in locis fundatis cum consensu Ecclesiasticae auctoritatis *text. cap. 15 de Iurep.* Cui concinunt DD. praecipue *Vivian, in praxi Iurisp. lib. 3, cap. 1, de Iurep. n. 38.* ibi « Competit iuspatronatus in oratorio religioso, et fundato » cum consensu Episcopi, quod non intelligo de oratorio pri- » vato existente in privata domo alicuius. » Facto autem ostendit has nominationes peregisse tum familiam Serovegno, tum ceteras, ad quas huiusmodi ius pervenit. Tandem patronus inviolabilitatem sacelli non modo uti publici templi, verum etiam uti paroeciae succursalem defendere nisus est, quod variis probavit historiae punctis.

EA QUAE PROSTANT FAVORE FAMILIAE G. Ex adverso contendebant patroni familiae G. controversum oratorium non esse publicum, sed privatum. Hoc autem ut demonstrarent, aiebant publicum non esse oratorium nisi illud *quod publicam habet ianuam et quod cuivis e populo patet Devoti loc. cit.* Ad quod declarandum proferebant ea quae leguntur in causa *Coimbrien.* penes S. C. EE. et RR. agitata in qua qualitates essentiales ad oratoria publica constituenda descriptae reperiuntur, — ibi - « quae sunt de licentia Episcopi erecta in loco publico, a pri- » vatis domibus ita reserata , ut per eas ad illa ire minime » possit, nec fenestrae in domibus sint per quas in oratorium » prospectus habeatur, liberque accessus a via publica cunctis » pateat. » Atqui tam topographica sacelli descriptio, quam clausi cancelli haec requisita minime praeseferunt. Qua in re concordare propugnabant praxim eiusdem Sacrae Congregationis, allatis duabus decisionibus, quas refert *Monacell. tom. 5, tit. 5, form. 2, n. 6 et 7.* Quo in loco praefatus auctor, postquam firmavit publica oratoria subiici pastorali visitationi quaerit: *An dicatur ad hunc effectum oratorium publicum, si reperiatur constructum intra cortile palatii,* et auctoritate innixus Sacrae Congregationis EE. et RR. in causa *Neapolitana* respondit: « Cum fuisset dubitatum, si prohibitio Con- » cilii procederet pariter in oratorio existente in cortili, fuit » dictum quod non, ex quo non potest dici oratorium adesse

» inter domesticos parietes, maxime cum habet aditum pu-
» blicum ; appellatione enim domus non venit cortile. * Et referens praeterea casum huic valde affinem in una Ostunensi, in qua agebatur de interdicto lato ab Episcopo in publicum oratorium in palatii atrio situm, cum existimasti visitationi esse subiectum, recurrente Barone, edita fuit huiusmodi resolutio, teste ipsomet auctore *loc. cit.* ibi: « S. Congregatio Epi-
» scoporum ad quam Baro recursum habuerat proponente Emi-
» nentissimo D. 20 Martii 1698 rescripsit : *praevia remotione*
» *valvarum* impedientium ingressum in cortile, vel aperto ostio
» Oratorii in viam publicam, et clauso omni aditu ab Eccle-
» sia ad palatium, et interdicto incongruo usu cubilis supe-
» rioris, Episcopus procedat ad exsecutionem Brevis remoto in-
» terdicto. » Ex qua resolutione descendere videbatur Sacram Congregationem adiectis clausulis *praevia remotione valvarum etc. vel aperto* **ostio** *Oratorii in viam publicam,* declarare voluisse, oratoria.n non subiici Episcopi iurisdictioni, nisi prius remotae fuissent valvae custodientes ingressum in atrio palatii, aut novum ostium ex via publica ad ipsum oratorium patefactum fuisset, ita ut haec requisita necessaria existimaverit ad illud publicum declarandum. Quapropter nullius momenti putabant patroni difficultatem ex eo ortam, quod in controverso oratorio tres arae lapideae extarent, cum nulla adsit canonica lex id vetans in oratoriis privatis. Multoque minus adversarios iuvare posse censebant praesentiam campanilis cum campana, cum id a fundatore peractum fuisset in commoditatem, praefatum arenae circuitum habitantium. Quod si Coelestinus Papa III *in cap. 10 de privil.* prohibuit ***in** privato oratorio publicam campanam retineri,* tamen nec statutum voluit ex hoc signo oratorium publicum dici, nec vetare voluit privatum campanarum usum. Argumentum autem ex processione annuali desumptum, nullius roboris facile deprehenditur, si attendatur, et in domini potestate fuisse illam permittere vel prohibere, pro suo lubitu ostium arenae, sive claudere, sive reserare valentis.

Negabant praeterea arenae sacellum fuisse parochialem ecclesiam, 1. quia documenta ad probandam hanc fundationem,

canonicam erectionem, et relativam dotem omnino desiderantur, 2. quia deficerent conditiones *taxative* a sacris canonibus're-quisitae ad validam paroeciae erectionem. Revera praescribitur in *cap. Unio IO, q. 3:* « Ut Ecclesia, quae decem habuerit > mancipia super se habeat sacerdotem, quae vero minus de-» cem mancipia habuerit aliis coniungatur Ecclesiis. » In facto autem decem habitationes infra arenae ambitum numquam extitisse compertum est, sed tantum baronale palatium, una cum duabus domunculis ; hinc dici nequit paroeciam constituere, commissionem curae illarum animarum praeposito sacelli tributam ab Episcopo de consensu territorialis parochi, sed tantum simplex- privilegium, cum tam parvus animarum numerus insufficiens esset ad stabiliendam *de iure* paroeciam. Deesse praeterea qualitates, arguebant, ad verum beneficium ecclesiasticum sanciendum , nam neque praepositus infra arenae limites morabatur, neque Ecclesiae speciales redditus erant assignati ad eius dotationem efformandam, praepositus namque congruam suae vitae sustentationem percipiebat ex canonibus, et locationum proventibus, ad libitum quoque domini moderandis, alia bona assignando praeposito. Hoc adeo verum est, ut Venetiarum reipublicae moderatores anno 1443, quando bona Scrovegni publicata fuere, decreverint *quod pro dote Ecclesiae S. Mariae de charitate de Arena dentur, vel remanere debeant eidem ecclesiae Sanctae Mariae omnes domus de arena, quae sunt extra, arenam.* Age vero si bona *taxative* pro Ecclesia erant assignata, haec provisio inutilis prorsus evasisset.

Quapropter vanum fulcrum in Iuspatronatus Curiam invenisse patroni putabant. Iuspatronatus enim, cum sit *Ius, seu potestas praesentandi clericum ad beneficium ecclesiasticum vacans Reiffenst. lib. 3, Decret, tit. 8,%. 1, n. 3,* subsistere non potest deficientibus dotatione, canonica erectione, et consequenter ecclesiastico beneficio. Ex quibus omnibus plane concludebant Bullam Xisti IV vi cuius noviter super capellani iuspatronatus concedebatur obreptionis vitio laborare, quia fratres Foscari exposuere Pontifici 1. oratorium esse publicum, 2. ecclesiam esse parochialem, ac tandem 3. esse beneficium subiectum iurispatronatus exercitio.

Haec sunt quae a partibus allata reperiuntur. Verumtamen ex officio duae decisiones S. Congregationis Concilii in medium prolatae sunt, quae huic speciei cohaerent. Prima est causa Vercellensis diei 3 Aug. 1675, cuius haec species. Episcopus Vercellarum ecclesiasticae disciplinae sollicitus occasione visitationis Sacrorum Liminum ad Sedem Romanam, ad quam omnes ecclesias oportet convenire, retulit. inter cetera moleste ferre unum esse « in castro Castellenghi orato-
» rium, quod licet cunctorum rusticorum pietati pateat, ta-
» men intra moenia ipsius castri soli dominorum familiae
> inservit, et continuo nocturno tempore, etiam hisce diebus
» pacis clauditur ianua ; hoc addito quod etiam in diebus
» festis solemnioribus » celebrabatur Missa renuente Parocho. Comites dicti Castri moniti ab eo fuerunt ut se abstinerunt in huiusmodi festis solemnioribus ad praescriptum consuetae concessionis, sed nulla obedientia. Interrogatus praedictus dominus, sex ad sui defensionem produxit testes, ex quorum fide constabat « qualiter Oratorium, de quo agebatur, esset
» antiquissimum, omnibus commodum pro audienda. Missa...
» In dicto Castro prius fuere decem focularia, licet nunc re-
» dacta sint ad duo. Oratorium est sacra supellectili insti u-
» ctum, ab immemorabili nocte Nativitatis Domini celebrata
» fuit Missa solemnis ; Episcopi antecessores illud visit arunt,
» et in possessione reliquerunt, imo in eo R. P. Gloria sa-
» cramentum Confirmationis administravit, ab eo item dedu-
» citur solemnis processio, ac demum in eo reperitur erectus
» Prioratus, confirmatus per sententiam Ordinarii Vercellen-
» sis. Unde dictus Comes de Castellengo petiit declarari pu-
» blicum dictum Oratorium, et licere in eo celebrari etiam
» in festis solemnioribus iuxta solitum. Sacra Congregatio
» censuit Oratorium de quo agitur esse publicum. »

Altera est *S. Severi Oratorii' 20 Sept, 1845,* in qua de hoc casu disputatum fuit. Familia Sangro obtinebat Ducatum Turris maioris, ibique possidebat ducale palatium in arcis formam antiquitus aedificatum, alta, lataque fovea vallatimi, ac quatuor ad extremitates totidem propugnaculis conmmnitum. In interiori alterius ex his propugnaculis, oratorium extru-

ctum «rat, in quo erectum inspiciantur lapideum, ac fixum altare cum inscriptione *Altare privilegiatum perpetuum ;* prostabat quoque turricula cum sua campana, ut populus ad sacra vocaretur, quae etiam in solemnioribus festivitatibus, ac alísente duce peragi consueverunt; ostium vero, cum ob vallum extrinsecus patere nequibat, reseratum erat in aula magna, per quam ad oratorium aditum semper illius loci incolae habuerunt, quibus in more fuit inibi convenire, etiam pro sacro audiendo ut ecclesiastico satisfacerent praecepto. Cum igitur de eius publicitate dubitatum fuisset ad S. Concilii Congregationem habitus est recursus, ut hac in re suam panderet sententiam.

Porro antequam ad propositionem dubii deventum est plura ex officio digna notatu fuere, inter caetera autem sub §. *Verumtamen* peragebatur « quod si aliquando circa ianuam, pe-
» nes viam publicam dispensatum est, hoc ea indultum fuit
» conditione ut solemni, ac publico instrumento Dominus atrii,
» vel praedii prius sese obligaret ad liberum omnibus relin-
» quendum accessum, ac privatae suae iurisdictioni penitus
» renunciare! Fagnan. cap. In his (te privil. Gattic. de Orat.
» Dom. c. 3, n. 5, qui refert S. **C.** resolutionem diei 16 No-
» vembris 1636 lib. 13, decret, pag. 128. » Et inferius: « Ubi
» vero EE. PP. Oratorium de quo quaeritur publicum decla-
» raverint videant num sola consuetudo sufficere queat ad tu-
» tandam in posterum accessus publicitatem per aulam pala-
**ia** tii ; vel potius a principe exi.enda sit ea obligatio de qua
» superius mentio facta est, aut alia ratione providendum sit
» ad tramites S. Congreg. Episcoporum et Regularium in
» una Ostunen. 20 Martii 1698 » idest *praevia remotione valvarum.* Proposito itaque dubio - *An et quomodo oratorium situm in palatio Turris Maioris publicum sit declarandum in casu etc.* rescriptum fuit - *Affirmative cauto per Episcopum iuxta antiquam consuetudinem, ut liber omnibus relinquatur accessus ad oratorium salvis iuribus parochialibus**

Hisce, aliisque deductis pronositum fuit resolvendum

**Itubium.**

An et quomodo sententia Patriarchalis Curiae Metropolitanae sit confirmanda., vel infirmanda in casu?

RESOLUTIO. Sacra Congregat io Episcoporum et Regularium die 1 Maii 1874 respondendum censuit - Oratorium esse publicum, ot eccles) isticum.

EXINDE COLLIGES :

I. Oratorium publicum censeri. ubi comperiatur ab antistite consecratum fuisse, et divino cultui destinatum.

[I. Deficiente fundationis instrumento ad oratorii publicitatem arguendam, hanc ex coniecturis probari posse, quarum praecipua est si illius ostium locum publicum spectet, omnibus pateat et annexam habeat etiam turrim campanarum.

iii. Absonum tamen non esse, ut publica censeantur oratoria in atriis palatii sila, quando certa publicitatis signa inibi concurrunt, maxime si in illis aliquod ecclesiasticum beneficium fundatum sit.

IV. Inter signa autem quibus evinci potest oratorium publicum extare, etsi in atrio palatii situm . adnumerari eampanam cum campanile, quae in publicis oratoli is tantum permittitur, itera aliare fixum, Missae celebrationem in titularis festo diebusque solemnioribus, et visitationem eiusdem oratorii ab Episcopis factam.

V. Oratoria privata Ordinariorum visitationi non subiici ad effectum exigendi procurationem, cum de cetero possit Episcopus ad illa accedere ad effectum recognoscendi illorum statum et decentiam per viam sive denunciationis., sive inquisitionis.

***M.*** Publica oratoria quamvis sub dominio et potestate patronornm sint. tamen nec posse alienari, nec illorum statum proprio istorum marte immutari.

# EX S CONGREGATIONE SACRORUM RITUUÎI

## D E C R E T U M

### URB Ib* ET ORBIS

Ad cultum in Christiano Orbe augendum latiusque propagandimi erga auctum Bonifaeium Kpiscopum et Mai h rmi, qui Germánicas gentes aliosque finítimos populos ad Christi fidem perduxit, eujusque praeconium occurrit in -Martyrologio Romano Nonis Junii, plures Kmi et Rmi S. R. K. Cardinales,'et amplissimi diversarum nationum Episcopi e Germania praesertim et 4nglia, auspicatissima arrepta occasione sui in Urbe a adventus quum Dogma de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione a Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPA IX. fuit solemniter proclamatum, Immillimi* precibus eidem Sanctissimo Patri s.tipplicarunt, ut Officium Missamque praedicti Sancti Bonifacii tot ceteroquin nominibus insignis, et de Catholica Religione, deque hac Sancta Sede Apostolica adeo promeriti, ad universalem Kcclesiam Pontificia sua auctoritate dignaretur extendere. Aut nisi forte pro multa sapientia su i id congruum judiearet, ejusdi in saltem Officii et Missio recitationem loti Germaniae, totique Angliae vellet concedere, quod in aneto Bonifacio suum haec filium, suum alia veneretur Apostolum; reliquis \ ei o extra Germaniam et Angliam Dioecesibus, si illarum Kpiscopi duxerint, ea de re supplicandum.

Istiusmodi preces idem Sanctissimus Dominus Noster clementer excipiens, die 29 Martii 1855 indulsit, ut in tota Germania et Anglia quotquot Dioeceses concessionem Officii et Missae de Sancto Bonifacio Episcopo et Martyre ab Apostolica Sede nondum obtinuerunt, volentibus Episcopis, recitare amodo possint, induxitque praeterea ut extra Germaniam et Angliam a Sacra Rituum Congregatione eadem concessio tribuatur Episcopis, qui postulaverint.

Cum autem Episcopi Germaniae ad Oecumenicum Concilium Vaticanum convenissent novas instan ra runt preces, ut Officium et Missa Sancti Bonifacii ad universam extenderentur Ecclesiam; cumque hisce dein precibus accessissent etiam postulationes Antistitum Angliae et Hollandiae, Sanctitas Sua ut Sancti Bonifacii propitiam imploraret opem GermunLe Episcopis strenue pro Ecclesiae Catholi«

Cae caus i (íímícantíbus, necnon fidelibus eorum curae commissis ad fidem sincere retinendam, quam a Bonifacio acceperant, postulationes remisit peculiari Sacrorum Rituum Congregationi ut suam panderet mentem. Peculiaris haec Congregatio postulationum rationibus, necnon temporum adjunctis aeque perpensis rescripsit: ***Affirmative pro universa Ecclesia sub ritu duplici minori.***

huiusmodi Kescriptum, referente me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario, Sanctitas Sua confirmavit; indulsitque ut in universa Ecclesia Officium et Missa recitari et respective celebrari debeant juxta exemplar jsm a Sacra Congregatione approbatum sub ritu duplici minori die V. Junii in Martyrologio assignata; translato Officio eidem diei affixo, dummodo non sit majoris ritus, in i n seq u en tem primam diem liberam in singulis Kalendariis occurrentem; et dummodo Rubricae serventur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11 Junii 1874.

CONSTANTINUS EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERNEN. CARD. PATRIZI
S. K. C. PRAEFECTUS.

LOCO Sigilli

***Dominicus Bartolini S.R. C. Secretarius.***

# DECRETUM

## ROMANA

Celeberrima sane in Ecclesia est Sancti Justini Martyris memoria. Hic vanae philosophorum ethriicorum sapientiae pertaesus-, in Dominum .iesum Christum qui vera Sapientia est credidit; et primus post Apostolorum discipulos praeclarissimi ingenii sui lucubrationibus plurimum laboravit ut judaeos et gentiles ad eamdem christianam iidem amplectendam inducet et. Haereticos etiam insectatus est, teste Irenaeo, q¡ji plurima testimonia ex ejus Scriptis deprompsit. Philosophos calumniatores, qui Principum et populi odium in christianos incendebant, non tantum Scriptis evulgatis, sed et disputationibus publice habitis , mendacii et ignorantiae convicii. Demum iidem, quam strenue propugnava at, sanguine obsignans, martyrii coronam adeptus est. Merito igitur plures Emi et Rmi S. R. E- Cardinales, ct plusquam tercenti Sacrorum Antistites qui ex toto oibe terrarum ad Oecumenicum Vaticanum Concilium convenerant , supplicem Sanctissimo Domino Nostro **Pio** PAPAI: IX. porrexere libellum, quo postulabant ut inclitus Martyr Sanctus Justinus debito honore cum Officio et Missi in univeisa Ecclesia coleretur. Cum enim inter ceteros temporum nostrorum errores praecipuum teneat locum ***rationalisants ,*** qui omnem divinam respuens revelationem, rationi tantum humanae standum esse alii **i** mat, cujus viribus homines ad plenam veri et boni po sessionem jugi profectu conduci possunt; ideo spem fovent Venerabiles isti Antistites ut quemadmodum Reatus Justinus in terris degens philosophorum sectas profligavit, et apud Principes mundi hujus Ecclesiae causam fortiter egit, ita nunc caelesti gloria circumdatus errorum tenebras discutiat, eamdemque Ecclesiam validissimo suo patrocinio Deo commendet, feliciusque tueatur.

Sanctissimus Dominus Noster preces et postulationes benigne excipiens peculiari Sacrorum Rituum Congregationi negocium examinandum remisit. Haec peculiaris Congregatio omnibus rite perpensis rescribere censuit : ***Affirmative pro petentibus tantum sub ritu duplici minori.***

Hujusmodi sententiam a me subscripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario Sanctissimo I). N. fideliter relatam, Sanctitas Sua ratam habuit; induxitque ut Sacra Rituum Congregatio hanc tribuat concessionem Episcopis qui petierint. Mandavit insuper ut a Clero Urbis et ab iis omnibus, qui Kalendario Cleri praedicti utuntur, idem festum celebretur die XIV. Aprilis sub ritu duplici minori cum Officio et Missa juxta exemplar jam a Sacra Rituum Congregatione approbatum, servatis tamen Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 11 Junii 1874.

CONSTANTINUS EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITKRNEN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEFECTUS.

Loco Sigilli

***Dominicas fiartolini S. R. C. Secretarius,***

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII TRIDENTINI

## SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM.

*Die 28 Februarii, 28 Martii, 25 Iulii 1874.*

humiliari» precum». Rmus Archiepiscopus M. Sacratissimum Principem supplici libello adivit exponens: « tam in sua Archidioecesi, quam in coeteris Regni B. dioecesibus, parochorum reditus a civili Magistratu, collatis cum Ordinario consiliis, computari et constitui. In iis etiam Missarum fundationes , singularum parochiarum propriae, et publicae functiones occasione exequiarum vel benedictionis matrimoniorum peragendae numerantur, quibus pro Missis seu fundatis seu casualibus certa stipendia ordinario maiora parocho assignaritur, quae stipendia partem integralem beneficii parochialis constituunt.

Haud raro autem evenit, ut parochi, quibus istae Missae censentur in partem congruae parochialis, öb causas legitime excusantes impediantur, quominus ipsi easdem persolvant.

Quaerebat igitur ut definiretur utrum parochi impediti, celebrationem harum Missarum alteri Sacerdoti sic tradere debeant, ut totum stipendium constitutum pro celebratione talium Missarum solvant, an potius sufficiat, ordinarium vel aliquanto maius ab Archiepiscopo statuendum, ita ut, quod supersit ab ipsis parochis, quibus Missae eaedem in partem redituum assignatae sunt, tuta conscientia retineri possit. Addidit autem inibi usum fere generalem et antiquum invaluisse, ut parochi, quibus talia stipendia maiora etiam in publicis tabulis censualibus attributa inveniuntur, legi lime impediti, sacerdotibus coadiutoribus vel aliis beneficiatis ordinarium pro ratione Missae vel cantatae vel lectae stipendium solvant.

Huiusmodi supplicatione accepta, statim decretum edit f «

fuit a secretaria S. Congregationis Concilii die 30 iunii TS?:! *« **Pi"-** S'' wnaria precum. »*

**Disceptatio synoptica.**

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. In primis notatum fuit cum Benedicto XIV. *Insti t. Eccl. 56, num. 1,* stipendium, quod ex communi Ecclesiae disciplina Sacerdotibus traditur pro comparando fructu medio Sacrificii, loco panis et vini, quae antiquitus offerebantur, suffectum fuisse. Quae quidem discipuli seu consuetudo cum ab universali Ecclesia recepta fuerit,; n o. i sine impuderjtia damnari posset, aequum enim est ut ex alta; i vivere debeat qui altari inservit: *unde Sacri Canones ,* in quit Fagnanus, in *Cap. Fraternitatem de Sepultar is num. 83. in assignatione stipendii non considerant paupertatem, sc **I** mercedem laboris, cum nemo militet propriis stipendiis. Cap. Cum ex officii de praescript.* » Hanc vero mercedem Sacerdos non accipit quasi pretium Missae, quod esset simoniacum, *sed quasi susteniamentum vitae,,* ut ait D. Thomas apud Bened. XIV, loc. cit. n. 4. Nec integram sustentationem sed partem illius ex stipendio sumere debet, ut pergit Benedictus XIV, *loc. cit.* Nam Sacerdotes, si saeculares sint, titulis patrimonialibus aut beneficiis fruantur necesse est : si Regulares, aut Mendicantes erunt, et a populo fideli eleemosyna- in propriam alimoniam suscipient, aut possidentes, et ex Monasterii reditibus alentur.

Ex his consequitur Missae stipendia eo tantum fine i . Ecclesiam inducta fuisse, ut supplendae Sacerdotum sustent: -tioni inserviant, non autem ut illi divitiis cumulentur, multoque minus ut inde sordidi quaestus occasionem arripiant: cumque sacrae res sint, commercii aut negotiationis usui nullatenus inservire possunt, nec laicorum hominum procurationi permitti.

Cum tamen ob eífraenaías hominum cupiditates innumeris incommodis Missarum stipendia occasionem praebuerint, plures ad haec removenda ab Ecclesia sanctissimae leges ac decreta diversis temporibus lata fuerunt : quae diligenter a BenedHo XIV, *cit. Ins t it. Eccl. 56 De Synod. D>oe -es. Uh, 5*

*cap. 9. De sacr. Mis. L 3, cap. 21* recensentur. Et ne veteres adducantur hac in re Ecclesiae leges, audiatur Tridentinum in *Sem.. 22 D'.crei, de observ.et evit.in celebr. Mis.* ibi. « Cum » multa iam sive temporum vitio sive hominum incuria et im- ,> probitate irrepsisse videantur, quae a tanti sacrificii digni- » tate aliena sunt, ut ei debitus honor et cultus ad Dei glo- » riam et fidelis populi aedificationem restituatur, decernit » sancta Synodus, ut ordinarii locorum Episcopi ea omnia pro- » bibere atque e medio tollere sedulo curent ac teneantur, quae » vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quae ab » improbitate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, verae » pietatis falsa imitatrix induxit.

» Atque ut multa paucis comprehendantur, in primis, quod » ad avaritiam pertinet, cuiusvis generis mercedum conditio- » nes, pacta, et quicquid pro Missis novis celebrandis datur ; » necnon importunas atque illiberales eleemosynarum exactio- » nes potius quam postulationes, aliaque huiusmodi, quae a » simoniaca labe, vel certe turpi quaestu non longe absunt, » omnino prohibeant. »

Huic Concilii decreto, quo quidquid avaritiam turpemve quaestum sapit, e Missae Sacrificio proscribitur, accesserunt celebres illae H. S. C. declarationes seu *Decreta de celebratione Missarum* Urbani VIII auctoritate edita die 21 Iunii 1025 per Constit, quae incipit *Cum saepe,* ac postea additis aliis resolutionibus ab Innocentio XII, decimo Kal. Ianuarii 1697 per Constit. Apostolicam quae incipit *Nuper* innovata et confirmata. Ex his nonnulla quae ad rem faciunt excerpere juvabit. In §. 6. Pontifex « omne damnabile lucrum ab » Ecclesia removere volens, prohibet Sacerdoti qui Missam > su-cepit celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem » Missam alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, ce- » lebrandam committat, *r* §. autem 7. omnibus haec mandat: « Eleemosynas manuale, et quotidianas pro Missis celebran- » dis ita demum iidem accipere possint, si oneribus antea » impositis ita satisfecerint, ut nova quoque onera suscipere » valeant ; alioquin omnino abstineant ab huiusmodi eleemoey- *p* nis. ctin-M sponte oblatis, in fu f u nr n re.~ipi<mdis, et eapsu-

» las auferant ab Ecclesiis cum inscriptione illa *Eleemosyna » pro Missis,* vel alia simili, sub iisdem poenis ipso facto in- » currendis, ne fideles hac ratione frustrentur. » Poenae autem erant, ut saeculares ab ingressu Ecclesiae eo ipso interdicti essent, regulares vero omnibus officiis, voce activa et passiva privarentur, et inhabilitationi perpetuae ad quaecumque officia de cetero obtinenda subiecti essent. Circa hanc paragraphum variae quaestiones postea exortae sunt: 1. *An prohibeatur absolute,* quominus accipiant novas eleemosynas ii, qui acceptis non satisfecerunt ; et 2. Quid si congruo tempore possint omnibus satisfacere. Quid 3. si offerens eleemosynas, audito impedimento, consentiat ut Sacerdos Missam celebret cum primum poterit. Responsum fuit: « Non prohiberi absolute: ac propterea, etsi » oneribus iam susceptis non satisfecerint, posse tamen nova » etiam suscipere Missarum celebrandarum, dummodo infra » modicum tempus possint omnibus satisfacere. Quamvis one- » ra suscepta infra modicum tempus adimpleri nequeant, si » tamen eleemosynam offerens pro aliarum Missarum celebra- » tione id sciat et consentiat, ut illae tunc demum celebren- » tur, cum susceptis oneribus satisfactum fuerit, Decretum non » prohibere, quominus eo casu eleemosyna accipiatur pro iis- » dem Missis, iuxta benefactoris consensum celebrandis. » §. autem 18. statuitur, ut quoniam plurima incommoda ex eo proveniunt « quod onera Missarum supra vires excipian- » tur, caveant omnes . . . . ne onera seu Missas tum perpe- » tuas, tum temporales, tum etiam manuales, quarum satis- » factioni impares fuerint, quoquo modo suscipiant. » Et post pauca verba additur: « Alias Missas, sive perpetuas, sive tem- » porales, sive manuales per se, *vel per interpositas personas* » quoquo modo recipere seu acceptare omnino desistant, seu » abstineant. »

Cum autem quaesitum esset §. 15. n. 15: « An Admini- » stratores Ecclesiae magnae devotionis et concursus, possint » Eleemosynas pro Missis celebrandis accipere, si iisdem Missis, » nonnisi post longum tempus satisfacere valeant, ne alias » cultus Ecclesiae et devotio et concursus fidelium, ut ajunt, » minuantur ; » responsum fuit « Non posse, nisi de consensu

» eorum qui eleemosynas tribuunt. » Ad faciliorem vero huius decreti observantiam consequendam, per hanc S. C. praecipi solet, ut notat Benedictus XIV, *cit. Insta. Eccl. 56, num. 14* ut palam in Templo tabella exponatur, quae declaret in ea Ecclesia seu Altari, infra certum tempus, sacra quae fieri poterunt, conficienda esse ; et quae supererint, in alia Ecclesia seu in diverso Altari ejusdem Ecclesiae celebranda. Hoc pacto qui eleemosynas tribuunt, universa perspecta habebunt, et pietati facilius obsecundari poterunt, prout ipsis libuerit.

Inter caetera vero quae ad abusus praecavendos in memoratis Decretis praescribuntur, illud enficacissimum videtur, ut in singulis Sacrariis figatur Tabella, m qua Missae perpetuo celebrandae describantur ; utque duo libelli serventur, in quorum altero perpetuae Missae, in altero adventitiae notentur et. earum satisfactio.

Post haec decreta et post plures damnatas ab Alexandro VII propositiones, omnis corruptelae aditus interclusus fuisse videri poterat. Nihilominus eo progressa est Ecclesiasticorum quorumdam et laicorum hominum aviditas, in Pedemontana potissimum regione, uti testatur Benedictus XIV Constit. *Pro eximia* die 30. Iunii 1741 data, ut coactus fuerit idem Pontifex eodem die alteram edere Constitutionem, quae incipit *Quanta cura,* qua ecclesiasticas poenas in eos infligit, qui Missas colligentes, eas per alios celebrari curant, eleemosynarum parte sibi retenta. Quem profecto morem *absonum* asserit, atque « alienum ab ipsa sive expressa sive tacita pie offerentium » voluntate. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius » Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam, religionis » ac pietatis stimulis ductus, et eleemosynas confert, aut in > qua quispiam fortasse tum illatus est, quam in alia Ecclesia » sibi prorsus ignota. Quod sane veluti mercatoris faciendis, » a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiae » suspicione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde re- > stitutioni subjaceat, in causa est, ut bonorum quamplurimi > ad quorum notitiam mercatura Lujusmodi venit, graviter » offensi, ab eleemosynis ad Missas celebrandas amplius offe- > ¡(mdis sese abstineant. » Ad execrabilem hunc abusum com-

pescendum, quoniam homines ita comparati sunt « ut prae- > sentis poenae metu salutaribus monitis facilius obtempèrent » - mandat Episcopis - ut per edictum proponendum affigen- » dumque universis notum faciant, quemcumque qui eleemo- » synas seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, » quemadmodum locorum consuetudines vel Synodalia statuta » exigunt, *colligens,* et Missas, retenta sibi parte earumdem » eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem » sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu » eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu » saecularem praeter alias eorum arbitrio irrogandas poena > » excommunicationis poenam: Clericum vero sive quemcumque » Sacerdotem poenam suspensionis ipso facio incurrere, a qui- » bus nullus per alium quam per Romanum Pontificem pro > tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus ab- » solvi possit. »

Ex nuperrima Constit. SSmi D. N. Pii Papae IX, quarto idus Octobris 1869 data, quae incipit *Apostolicae Sedis,* retenta tantum fuit excommunicatio major, quae cum *colligentes* in genere afficiat, tam laicos quam Ecclesiasticos comprehendere videtur, sublata contra hos suspensione, de qua mentio non habetur. Dicitur enim ibi *sect. 2, num. 12* « Colligentes *» eleemosynas* maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum » captantes, faciendo eas celebrari in locis ubi Missarum sti- > pendia minoris pretii esse solent. »

Cum autem in cit. Constit. Urbani VIII statutum esset, ut Missae intra breve tempus celebrarentur, et controversia inter Doctores orta fuisset, quodnam tempus censendum esset *breve,* Sacra haec Congregatio, die 17 Julii 1765, resolvit « Modicum tempus intelligi infra mensem » *lib. 19 Decret, pag. 597.*

Haec quae ab Apostolica Sede diversis temporibus decreta sunt, ad omnem turpis lucri vel negotiationis speciem circa eleemosynas Missarum removendam, satis superque ostendunt quanta cura, quanto studio et zelo Ecclesia curaverit, ut circa Missarum eleemosynas nihil irrepat, quod rebus sanctis haud conveniat, ac turpis lucri suspicione n ingerat. Hisce itaque

praenotatis iuris principiis, disquirendum est , utrum in agendi ratione parochorum, de quibus in casu, aliquid existat, quod ex allatis decretis vel animadversione, vel reprehensione dignum reperiatur.

Ab expositis Romanorum Pontificum Decretis sequens regula tuto praestituenda videtur, scilicet Eleemosynas Missarum integras tradendas esse Sacerdoti celebranti, quicumque sit qui eas celebret; et hoc tum causa arcendi damnabile lucrum seu mercimonium in re tam sancta, tum etiam ratione iustitiae.

Sed haec regula non adeo generalis est, ut in omnibus prorsus casibus applicari possit ; plures enim exceptiones assignatur. Et sane : circa Decretum S. C. Concilii, quo prohibetur Sacerdoti, qui suscepit Missam celebrandam cum certa eleemosyna, ne eamdem alteri, parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam committat ; quaesitum fuit eidem S. C. an hoc Decretum habeat locum in beneficiis, quae conferuntur in titulum, idest an Rector Beneficii , qui potest per alium celebrare, teneatur Sacerdoti celebranti dare stipendium ad rationem redituum Beneficii ? - Sacra Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, auctoritate sibi a Sanctissimo Domino Nostro attributa ad hoc dubium propositum respondit,: = *Non habere locum, sed satis esse, ut Rector beneficii, qui potest Missam per alium celebrare, tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congruam secundum morem Civitatis vel Provinciae, nisi in fundatione ipsius Beneficii aliud cautum fuerit.* =

Sanctus autem Alphonsus in *Tract. 13 de Sacram. Eucharistiae in lib. 6, num. 321,* postquam exposuit suam doctrinam circa turpem quaestum in perceptione eleemosynarum pro Missis celebrandis damnatum ex Decreto S. Congregationis Concilii adprobato ab Urbano VIII et confirmato ab innocentio XII ita subjungit: « Ab hac tamen prohibitione
» excipitur I... casus, quo aliquis daret maiorem stipem non
» tam intuitu Missae, quam amicitiae, paupertatis, gratitudi-
» nis, propinquitatis etc. potest tunc Sacerdos excessum reti-
> nere, committendo alteri Missae celebrationem.
» Excipitur II... casus, quo Sacerdos, cui committitur ce-

» lebratio, liberaliter et omnino sponte tibi condonet excessum
» illum : sicut enim ille potest totum remittere, sic et partem.
» Veruntamen hoc .minime admittendum, si tu indices majus
» pretium acceptum et Sacerdotem roges ut remittat; vel ab
» eo quaeras- an consentiat, ut tu partem retineas; tunc enim
» nequit eam retinere etiamsi ille annuat : nam hoc in prae-
» fata bulla = *Quanta cura* = Bened. XIV asseritur tamquam
> execrabilis abusus vetitus a pluribus Pontificibus, qui De-
» cretum voluerunt (verba Bullae) nimirum a quolibet Saec: -
» dote, stipendio maioris pretii pro celebratione Missae acce-
» pto, non posse alteri stipendium minoris pretii erogari, etsi
» eidem Sacerdoti celebranti et consentienti (nota) se maiori
» pretii eleemosynam accepisse indicasset. »

« Excipitur III... Beneficiatus, qui bene potest committere
» alteri Sacerdoti celebrationem Missae debitam pro Beneficio.
» tradito stipendio congruo iuxta consuetudinem loci, quin tradat
> totam ratam fructuum. Ita *comm.* Croix, *t ib. 4, num. 280.*
» Roncagl. *c. 6, q. 8, R, 2.* Viva *in dict. prop. 9, num. 9.*
» Suarez *d. 86, Sect. 3, Pal. p. 14, num. 9, et S aimant.*
» *c. 5, num. 13, cum* Vasq., Lay m., Rone, *et aliis.* Et pa tel
> ex decreto S. Congr. adpr. ab Inn. XII in Bulla = *Nupe*>- -
> *n. 8,* ubi dictum fuit Decretum Urbani non habere loci r r
» sed satis, ut Rector Beneficii, qui potest Missam per aliu
» celebrare tribuat Sacerdoti celebranti eleemosynam congrua::
> secundum morem civitatis nisi in fundatione beneficii alite:
» cautum fuerit. »

Laymann *de Sacrificio Missae lib. V, Tract. V, Cap. 1. num. 13, q. 3,* ad Dubium: Utrum is peccet et inique aga*. qui accepto abundantiori stipendio pro Missa, alteri eam tradat dicendam, parte aliqua stipendii sibi servata; ita respondit « si sit *Curatus* seu *Parochus,* cui largior eleemosyna con-
» fertur pro Missa, potest obligationi per alium satisfacere
» dato ipsi stipendio sufficiente, reliquo sibi retento.» Ita Sotus *lib. 9, q. 3, art. 1.* At huiusmodi disceptationem evolvit, ac sapienter solvit Auctor Amostazius in opere de Causis piis *lib. 22, cap. 4, num. 30®* Ibi. « Si non contemplatione
» Missae maius stipendium conceditur, sed ratione personae

> ipsius Sacerdotis, quia familiaris est dantis, aut habuisset
> merita servitii, aut dignitatem, unde contemplatione illius
» daretur, tunc non obstante declaratione Cardinalium, adhuc
» retinere poterit absque aliqua culpa, dando alteri Missas
» dicendas stipe taxata, nihil de eo defraudando ; hoc enim
» donatio est in excessu facta personae; unde nec aliquid prae-
» ter taxam 'tenetur alteri Sacerdoti tradere. Ita Diana *dict.*
» *tract. 14, resol. 12.* Trullench *di. t. cap. 8, dub. 12, n. 11.*
•» Laymann *lib. 5, tract. 5, Cap. 1, num. 13.* Henao *Sect. 5,*
» *numer. 48.* » Sub numero autem 31 ita prosequitur : « Ab
» obligatione dandi totum stipendium, nulla parte sibi retenta
» excipiuntur Capellani, Beneficiati, et Parochi in his Missis
» quas dicere tenentur ex obligatione suorum beneficiorum,
» qui si plures habent, ob taxarum stipendium bene aliis di-
> cendas committunt, retento maiori salario: nam excessus non
» pro *Missa* conceditur, sed ratione *Dignitatis* et sustenta-
» tionis. Sic declaravit Sacra Congregatio, ut testatur Garcia
» *diff. 10, d,ub. 5, num. 3. Possevin. dict. cap. 2, num. 18,*
» *Cened. Canon. qq. q. 27, num. 12. Barbosa ad Concil.*
» *Sess. 25 de Reform. Cap. 4, num. 20. Diana tract. 14,*
» *resol. 11. De Lugo de Luchar, disp. 21, sect. 2, num. 30.*
» *Pasqutil. q. 970. Henao sect. 5, num. 37, et sect. 7, n. 64.*
» *Mendoza de ordinibus disp. 9, q. 5, num. 44.* »

RESCRIPTUM. S. Congregatio Concilii re cognita in comitiis diei 28 Februarii et 28 Martii 1874 definitionem distulit per decretum *Dilata:* tandem die 25 Iulii 1874 iterum haec quaestio proposita fuit, et responsum prodiit — *Attento quod eleemosynae Missarum de quibus in precibus,pro paHe locum teneant congruae parochialis, licitum esse parocho, si per se satisfacere non possit, Missas alteri Sacerdoti committere attributa eleemosyna ordinaria loci, yirc pro Missis lectis sive cantatis.*

EXINDE COLLIGES :

I. Eleemosynas Missarum, qn i.:i recipiunt sacrdotes eo fine introductas in Ecclesia fuisse, ut eorum sustentationi suppleri possit,

•II. Decreta generalia S. Congregationis Concilii per Urbanum VIII et Innocentium XII confirmata, quibus retineri prohibetur excessus eleemosynae Missarum, de Missis manualibus esse intelligenda.

III. Quapropter ab obligatione dandi totum stipendium nulla parte sibi retenta excipiendos esse Capellanos, Bénéficiâtes ct Parochos, in his Missis, quas dicere tenentur ex obligation.; suorum beneficiorum.

IV. Quin imo si eleemosynae Missarum extraordinariae Parochi congruam efforment , et istos a praedicta obligatione esse solutos.

V. Unde"'Parochos, Capellanos et Bénéficiâtes in casibus expressis optimo iure posse alteri Sacerdoti committere praedictarum Missarum celebrationem si per se satisfacere non possint, attributa illi eleemosyna ordinaria loci sive pro Missis lectis sive cantatis, retento sibi maiori salario.

VI. In vim Constit. *Apostolicae Sedis* colligentes eleemosynas maioris pretii pro Missis, et ex iis lucrum captantes, faciendo eas celebrare in locis ubi Missarum stipendia minoris pretii esse solent, excommunicationem maiorem Romano Pontifici reservatam ipso facto incurrere, sive laici sint, sive ecclesiastici.

# SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM

*Die 28 Martii, 25 Iulii 1874.*

**Summaria precum.** Inter varias controversias, quae super eleemosynis Missarum oriri passim solent, sequentes ab Archiepiscopo O. S. C. O. propositae fuerunt, quas propriis ipsius Archiepiscopi verbis exscribere iuvat.

« Anno 1868 exposui, permultas in hac Archidioecesi > existere Missarum fundationes, pro quibus certa stipendia » ordinario maiora sunt constituta; illas autem nulli inhae- » rere beneficio sed tum ab Archiepiscopo, tum a fundatoribus » vel provisoribus Ecclesiarum certis Sacerdotibus persolvendas » assignari; saepius tamen evenire, ut hi Sacerdotes, quominus » Missas uti antea ipsi persolverent, impedi rentur, tum pro- » pter numerosa stipendia manualia a fidelibus oblata, quae > rejici non possent, tum ob alias causas legitime excusantes; » simulque proposui quaestionem, an Sacerdotibus ob hujus- » modi causas, quominus ipsi adimplerent istas fundationes » legitime impeditis, liceret alteri Sacerdoti, cui Missas funda- » tas applicandas cederent, dare tantummodo stipendium or- » dinarium? S Congregatio EE. Cardinalium Conc. Trid. In- » terpretum die 18 Iulii 1868 *iuxta exposita integrum sti-* > *pendium solvendum esse* respondit. » (Quaesierat insuper Archiepiscopus (cuius postulata inter supplices libellos memorato anno relata fuerunt), ut si decerneretur, integrum stipendium esse solvendum, sibi facultas fieret *singulis Sacerdotibus licentiam impertiendi,* ut tuta conscientia sibi retinerent, quod ex ordinario stipendio superesset: cui petitioni responsum fuit : *Non expedire).*

« Iam vero nonnullae aliae in hac materia exortae sunt > difficultates, quibus ut opportuna adhibeatur medela humil- > lime supplico.

» f Multae enim in Ecclesiis parochialibus fundatae sunt

» Missae cantandae sive pro vivis, sive pro defunctis, quibus » a fundatoribus assignata est dos pinguior ab Ecclesiae prO- » visoribus administranda, ex qua parochi, quibus ex iure dioe- » cesano et consuetudine harum Missarum celebratio competit, » eleemosynam dioecesana maiorem percipiunt, nullo tamen » Sacerdote a fundatoribus ad has Missas celebrandas expres- » se vocato.

» II. In celebrandis matrimoniis exequiisque defunctorum » iura stolae parocho non in cumulo solvuntur, sed certa por- » tio assignata est pro singulis actibus ad has functiones rit" » persolvendas requisitis. Hinc certa quoque eleemosyna eaqiv » pinguior quam pro ceteris Missis manualibus ab Ordinari*! » fixa est tam pro Missis nuptialibus, quam pro Missis exc- » quialibús, quarum celebratio de iure et consuetudine ad » parochos spectat.

» III. Plurimae per annum parochis a fidelibus offeruntur •» eleemosynae pro Missis cantandis sive secundum taxam ab » Ordinario constitutam, sive etiam sponte traduntur pin- » guiores.

» Cum autem parochi nonnumquam morbo, absentia, aliis- » que sacris functionibus impediantur, quominus Missas in tri- » bus enunciatis casibus ipsimet celebrent, eorum vices supplent » alii sacerdotes sive iisdem Ecclesiis in eorum adiutorium » adscripti, quorum salarium ab Ecclesiae provisorius solvi » tur, sive etiam extranei. Hinc quaestio oritur, an parochi » in iisdem tribus casibus Sacerdotibus eorum vices suppler- » tibus tradere debeant integram eleemosynam; an potius ei » fas sit, retenta sibi parte, minorem eleemosynam dare c/- » lebranti? Quod si in his casibus pars eleemosynae a parochi » licite retineri possit, quaeritur ulterius, an ab eisdem cele- » branti Sacerdoti solvenda sit eleemosyna dioecesana pro Mis- » sis lectis, an potius pro cantatis ab Ordinario constituta. »

**Disceptatio sinóptica.**

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Ad proposita squaestiones facilius enodandam nonnulla principia praestituta sunt. Ac primo quidem certum est. Ecclesiam a celebratione Missarum non

solum omne damnabile lucrum, sed vel ipsam turpis quaestus speciem removeri, atque ad tam s metam rem tractandam, sancto tantum fine sacerdotes suos ferri voluisse; idque satis superque patet ex doctrinis allatis in superiori quaestione super eleemosyna Missarum agitata. Nihilominus stipendium pro celebratione Missarum licite percipi certum est, non quidem tamquam pretium ipsius celebrationis, quod esset simoniacum, sed tamquam stipendium ad vitae sustentationem ordinatum, ceu cum D. Thoma docent communiter Theologi et Canonistae apud Bened. XIV. *De Synod. Dioeces. Hb. V, cap. 8.* Reiffenst. *lib. V, Decret.tit.3.De Simonia IO, n. 185 seqq.*

Nec refert, divesne an pauper sit celebrans, et utrum ex ecclesiastico beneficio satis habeat, unde vivat. Nam *Sacri Canones,* uti in superiori quaestione notatum fuit auctoritate Fagnani, *in assignatione stipendii non considerant paupertatem, sed mercedem laboris, cum nemo militet propriis stipendiis.* Id tamen intelligendum est non de labore adiuncto inseparabiliter ipsi celebrationi, quod esset simoniacum, sed de labore ipsi celebrationi extrinseco. Amostazo *de Causis Piis lib. 2, Cap. IV,* ¡ i . *2.* Sed in hac re audiendus est Reiffenstuel, qui in *Theol. Moral, tract. V, dist. 2, qu. 4, n. 33,* mirifice more suo Jisserit. « Loquendo de corporali labore, de fatigatione at-
> que molestia in sacris ministeriis, ut puta in celebrationibus
» Missarum, administrationibus Sacramentorum aut consecra-
» tionibus Ecclesiarum etc. occurrente, et an pro eodem licitum
» sit dare vel recipere pretium, distinguendum est, et quidem
» conveniunt Doctores, pro labore aut obligatione, quae Sacro
» ministerio per accidens coniuncta est, licite aliquid dari et
*. accipi ut pretium ; prout fit quando Sacerdos iter longum
» conficere debet ad celebrandum in certa Ecclesia Missam, vel
» administrandum Sacramentum, aut quando Capellanus obli-
» gare se debet ad persistendum in suis spiritualibus functio-
» nibus toto anno, praesertim tempore pestis, et huiusmodi.
» Ratio est quia talis labor aut obligatio est ex se pretio
» aestimamus, et per accidens solum hic et nunc annectitur
» spirituali ministerio. Secus dicendum de labore intrinseco,
> seu qui per se et necessario coniunctus est cum Sacro mi-

» nisteno; nam pro tali simoniacum est dare vel recipere pre-
» tiuui *arg. C. Si quis obiecerit 1, q. 3, et cap Ad no-*
*» stram, de Simonia, ubi generaliter mandatur, quatenus*
> *pro ministerio ecclesiastico exercendo nullatenus pecunia*
> *exigatur.* Quo tamen non obstante, potest aliquid dari et
> recipi per modum iusti stipendii seu ad honestam sustenta-
> tionem ministrorum Ecclesiae. »

Qu «re stipendium pro Missa celebranda tributum, licet pinguissimum, illi ex integro cedere debet, qui laborem et incommodum celebrationis tulerit ; nec ille qui stipendium accepit et celebrationem alteri committit, quidquam sibi retinere ex eo potest, quin in reprobationem Urbani VIII, *Decret, de celebrat. Missarum,* et in censuras Constitutionis Apostolicae Benedicti XIV, incipientis *Quanta cura,* et nuperrimae SSmi D. N. incipientis *Apostolicae Sedis* incidat.

Rationem huius rei non minus acute quam vere tradit Pignatellus *Consult.Can.t.IV, cons.227,n.7* seg^quae praesenti controversiae illustrandae apprime inservit:«Tenendum om-
> nino est, inquit, Sacerdotem transferentem onus celebrandi Mis-
» sam in alium, integrum stipendium dare debere ; nam retinens
» sibi partem non habet justum titulum retinendi, et ideo lae-
» dit eum in quem transfert onus celebrandi Missas, atque eum a
» quo accepit stipendium.Quia cum recipiens stipendium, ipsum
» iipn acquirat nisi ratione obligationis ad offerendum sacri-
» ficium tamquam cum ipsa adnexum, eo ipso quod abdicet
» a se obligationem, abdicat titulum retinendi stipendium .
» et retinendo facit contra voluntatem illius qui dedit. Siqui-
» dem illud destinavit pro sustentatione celebrantis, et non
*p* pro lucro alterius. Nec refert quod exhibeat stipendium
» taxatum. Nam dans pingue stipendium, totum dat intuitu
» oneris, quod imponit, et intendit dare intuitu ministerii...
» ei ideo transit cum ipso onere, et pertinet ad eum qui onus
> adimplet. Ergo qui retinet partem stipendii, retinet id quod
> de iure est debitum exhibenti ministerium, atque adeo non
» satisfacit obligationi. Hinc quamvis detur stipendium con-
» gruum et taxatum celebranti, fit tamen ipsi iniuria, quia
)> noa datur totum quod ipsi debetur. Nam cum totus titulus

> acquirendi eleemosynam, quantacumque illa sit, sit apud
» eum qui celebrat, et non apud eum qui primo accepit elee-
» mosynam, quia dum non celebrat, sed in alium transfert
» onus, totus titulus, quem habebat, resolvitur : dum cele-
» branti non exhibetur integra eleemosyna, non datur, quod
> de iure est ipsi debitum- »

Ex his patet, titulum recipiendi eleemosynam ex obligatione celebrandi dimanare, et in celebrantem prorsus transferri. Verum quandoque dari possunt alii tituli ipsi celebrationi extrinseci, propter quos stipendium communi taxa pingui us concedatur ; quo in casu ille qui in alios transfert onus celebrandi, concessa huic eleemosyna manuali iuxta morem regionis, vel iuxta taxam ab Episcopo praefinitam, licite posset sibi, quidquid illam excedit retinere.

Ac *primo* quidem dari potest huiusmodi extrinsecus titulus quando agitur de Missis parochiali praebendae, beneficiis aut capellaniis inhaerentibus. Tunc enim parochi, beneficiati, capellani, si eas Missas ad quas ratione praebendae tenentur, aliis celebrandas committunt, non id stipendii retribuere debent quod fructibus praebendae respondeat, sed manuale, quia isti simul" ac praebenda potiti sunt, omnium fructuum illius statim fiunt domini, neque hos tantummodo titulo celebrationis suos faciunt. Idem dicendum videtur de capellaniis amovibilibus, de non collativis, ac de mere laicalibus, habentibus salarium stabile ad instar beneficii, S. Alphonsus *lib, 4, Irad. 3 de Euchar. dub. 1, n. 321;* cum et hoc in casu onus ad quod s?se Capellani obstringunt, titulum ipsis praestet ab ipsa celebratione distinctum, quo excessum eleemosynae sibi retinere possint. Huic sententiae adhaerere visa est H. S. C. die 15 Martii 1745, qua resolvit, licere Capellano amovibili retinere partem stipendii, *modo pro Capellania certi reditus sint annuatim constituti, et perpetuo Capellano assignati, secus vero si huiusmodi Cap diano pro qualibet Missa celebranda certa detur eleemosyna.*

Dari etiam *secundo* potest istiusmodi extrinsecus titulus quando agitur de Missis perpetuis alicui sacerdoti demandatis. Ji I m ! qui Missis istis perpetuo celebrandis sese m ncipant,

aliud onus suscipiunt ab ipsa celebratione distinctum, quod ex allata doctrina Reiffenstuel est pretio aestimabile, ac proinde eius titulo sibi vindicare posse videntur quidquid communem taxam excedit. Idque congruit apprime menti fundatorum, qui huiusmodi Missis perpetuo celebrandis pinguiores eleemosynas reliquisse censendi sunt, non tantummodo ratione celebrationis, sed etiam ratione oneris, quo gravantur sacerdotes, qui illas celebrandas suscipiunt, atque ut accuratae et perpetuae earum satisfactioni consulerent. Ita post Viva, La Croix, Gobat, Pa sq u aligo, aliique tradunt cum S. Alphonso *loc.cit.*

*Tertio* dari etiam potest in Missis legatis, sed cum distinctionem quando enim legatum alicui relinquitur cum onere Missarum, cuius numerus praefinitas sit, tunc legatarius potest taxam communem et manualem alteri celebratur;; tradere, retinendo sibi id quod superest ; nam legatum habet rationem donationis, et semper causam lucrativam continet, atque hoc titulo, quod superest, retineri potest. Idem dicendum , si legatum non personae sed Ecclesiae relictum fuit. At si is, cui legatum implendum relinquitur, non sit proprie legatarius, sed exequutor legati, uti ex.gr. si testator dicat: *lego Titio centum, ut centum dicat, vel dicendas curet Missas,* tunc sane testator non personam Ti ti i sed causam Missarum prospexisse videtur, et Titius non legatarius, sed mere exequutor legati censendus est. Quo in casu Titius totum leg; -tum in Missis celebrandis impendere debet, nihilque sibi r\ -tinere potest; siquidem voluntas testatoris fuit, ut pingue illud stipendium pro centum Missis adhiberetur, eiusque acquirendi titulus in eum integer transiret, qui Missas celebraret; nec praeter ipsam celebrationem alius titulus subesset, quo excessum communis taxae sibi retinere posset, qui Missas alteri celebrandas committeret. Amostazo *De Causis piis lib. 2, cap. 4, n. 34 seqq.*

*Quarto:* in Missis etiam adventitiis sive lectis sive cantatis hic titulus celebrationi extrinsecus locum habere potest ; quando scilicet eleemosyna pinguior consueta conceditur *intuitu personae,* scilicet propter ipsius dignitatem, vel officium, vel paupertatem, vel propinquitatem, vel gratitudinem. S. Alphon-

sus *loc. cit.* Quo etiam casu excessus communis taxae retineri posset, dummodo moraliter certum sit, excessum illum hoc nomine oblatum fuisse.

Haec porro doctrina ad tres quaestiones ab Archiepiscopo propositas applicata fuit. Prima enim quaestio erat de Missis cantandis in Ecclesiis parochialibus, quibus eleemosyna pinguior ordinaria ex fundatione assignata fuerat. Licet vero a fundatoribus nullus sacerdos ad eas celebrandas expresse vocatus esset, tamen de iure dioecesano et ex consuetudine celebratio ad Parochum pertinebat. Dos autem his Missis celebrandis assignata, ab Ecclesiae *provisorio m* administrabatur.

Iamvero agitur hic *de legatis Missarum* Ecclesiae parochiali relictis. Provisores autem Ecclesiae non videntur nisi evequutores legatorum ; qui consequenter dotem illam pinguiores Parocho cum cantu celebranti integram tradere debent. At si Parochus non ipse per sese eas cantet, sed aliis cantandas committat, quaerit Archiepiscopus utrum integrum stipendium tradere teneatur, an vero sufficiat, ut det eleemosynam manualem iuxta taxam dioecesanam ; et quatenus dare debeat manualem, quaerit insuper, an dare debeat taxam pro Missis lectis, an pro cantatis.

Primo quidem intuitu , cum ex lege dioecesana et consuetudine ad huiusmodi Missas cantandas Parochus vocetur, fundator, qui huic legi sese conformare debuit, illum ad eas cantandas advocare voluisse censendus est ; ac proinde legatum relictum videri favore Parochi, qui titulo huius oneris adimplendi, quoties Missas aliis cantandas committit, retinere sibi potest, quidquid ex dioecesana taxa supersit.

Nihilominus si res penitius examinetur, legatum hoc in casu non Parocho, sed Ecclesiae relictum fuisse constabit, et •*provisores* qui Ecclesiae nomine agunt, esse illius exequutores, qui totum stipendium celebranti tradere debent ; Parochum vero non esse neque legatarium neque legati exequutorem, sed prae ceteris sacerdotibus, hisce Missis cantandis, quodam veluti praelationis nomine vocari, ipsique pro qualibet Missa celebranda certam dari eleemosynam. Igitur Parocho prae!er ipsam celebrationem nullus alius titulus competere vi-

detur, quo stipendii excessum licite sibi retinere valeat; idcirco totum stipendium ex integro sacerdotibus celebraturis concedendum est, sive agatur de lecta, sive de cantata Missa.

In secunda quaestione quaerebat Archiepiscopus, utrum pro Missis nuptialibus vel exequialibus, quando Parochus aliis eas celebrandas committit, manualem eleemosynam tradere possit, retento pinguiori stipendio ex lege dioecesana illis assignato. Ad quam quaestionem praemittebat, Parochis *iura stolae* ex lege dioecesana non in cumulo, sed singulis actibus vel functionibus in certis portionibus assignata esse. Iam vero hoc etiam in casu cum *iura* ista *stolae* connexa sint cum ipso sacrifìcio sive in nuptiis sive in exequiis peragendo, nec facile ab iis, qui Missas istas Parocho cum pinguiori stipendio celebrandas tradunt, distinguantur ab ipso ministerio praestando, videtur totum stipendium pro ipsa celebratione oblatum fuisse, ac nisi integrum illi cedat, qui ministerium praestat, mentem offerentium fraudari.

Attamen si animadvertatur, Episcopos posse, imo vero in aliquibus casibus debere eleemosynas Missarum taxare atque in hac taxa conficienda rationem habere laboris, itineris, solemnitatis, etc. ac proinde etiam officii parochialis, clare evincitur, constituta hac pinguiori taxa per legitimam potestatem, statim Parochum ius acquirere ad eam sibi retinendam, ideoque titulo *iuris stolae*, celebrationi extrinseco, pinguiori hac taxa sibi retenta, sacerdoti celebraturo communem retribuere posse. At si eleemosyna Parocho data, fuerit pro Missa cum cantu celebranda, tunc sacerdoti celebraturo dioecesanam eleemosynam Missae cantatae tradere debebit, ministerium enim cantus ab eo praestatur qui celebrat, et si Parochus stipendium Missae lectae retribueret, lucrum captaret ex alterius ministerio, quod damnabile est, et Ecclesiae legibus vetitum.

Tertio loco quaerebat Archiepiscopus, an quoties per annum Parochis a fidelibus offeruntur eleemosynae pro Missis cantandis sive secundum taxam ab Ordinario constitutam, sive etiam pinguiores, Parochi has eleemosynas, quando aliis Missas cantandas committunt, integras rependere i encan tur, aa solum communem.

Quaestio haec cum respiciat Missas adventitiis, quae cum cantu celebrari debeant, certum imprimis est, Parochos debere taxam cantatis Missis statutam rependere : secus enim lucrarentur ex. ministerio alterius, et mentem offerentium fraudarent. Offerentes enim eleemosynas pro Missis cantandis uberiores fructus, qui ex illis prae Missis privatis proficiscuntur, uti docent Theologi (vid. Concina, *Theol. Christ, lib. III; De Euchar. dissert. 2; De sacrif. Missae cap. IV, n. 17),* percipere intendunt. In Missis enim cantatis et solemnibus resonat harmonicus cantus, multiplicantur exteriores actus religiosi, excitatur maior adstantium devotio, cultus Deo splendidior exhibetur, ac proinde spiritualis fructus copiosior inde dimanat.

Quaestio igitur tantummodo oriri potest circa excessum eleemosynae taxatae pro Missa cantata Parochis oblatum : quem tum sibi retinere poterunt, cum morali certitudine constet, hunc excessum oblatum fuisse non ratione celebrationis, aut maioris suffragii vel fructus percipiendi, sed intuitu personae ipsius Parochi. Fieri enim potest, ut fideles propriis Parochis, qui labores suos atque ipsam propemodum vitam spirituali eorum utilitati devoverunt, grati animi ergo, pinguius consueto stipendium exhibeant. Verum haec fidelium intentio non ita facile est praesumenda, sed vel expressa esse debet, vel ex indiciis non aequivocis, quae moralem certitudinem pariant, eruenda. Siquidem stipendium Missarum natura sua ad fructus sacrificii obtinendos tendit ; et quando fideles pinguius illud exhibent ordinario, intendunt uberiores fructus ex Missa percipere, ut docet S. Alphonsus *Oper, Mor. loc. cit.* Communiter autem *intentio efferentis stipendium ad transferendum dominium pecuniae fertur in celebrantem, et non in mandatarium, aut procuratorem,* uti animadvertit Amjast. *Tract, de Sacram. Ord.* §. *IV, de Presb, quaest. 2.* Itaque concludi posse videtur in themate, Parochos debere sacerdoti, cui Missas cantandas committunt, non modo stipendium dioecesanum pro Missa cantanda retribuere, sed ipsius etiam excessum, nisi aliter morali certitudine constet, excessum ipsum elargitum fuisse a fidelibus alio titulo celebrationi

et minist«.[1] ¡o prorsus extrinseco, nempe intuitu personae ipsius Parochi,

.RESOLUTIO. - Sacra Congregatio Concilii sub die 28 Martii 1874 rescripsit *Dilata,* et re iterum mature perpensa et discussa in comitiis diei 25 Iulii 1874 respondere censuit:

Ad primum. Integram eleemosynam a Parocho solvendam esse pro Missis sive lectis, sive cantatis.

Ad secundum. Cum agatur de iuribus stolae satis esse si Parochus retribuat celebranti eleemosynam ordinariam.

Ad tertium. Integram eleemosynam solvendam esse, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae ipsius Parochi.

EXINDE COLLIGES :

I. Titulum recipiendi eleemosynam ex obligatione celebrandi dimanare, et in celebrantem transferri.

II. Quapropter nefas esse et a sacris canonibus vetitum sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae, et Pontifici reservatae, stipendium communi taxa pinguius sibi retinere, tributa celebranti eleemosyna ordinaria. Cf. sup. disq.

III. Verumtamen si excessus tribuatur ob alios titulos ipsi celebrationi extrínsecos, non prohiberi quominus Missae celebrandae tradantur alteri sacerdoti, tributa tantum ei eleemosyna ordinaria.

IV. Huiusmodi autem extrinsecos titulos non tantum reperiri in illis, qui ratione beneficii vel praebendae adstricti sint oneribus Missarum, verum etiam et in Parochis, dummodo iura stolae concurrant.

V. Quin imo Parochos, et ceteros omnes Sacerdotes ab istiusmodi obligatione esse solutos, si morali certitudine constet, ipsis excessum illum tributum fuisse intuitu personae.

*Die 20 Junii 1874.*

**Compendium facti.** Praepositus, Archidiaconus, et Cantor Cathedralis Ecclesiae A. nomine totius Capituli Sacratissimum Principem supplici libello adiverunt exponentes « quod » Episcopus G. Decreto diei primae Maii 1807, Capitulo in- » stante, expresse derogans Statutis in hoc cohaerentibus Con- > cilio Tridentino Sess. XXIV. Cap. 12. de reform, constituit, » ut tempore vacationum scilicet absentiarum, quas a tribus > ad duos menses et quinque dies reduxit, Dignitates, Canoni- > ei, et Capellani beneficiati lucrarentur non solum fructus » praebendarum, verum etiam distributiones quotidianas. =Jn- > super eodem Decreto exemit ab interessentia ad Matuti- » num choro addictos, qui aetatem 60 annorum explevis- » sent, ipsis attribuens correspondentes distributiones quoti- » dianas. »

Capitulum cupiens ad examen revocare ac meliori forma redigere propria Statuta dubitavit circa valorem dispensationum quas Episcopus O. etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegatus indulserat; hinc Sacrae huic Congregationi sequentes quaestiones solvendas proposuit.

I. An praefatae exemptiones et concessiones validae censeri queant, ac utrum proinde licite a Capitulo observari possint.

II. An eaedem retineri ac observari saltem possint in vim consuetudinis , post relatum superius Decretum introductae, ac usque ád hodiernam diem constanter ac sine interruptione obtinentis.

S. Congregatio hoc accepto libello die 28 Maii anni 1872 decretum edidit « *Episcopo pro informatione, et voto, audito Capitulo in scriptis, transmissaque resolutione Capitulari, ac particula statutorum et copia dispositionis Episcopi G. qua statutis ipsis derogavit: referat de reditibus, et oneribus Canonicatuum.* »

Rmus Episcopus mandatis obtemperans H. S. O. particu- lam statutorum, et copiam dispositionis Episcopi G. transmisit in quibus ea adamussim referuntur, quae in supplici libello exposita sunt. Transmisit insuper resolutionem Capituli, quae ita se habet « Die 13 Maii 1872 feria'secunda post Comple- > torium habitum est Capitulum Spirituale, cui interfuerunt » DD. Praepositus, Archidiaconus, Cantor , Poenitentiarius , » aliique canonici.

» Praepositus rogat Capitulum, ut supplicem libellum > pro resolutione dubiorum S. Congregationi Concilii porri- > gendum, et in praecedenti sessione lectum, approbare ve- » lit. Canonicus V. propositionem recurrendi ad Apostolicam » Sedem pro resolutione dubiorum oppugnat , animadvertens » 1. Nullam allatam fuisse dubitandi rationem, et consuetudi- » nem plusquam quinquagenariam Decretum Episcopi G. fir- > masse. 2. Episcopum G. non ordinaria tantum sed Aposto- » lica Auctoritate praeditum , Decretum edidisse tamquam » Apostolicum Delegatum : eo magis cum Tridentinum Con- » cilium Sess. XXI Cap. 3. de ref. amplissimam tribuat Epi- » scopis facultatem decernendi in iis quae ad chorales distri- » bul iones pertinent. 3. Dubium propositum esse memoriae » Episcopi de Capitulo optime meriti iniuriosum, quem scili- > cet traducit ut imperitum vel improbum : imo iniuriosum > cunctis Episcopis et Canonicis decessoribus ab anno 1807. > 4. Cum Decretum Episcopi G. decem articulis constet , si > in duobus defecerit, in reliquis etiam nutaturum , indeque > nullum dubitationibus modum ac finem esse cum gravi mu- > tuae cari fatis et pacis detrimento. Igitur concludit, abstinen- > dum a dubiis proponendis quousque, opere confecto, Canoni- » ei ad id deputati integrum schema novorum statutorum Ca- » pitulo exhibeant discutiendum et approbandum.

» DD. Praepositus et Archidiaconus singulis difficultatibus, » a Canonico V. obiectis occurrunt, respondentes ad 1. Al- » latam fuisse, eamque gravissimam dubitandi rationem in » pugna Decreti Episcopi G. cum aperta lege Tridentini Sess. » XXIV. Cap. 12 de ref. contra quam legem dubitari iure ac » merito potest, num legitima possit induci consuetudo. Ad 2.

» Nullum extare documentum , quo dignoscaalih facultates
» forsan ab Apostolica Sede Episcopo G. extra ordinem con-
» cessae; eas tamen esse non posse, de quibus in Concilio Tri-
» dent. sess. XXI. Cap. 3. Ad 3. Cum errare humanum sit,
» propositis dubitationibus nihil detrahi meritis Episcopi: secus
» reverentia erga Maiores quodcumque illorum erratum sem-
» per et omnino corrigi vetaret. Neque defuisse ab edito sta-
» tim Decreto Canonicos doctrina ac pietate insignes, qui De-
» creti valorem vel impugnarent vel in dubium vocarent.
» Ad 4. Canonicos deputatos sollicitos tantum fuisse de iis
» Articulis memorati Decreti de quibus in recensendis Sta-
» tutis ratio habenda erat; reliquos non attigisse, utpote ad
» negotium sibi a Capitulo demandatum non pertinentes. No-
» tant tandem, nisi dubia sint prius resoluta, ad reformatio-
» nem statutorum progredi non posse, neque ad schema con-
» ficiendum, cum sciendum in primis sit, quinam praesentes in
•» Choro et quinam ab eodem absentes censeri debeant ad lu-
» crandas vel amittendas distributiones.

» Exquisitis suffragiis, Capitulum in hanc sententiam de-
» scendit, petendam esse ab Apostolica Sede resolutionem du-
» biorum propositorum. »

Quoad vero reditus Canonicorum haec Episcopus refert. « *Reditus annui singulorum canonicatuum, non computatis distributionibus quotidianis, deductisque cuiusque generis tributis , summam libellarum mille quingentarum attingunt, distributiones quotidianae tenues sunt, cum vix libellas tercentum annuatim excedant pro singulis canonicis, Dignitatum, et Canonicatuum liberae collationis praebendae massam communem constituunt, de qua singuli provisi aequaliter participant, proindeque pares sunt singulorum reditus.* » Tandem Episcopus animi sui sensa pandit quoad propositam quaestionem inquiens: « Duo sunt articuli decreti Episcopalis
» super quibus dubium movetur, nonus atque decimus. Alter
» disponit, Dignitatibus, Canonicis et Capellanis indulgendas
» esse vacationes a servitio chori per duos menses sive con-
» tinuos sive interpolatos , et per hoc vacationum tempus
> distributiones quotidianas ab absentibus lucrari, etsi, uti

loquitur decretuui, deficiant punctaturae libellae 36 p[1] Dignitatibus et Canonicis et libellae 18 pro Capellanis.

» Ad cuius commatis intelligentiam notari oportet, in Ecclesia Cathedrali A. pro punctatura quotidiana singulis diebus assignatos esse solidos undecim (nisi interveniant functiones extraordinariae, uti processiones, plures Missae Conventuales et similia, quibus in casibus solidi adduntur ultra numerum praedictum); viginti porro solidi libellam conficiunt; ideoque libellae 26 constituuntur solidis 720, scilicet diebus punctaturae ordinariae sexaginta quinque, cum residuo solidorum quatuor. Hinc fit quod non duo tantum menses integri, sed duo menses et quinque dies absentiae Dignitatibus et Canonicis remittuntur, itemque Capellanis, qui distributionibus participant perinde ac Canonici , sed non ad aequalitatem, bene vero pro medietate tantum.

» Hic articulus IX. meo juxlicio . pugnat cum iure communi, et praesertim cum decreto Tridentini sess. XXII cap. 3. et sess. XXIV cap. 12 de reform.: quo in usum revocala fuit Constitutio Bonifacii VIII relata in 6, tit. 3 *de Clericis non resid.*

» Pugnat item cum peculiaribus Capituli Statutis, quae a tempore celebrati Concilii Tridentini et iuxta dispositiones Conciliorum Provincialium Me liolanensium ( Provinciae quippe Mediolanensi usque ad saeculi praesentis exordium adscripta fuit semper Dioecesis A.) abrogata contraria consuetudine, tempus absentiae ad tres menses pro quolibet anno contraxerunt, concessis fructibus beneficii, sed missis distributionibus quotidianis.

» Pugnat tandem cum natura et ratione quotidianarum distributionum, quae ideo inductae sunt ut essent diligentiae stimulus et praemium, ut scilicet ad eas lucrandas prompti ac solliciti servitio chori incumberent Canonici et Capellani.

» Alter articulus Decreti, scilicet X, sexagenarios absentes matutinis horis[1] ut praesentes habendos esse pronuntiat. Haec dispositio est omnino singularis, neque, quod sciam, exemplum habet in reliquis Ecclesiis Collegialibus istarum regionum ; et cura Canonici omnes provectae sint aetatis,

» nemo iam brevi matutinis horis interesse teneretur. Ad haec, » officium matutinum quod tempore editi Decreti summo mane » celebrabatur, in praesens nunquam ante horam sextam gal- » licam tempore aestivo, et in hieme hora septima cum se- » i lisse inchoatur. Praeterea ab exeunte mense Novembri us- » que ad Pascha recitatur officium in Choro hiemali, idest » in Sacristia, ubi Canonici et Capellani a frigoris asperitate » i um loci angustia, tum ignis accensione caventur.

» Itaque censeo utrumque articulum memorati Decreti com- y> muni iuri, statutis peculiaribus et Chori servitio contrarium.

» Quod attinet ad Apostolici Delegati qualitatem, quam » sibi asserit Episcopus G, in Archivio Curiae nullum re- » peritur documentum, quo huiusmodi delegationis limites » et. conditiones dignosci queant. Tunc temporis nondum erat » R o aanus Pontifex libertate privatus, et negotia ab Episco- » po G in citatis articulis expedita, adeo non urgebant, ut » ad Apostolicam Sedem recursus haberi non posset.

» Utrum vero legitime introduci posset consuetudo contra » Concilii Tridentini decreta, praesertim si clausula irritante » munita existant, S. Congregationi definiendum relinquo. »

Hisce habitis proposita fuit quaestio sub dubio" u " formi- li i n ejdci' oxsoriptis.

**Suscepta*!» synoptáea.**

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO IN FAVOREM DECRETI EPISCO- PI '. Dubitari nequit quod ex Summi Pontificis privilegio Cdionici et Beneficiati vacantes a chorali servitio, conciliari vacationum tempore, queant lucrari distributiones quotidianas, ipse enim ex plenitudine potestatis disciplinae ecclesiasticae est moderator et arbiter. Porro Episcopus G uti Apostolicus Delegatus concessiones in themate induisisse videtur: hinc de ipsarum valore atque efficacia ambigere nefas est. Porro quod Episcopus id egerit uti S. Sedis delegatus, eruitur ex ipsius Decreti verbis. Quod autem id possint S. Sedis delegati, ex- inde patet quod Delegati Apostolici Pontificis potestate fun- gantur. Ita *cap. Sane de offic, et potest, iudicis delegati;* ibi: *I-1, d er, a n chis delegatus vices nostras gerit.*

Neque iu. *ai* opponere prorsus ignorari utrum facultates huiusmodi in casu extiterint, atque utrum eo usque ampliatae fuerint, quandoquidem huic offendiculo obviam iri potest tritissima illa iuris regula quod *praesumitur factum quod de iure faciendum erat.* Idque eo vel magis quia graves et legitimae causae aderant ad id statuendum impellentes, quas Episcopi Decretum recenset, inquiens: « *Quum iniuria temporum Cathedralis nostrae Ecclesiae praebendae pleraeque, et quidem pinguiores, nec non quotidianarum distributionum massa. . . . praediis, ac fort unis sic eocpoliata existant, v' Ecclesiae ministri eidem iugiter inservientes etsi ad minorem redacti numerum sustentari perparve nimis valeant.... postulationibus vestris annuendum fore ducimus, auctor it a t etiam qua fungimur Apostolica concedentes ac indulgente in Domino.* » Neque novum est huiusmodi indulta elargii i praesertim si praebendae fructus, et distributiones uti in themate, adeo tenues existant, ut honestae sustentationi vix sufficere possint. Sane in una *Oriolen. 6 Decembris 1794* Capitulum attenta paupertate redituum praebendae et distributionum, ampliationem vacationum una cum perceptione ipsarum distributionum expostulavit ab H. S. Ordine, et voti compos factum fuit. Quapropter concessiones in themate suo robore consistere videntur.

His accedit quod S. Tridentina Synodus *cap. 3 sess. 21* amplissimam tribuit Episcopis facultatem decernendi in iis, quae ad chorales distributiones pertinent.

At nedum ius adsistit, sed et consuetudo suffragatur, ides: septem supra sexaginta annorum observantia sive in lino: *praesumptiva,* sive in linea *praescriptiva.* Sane assistit in linea *praesumptiva* eo quod praesumi legitime haud queat , quod Episcopi omnes, qui O successerunt, huiusmodi errorem vel non adverterint, vel ei non occurrerint, si revera eis praesto non fuissent argumenta pro huiusmodi decreto sustinendo. Quod autem in linea *praescriptiva* adiuvet ex eo patet, quod consuetudo legitime introducta novum ius constituat. Ad rem *Can. Consuetudo dist. 2,* ibi ; « *ea quae Ion y't consuetudine comprobata sunt, non minus quam ea*

*quae scripta sunt iura servantur.* » Neque miim; certum est consuetudinem legitime invalere etiam contra canones, siquidem nec paucis, nec parvae notae canonistis sententia arridet, quod lapsus decem annorum sufficiat ad eam inducendam, etsi rigidiores requirant plusquam quadraginta annos. *Reiffenstuel in lib. 1 Decret, tit. 4 §. 4 num. 102 et seq.* Quod autem legitima fuerit huiusmodi consuetudo id facile suadetur, etenim nec rationi, neque honestati repugnat, et maxima fuit bona fide introducta, necnon legitimo tempore completa. Denique tradunt Doctores valere consuetudinem ut distributiones dentur Clericis senibus post septuagesimum annum quamvis divinis non intersint, inter quos Monet, *de distr ib. part.. 2 quaest. 12 n. 57,* Sanctarell. *variar .resol, quaest. 8 n. 14,* Barbosa *ad Concil. Trid. sess. 24 cap. 12 pag. 321 n. 62 circa finem.* Quare concludendum est, concessiones al) Episcopo G factas sustineri, tam iure quam consuetudine inspecta.

ANIMADVERSIONES CONTRA DECRETUM EPISCOPI. Altera sed vero ex parte perpendendum occurrit Bonifacium VIII *cap. Consuetudinem de Clericis non residentibus in 6* (quod a Concilio Tridentino renovatum fuit), postquam generatim constituit Canonicos et Beneficiatus absentes distributionibus carere, haecstatim adiungere: « *Exceptis illis, quos infirmitas, seu iusta, et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excusar et.* >

Cum itaque has inter causas vacationum tempora haud recenseantur, videtur ex Tridentina Synodo *sess. 24 cap. 12* vetitum esse canonicis tempore vacationum distributiones quotidianas lucrari, quin diversa interpretatio dicto capiti aptari valeat, quoties enim S. H. Ordo hac de re consultus fuit, iugiter declaravit canonicos absentes a residentia, seu vacantes a chorali servitio tempore conciliarium vacationum quotidianas percipere haud posse distributiones, ceu tradit Bened. XIV m sua *institut. 107 num. 36,* nec hac in re aliquid operatur ipsius Capituli consensus, quandoquidem adeo gravis est legum canonicarum rigor, ut Capitulares quibus uti praesentibus accresceret absentium portio, ad ⩿ /itandas collusiones et fraudes iuxta praescriptum Concilii Tridentini in cit. *sess. 24 cap. 12*

nequt'aiií i,h i'aiikmes amissas, eoque minus ^mittendas cedere , vel donare. nisi postquam fuerit peculiaribus canonicis distributa fallentiarum quota, sub poena nullitatis donationis, et transactionis, si forte intercesserit; prouti docent Fagnanus *in cap. Licet n. 90 et 91,* Passerin. *reg. 8 n 127 et seq.,* Bened. XIV *inslit. ecclesiast. 107 §. 7 n. 42.*

Neque oggerendum, quod propositus articulus si non iure inspecto, attenta tamen lon.?i temporis consuetudine consistere possit. Quanti enim facienda sit consuetudo contraria S. Concilii Tridentini decretis, satis concludenter eruitur tum ex generali censura, qua in Constitutione S. M. Pii IV *in Principis Apostolorum* vel irritantur, si praecesserint, vel interdicuntur.ita ut incipere nequeant, tum ex Bened. XIV *inst. eccl. 60 n. 7,* Card. De Luca *de Canon, et Capit, diseurs. 33 n. 3 in adnot. ad Concil. Trid. disc, i num.. 16,* Piton, *discept, ecclesiast. 23 num. 16 et 17 discept. 112 num. 29. VA* S. Congregatio in causa *Dertkonen. Constitutionum Capitularium 14 Septembris 1829* §. *Dubium IV,* apprime tradit: « *Absentes a choro tempore vacationum haud lucrari distributiones , sed eas praesentibus accrescere Trident Synod. sess. 24 cap. 12 de Reform. S. Congregatio in IIlerden. absentiae, et distributionum 3 Maii 1792 ad primum dubium, et in Orolien. 6 Decembris 1794* §. *Quatenus. Quae quidem lex tanti, est roboris, ut nulla imo ehi possit contraria consuetudo, aut etiam iurata Capitularis constitutio,* ut docet *Fagnan in cap. Licet de praebend. num. 92 licet auctoritate Episcopi roborata, cum non valeat Episcopus quidquam statuere, quod iuri communi adversetur.* » Et optimo sane iure, huiusmodi enim consuetudines nervum ecclesiasticae disciplinae paulatim di-irumperent, ad quam instaurandam et confirmandam Tridentini Patres tantopere insudarunt.

Quod vero alterum spectat decreti articulum haec animadversa sunt. Certum, exploratumque est a iure communi non decerni, ut immunitatem a choro obtineat, et fructus, ac distributiones accipiat, qui per annos quadraginta inserviit, Navarrus *constit. 2 lib. 3 de Cleric. non residentibus;* sed cum nonnulla peculiarium ecclesiarum statuta immunitatem hanc

ímpertírenf, Gregorius XIV ductus etiam consilio il. S. Congregationis eadem statuta minime improb inda censuit, Garzia *de benef. part. 3 cap. 2 §. 1 num. 344* Hinc S iora Congregatio huiusmodi privilegium generatim elargitili" canonicis, et beneficialis, qui per *annos quadraginta assidue et laudabiliter munere suo perfuncti fuerint.* Cf. Bened. XIV *in-* ***sta,*** *eccles. 107 num. 64.* Ex dictis itaque consequitur decretum Episcopi G hoc super articulo praxim S. H. Congregationis evertere immunes a choro declarando eos canonicos seu beneficiatos, qui aetatem sexaginta annorum expleverint, quin ulla de praestito chorali servitio ratio habita fuerit, ideoque huiusmodi decreti articulus, iure inspecto, consistere haud posse videtur.

At ne consuetudine quidem attenta sustineri potest. Quandoquidem caeteris omissis, rationi consona haud foret, i alis consuetudo, quae immunitatem a chori servitio tribueret non ob assiduitate»!, et laudabilitatem praestiti ecclesiae servitii, sed ex aetate vel canonici vel beneficiati, quod a iustitiae et aequitatis ratione quantum abhorreat, nemo est qui non vi deat. Porro sci t issi mi iuris est consuetudinem illam parvi faciendam esse, quae sive rationem, sive legem vincat Ad rem *lex 2 Cod.. quae sit longa consuetudo,* ibi: « Consuetudinis, » ususque longaevi non vilis auctoritas est, verum non usque » adeo sui valitura momento ut, aut rationem vincat, aut legem.»

Nec movet huiusmodi concessiones ab Episcopo factas fuisse utpote Sedis Apostolicae delegato. Hanc enim difficultatem diluit Episcopus in Uteris informatoriis, inquiens: nullum reperiri in Curiae Archivio Documentum, quo huiusmodi delegationis limites queant dignosci.

Hisce aliisque animadversis proposita sunt sequentia

**Dubia.**

i. « An concessiones contentae in articulis nono et decimo » decreti a b. m. E| iscopo G. editi, iure sustineantur in casu. »

Et quatenus negative.

II. « An dictae concessiones saltem in vim consuetudini; » vigentis a tempore editi decreti usque ad praesens aio i- > i K ri utu r in casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii, caui x cognita, die 20 Iunii 1874 respondere censuit: Ad I et II *negative.*

Ex **QUIBUS COLLIGES *.**

I. Canonicos et Beneficiatus absentes distributionibus carere, illis exceptis quos infirmitas seu iusta et rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas excuset.

II. Canonicos et Beneficiatus absentes a residentia, seu vacantes a chorali servitio tempore vacationum conciliarium, quotidianas percipere haud posse distributiones, sed eas praesentibus accrescere.

III. Hanc vero legem tanti esse roboris, ut nulla in vehi possit contraria consuetudo, aut etiam iurata capitularis constitutio, quamvis episcopali auctoritate roborata.

IV. Immunitatem a choro iis concessam qui aetatem sexaginta annorum expleverint, quin ulla de praestito laudabili chorali servitio ratio habita fuerit, iure inspecto nullatenus sustineri.

# CO^RUAE PAROCHIALIS

***Die** 22 **Augusti** 1874.*

**Compendium facti.** Episcopus B anno 18/1 exeunte,Sacra tissinio Principi, quem Deus diu sospitet, exposuit, in sua Dioecesi eos, quibus imminet animarum cura, in duplicem classem dispertiri: ad primam illos pertinere, qui licet parochi Curati et Capellani vocantur, parochiali tamen iurisdictione praediti sunt; ad alteram spectare eqs, qui Expositorum et Beneficiato™ m nomine venientes ex propriae praebendae fundatione nonnullas parochiales functiones obire tenentur, quin tamen ordinaria potiantur jurisdictione. Addidit insuper, hisce temporibus praebendarum reditus in ea Dioecesi adeo imminutos esse, ut isti animarum curatores, et careant quo honeste vivant, et insuper alieno aere gravati persaepe decedant. Retulit tandeoi , istorum nonnullos nedum missa pro populo, sed tot aliis missis beneficio adnexis gravari, quot celebrandis integer annus minime sufficiat.

Has ob causas opus fuit ut cogitaretur' de summa quadam pecuniae constituenda, quae congrua esset ad vitam sustentandam: quam non minorem assignandam esse quingentorum Florfnorum putabat Antistes, atque ut hunc finem facilius consequi valeret expostulabat facultatem reducendi praefata Missarum onera, usque ad summam scutatorum biscentum.

Huic Episcopi petitioni Pontifex Maximus per S. Concilii Congreg, rescribendum mandavit « pro facultate i educendi » Missas usque dum animarum curatoribus, aliisque in pre- » cibus nominatis adsignata maneant scutata centum et octo- » ginta monetae romanae, ita tamen ut reductio non excedat » medietatem numeri in fundatione praestiti!ti, arbitrio et > conscientia Episcopi ad quinquennium, et dummodo concessa siones faciendae quinquennii terminum non excedant. »

Jam vero, ut retulit Vicarius Generalis pi.-iefatae Dioece ;s

Uteris die 24 Aprilis labentis anni datis, ex hujusmodi **rescripto*** dubitatio suborta est *an in hac summa scutariorum 180 statuenda, debeant etiam includi eleemosynae Missarum adventiciarum, et praestationes stolae, aliaeve oblationes gratuitae pro certis precationibus pro defunctis publice in Ecclesia faciendis vel non.* Acceptis precibus illico editum fuit a Secretaria S. Congregationis rescripti!m.*Ponatur in folio,* et causa proposita fuit sub dubitandi formula in calce exscripta.

**Disceptatio synoiitiea.**

A .NIAI, v o VERSIONES EX OFFICIO. Neminem latet et saepissime penes S. 0. declaratum fuit, summam scutatorum centum, Parochis a iure statutam pro congrua vitae sustentatione non Vi - *xative* sed *demonstrative* tantum accipiendam esse,ita ut ipsius taxatio prudenti judicis arbitrio committi debeat, ut eam in tanta quantitate constitu it, quae sit sufficiens ad cornmodam et honestam personae sustentationem, habita ratione loci, onerum, qualitatis personae, consuetudinis regionis et similium. S. Congreg. *Firmana pensionis 17 Martii 1827 §. postulat: Portuen. congruae parochialis 27 Augusti 1853 §. Neminem; Rota part. 4 tom. 1 decis. 595 num. 1 part 6. decis. 220 num. 11 part. 19 tom. 1 decis. 1 num. 4* et alibi passim. Hinc parochialis praebendae tenuitati, ubi aliter suppotiae ferri nequeant, consulere oportet , aut perpetua unione Beneficiorum *Conc. Trid. sess. 21 cap. 5 sess. 24 cap. 13 de Ref or.* aut applicatione piorum legatorum, vel etiam missarum reductione *S. Congreg, in Spoletano 18 Decembris 1790, in Novarien. Reductionis Missarum 23 Novembris 1793 et in Asculana Paroeciae 15 Decembris 1804.* At vero utrum in Paiochorum congrua praefinienda ratio haberi debeat etiam emolumentorum, quae incerta dicuntur, quaestio est inter iuris interpretes , qui hanc agitant quaestionem, quando de congrua Vicariis perpetuis adsignanda edisserunt ex dispositione Const. S. Pii V. cujus initium *Ad exequendam,* in qua perlegitur « Ita se (Episcopum) continere et arbitra
» n debere, ut non maior centum, nec minor quinquaginta seu
» tato; um annorum su *:i* la. ❖ 'putatis etiam omnibus ine T-

» *ih* emolu mentis, et aliis obventionibus communiter percipi » solitis, eis (vicariis perpetuis) adsignentur. » Quaenam vero sint -ista incerta emolumenta, et obventiones communiter percipi solitae, inquirunt DD. et in diversam abeunt sententiam, nonnulli enim incerta distinguunt inter mere eventualia , quae Scilicet pendent ex mera populi devotione , et inter incerta aliqualiter certa, quae ex administratione sacramentorum , et a funeribus derivant, atque haec in congruam imputanda esse censent, minime vero illa. Ita Cardinalis De Luca *disc. 18. num. 12. de Paroec. Gonzalez ad Reg. Cancellariae in Prooem.* §. *7'.num. 185. Guiderez Cons il.8 a num 3 ^Valenz. Consil.54. num. 18. Pitonius disc. Eccles. 46. num. 10. 11. Reiffenstuel Lib. III Decret, tit. XXXVII De Catellis Monac. num. 15* qui sententiam hanc si non probabiliorem, saltem aeque probabilem dicit ad tradita per *Reclusium de re parodi, tit. 4 num. 10. Girateli Jus Pont. Part. 11. sect. 23 sub fin.* aliique. Juverit pro rei claritate referre, quae ex auctoritate De Luca habet Pitonius *loc. cit.* « Distinguen- » dum est inter incerta alia esse, quae sunt mere eventualia et » voluntaria quae pendent e sola populi devotione, quorum ra- » tionem habendam non esse pro congrua firmat De Luca » *disc. 18 num. 12 de Paroec.* et alia incerta solvi occasio- » ne sacramentorum, vel sepulturae, quae unt aliqualiter cer- » ta, quorum ratio haberi debet, cum proinde populus non » possit non mori, nqn nasci, non baptizari, ut subjungit » idem Cardinalis, ubi etiam notat, quod in plerisque paro- » chus nullum alium reditum habentibus ista solita emolumen- » ta ob populi numerositatem adeo magnum reditum consti- » tuunt, quod sufficiat etiam ad sustentationem collegii, cujus » beneficia adeo pinguia reputantur, ut etiam pensionibus gra.- » ventur. »

Aliam rationem addit Reiffenstuel *loc. cit. num. 20* inquiens « Quamvis enim tales obventiones (quae nempe ex sa- » cramentorum administratione, purificatione mulierum etc. » exoriuntur) incertae sint respectu certi et determinati tem- » poris aut quantitatis, tamen ad aliquam saltem certitudinem, » computatis tribus aut quatuor retro annis, reduci ita pos-

> sunt, ut Vicarius de honesta sua sus ten catione moraliter
> certus esse queat. >

Alii vero e contrario evincere contendunt congruam solis reditibus et fructibus certis constare debere, non vero emolumentis et proventibus incertis. Inter emolumenta autem et proventus incertos reponunt fructus stolae idest obventiones, quae ex administratione Baptismi, Viatici, Extremae Unctionis, Benedictione nuptiarum , purificatione mulierum, funeralibus etc. percipiuntur easque in congruam imputandas non esse autumant. Ita Barbosa *lib. 3 Iuris Eccl. univ. cap. 6 num. 44. citans Frane. Leo, in thesauro Fori Eccl. p. i cap. 31 sub num. 6. Van-Espen in Ius. Eccl. univ. q. 2. tit. 35. de portione congrua cap. 6. Pignatell .Tom. 3. Cons.81 et consult. 107 num. 8. in fin. P ir hing, de praeb. sect. 1. num. 44.* et alii plures. Istorum rationes a Reiffenstuel capitulatim afferuntur *loc. cit. num. 13. 14.* Emolumenta superius descripta in Vicarii congruam imputari nequeunt « tum
» quia Vicario debetur congrua portio certa, seu certa suffi-
» ciens... Tum quia de Jure cap. 12 de Praeb, debetur portio
» de proventibus Ecclesiae, atqui stolae non sunt proventus
» Ecclesiae sed fructus officii et laboris ipsius Vicarii. Con-
» firmant hujusmodi doctrinam ingentibus, quae contraria se-
» cum trahit sententia, absurdis, praesertim quod Vicarii
> hujusmodi quasi necessitate adigantur ad turpiter exigendas,
> quaerendas, directe vel indirecte sollicitandas oblationes ac
> mercedem in casu administrationis sacramentorum, et aliorum
» munerum pastoralium , cum alias necessaria sustentatione
» carerent. Ex quo non raro nota avaritiae, injustitiae aut
> etiam simoniae inuritur Vicario, copiosae consurgunt ple-
> bis murmurationes, irreverentia, et vilipensio sacrorum, dum
> ea quasi vendi vel emi vident, neglectus vel tardior usus
» sacramentorum, praesertim viatici, et ex timore, quod Pasto-
» ri merces, quae saepe nonnisi difficulter haberi potest, da-
> ri debeat, prout amplius discurrit Van-Espen 1. cit. ubi etiam
> plures synodos adducit, in quibus statutum habetur ut certa
» congrua portio in tantum assignetur, ne in administrandis
» sacramentis quidpiam exigendo oneri sint Parochianis, sunt

» ve.roa Patrum in Concilio Coloniensi 15:3(3. Accedit quod
» in hujusmodi Parochiis ubi incerti fructus stolae in congruam
» portionem i «mutantur, debite qualificati, et litterati Pastores
» haberi nequeant utpote qui fugiunt Ecclesiam, ubi nonnisi
» continua sollicitudine et turpi quasi quaestu et exactioni-
» bus suam sustentationem habere queunt, id quod etiam no-
» tatur c. extirpandae, *30 de Praeb, et cap. 1. eod. in 6°.»*
Hanc autem sententiam etiam contrarii DD. communiorem vocant, uti *Reiffenstuel I. c. n. 13. Pitonius disc. Eccl. 46. n. 12.*

Praeter Canonistas vero Rotae tribunal saepe quoad hanc materiam iudicium protulit, et praemissa distinctione inter incerta quae habent aliquam certitudinem, ut sunt decimae frumenti, vini, olei aliique fructus, qui incerti sunt tantummodo ratione summae et quantitatis; atque inter emolumenta quae omnino incerta sunt, ut reditus funeralium, oblationum nuptiarum, eleemosynarum altaris et similium; prima in congruam imputanda esse decrevit, non vero secunda. *Ita part. 6 recent, decis. 230. num. 3 part. 13 decis. 392 num. 8 part. 19 tom. 1 decis. 1* **n.** *11 part. 13 decis. 347 num. 8 part. 19 tom. 1 decis. 1 num. 9 cum sequenti* et alibi saepissime. Praestat prae ceteris *decisionem 230 num. 3 part. 6* referre ubi recitatis S. Pii V verbis *computatis etiam omnibus incertis emolumentis et aliis obventionibus communiter percipi solitis* -subdit, « quod est intelligendum de
> incertis quae habent quamdam certitudinem ut sunt decimae
» frumenti, et vini aliique fructus, emolumenta et obventiones
» quae penes Vicarium sunt incertae quantum ex illis percipere
» possit, non autem hoc est intelligendum de omnino incertis,
» ut sunt eleemosynae altaris, funeralium, et similium quia
» ista non computantur in congruam. Rebuff. de congrua.
» num. 8*3 et 86. Mantic. decis. 269 num. 6 Rota decis. 5
» num. 3 p. 2 divers, et d. decisione 449 n. 6. et d. decis.
» 420 sub num. 2, ubi redditur ratio, quia venter non debet
» pendere ab incerto, cum venter non patiatur dilatione!a. »
Unum tantummodo casum excipit Rota quando scilicet de consuetudine loci aliter introductivi i doce (tur. Ita *decis. 1*

*num. 10 part. 19 tom. 1* ubi ait « Non obstat quod Pa-
» rochi habeant plures reditus consistentes in umeralibus òbla-
» tionibus, nuptialibus eleemosynis aliisque similibus, quia
» cum ista sint mere incerta nisi de consuetudine loci aliter
» introductum doceatur, non veniunt imputanda in congruam
» Rebuff. de congr. port. num. 31 et 87. Gratian, discept. 399
» n. 10 et seqq. Tondu t. quaest, benef. 58 num. 4 et 5 et
> pluries firmavit Rota . . . . in quibus concordantes et
» contraria tantum procedunt in incertis, quae habent aliquam
» certitudinem, ut sunt decimae frumenti, vini, olei, etc.

Huiusmodi Rotae distinctio et sententia, cui plenissime adhaeret Ferraris verbo *Congrua art. 11 num 11,12,* nec non Scarfantonius *lib. III. Tit. III num. 60 m* superiorem Canonistarum opinionem recidit. Siquidem licet Rota cum distinctione procedat, attamen emolumenta stolae haud in congruam imputari posse statuit, quod pariter ab iisdem contenditur.

Quid autem in hac judiciorum varietate S.Concilii Congregatio senserit, fortasse deduci potest ab *hernien. Vicariae 20. Aprilis 1697 lib. 47. Decr. pag. 151 et 547* ubi tertio loco proposito dubio « An eidem Vicario perpetuo assignanda
» esset congrua et quid in ea imputandum - responsum fuit
» - Assignandam esse congruam, arbitrio Episcopi, dummodo
» non excedat summam ducatorum sexaginta , computatis in
» ea fructibus praebendae et aliis ad formam Bullae Beati
» Pii V. » Jamvero pro executione praedictae resolutionis lata fuit ab Episcopo sententia infrascripti tenoris « Declaramus
» supradicto Vicario perpetuo assignandam esse congruam in
» summa ducatorum sexaginta . . . computatis tamen in eadem
» congrua fructibus praebendae omnibus, etiam incertis emo-
» Iumentis et aliis obventionibus communiter percipi solitis.
» Declarantes etiam in congrua praedicta non esse computan-
» das distributiones quotidianas, quae dantur ratione servitii
» personalis praestiti ob interessentiam choro, caeterisque fun-
» ctionibus, oblationes, candelas, eleemosynas, aliaque emolu-
» menta parochialia solita dari pro funeribus, pro benedictio-
» ne cadaverum in suis domibus, pro officio absolutionis.su-

» pa; dei arietis. . . . pro benedictionibus donioiuin in diebus
> Pascbatis, pro sponsalitiis, pro Baptismis et similibus tam-
» quam non comprehensa in Bulla B^ati Pii V. »

Appellatione a Capitulo interiecta, quia se gravatum potabat praesertim ex non facta computatione distributionum, dubium ita concinnatum fuit « An in congruam Canonici Cu-
» rati imputari debeant distributiones quotidianae, quae dan-
» tur ratione servitii personalis et interessentiae Choro, nec-
» non caetera emolumenta parochialia expressa in sententia
» Episcopi - responsum prodiit = Affirmative quoad primam
» partem, negative quoad secundam. »

Hisce praahabitis, ad propositam controversiam propius accedimus, in qua, secundum ea quae Vicarius Generalis exposuit, duplex incertorum genus distinguendum esse putabatur, unum illorum, quae mere eventualia sunt et nulla gaudent certitudine uti missae adventitiae, quae ne accensentur quidem inter emolumenta parochialia, nec non oblationes, quae a fidelibus sponte exhibentur pro aliquibus precationibus publice in ecclesia ad fidelium animas suffragandas peragendis; alterum illorum, quae emolumenta stolae respiciunt. Iamvero primum genus incertorum in congruam imputari non posse communissima Doctorum sententia tenet cum Reiffenstuel *I. cit. num. 19.* Controversia igitur ad secundum genus tantummodoarctanda est juxta ea, quae superius exposita reperiuntur, et circa quam varium ferri potest Judicium prout unam vel alteram iuris interpretum doctrinam amplecti libeat.

Caeterum animadversum fuit in themate, cum de Missarum reductione obtinenda ageretur prudenti EE. PP. arbitrio *n* linquendum, utrum opportunius foret in Parochorum congruam stolae fructus imputare. Etenim per Rescriptum Pontificis Missae reducuntur usque dum animarum curatoribus Dioecesis salva maneant scutata centum et octoginta monetae romanae; ideoque si ab ista pecuniae quantitate emolumenta stolae deducantur, manifestum erit majorem Missarum numerum remittendum esse. Revera qui scutata centum et octoginta, computatis istis emolumentis pro congrua haberet, jam Missarum reductione non indigeret. At si emolumenta ista a congrua subtra-

hanttir, summa illa iam amplius non superesset, ideoque ad reductionem necessario deveniendum esset.Quare pronum est inferre a computandis vel non computandis stolae incertis, maiori Missarum reducendarum numero locum neri ; cum autem reductio, utpote in iure odiosa, strictiorem interpretationem inducat, hinc ratio habenda videretur et stolae incertorum in congruae computatione. Verum ex alia parte animadverti potest sententiam, quae ista emolumenta a congrua deducit, communiorem esse, et temporum necessitati melius respondere.-Etenim cum vitae sustentatio difficilior evaserit ob annonae caritatem, ea potius sententia seligenda est, quae Parochis favet, quam quae ipsis adversatur. Hinc ea, quae laudatus Reiffenstuel *L 3 Decret, loc. cit. n. 23* profert quoad congruae taxationem, etiam praesenti quaestioni aptari posse viderentur *ibi* « Observandum nihilominus et attendendum omnino videtur, » quod tempore , quo edita fuit haec Bulla (Pii V.) videlicet » 1567 omnia saltem in suis partibus fuerint in longe vilio- » ri pretio, adeo, ut his temporibus respectu praecedentis il- » Ii us temporis necessaria vitae vix duplici pretio acquiran- » tur, consequenter ubi tempore illo quinquaginta vel centum » scutata pro honesta sustentatione sufficiebant, hodie centum » vel ducenta necessaria sint, adeoque etiam temporis ratio » merito habenda sit iuxta illud vulgare= concorda tempora » et concordabis iura. = »

Hisce expositis propositum fuit resolvendum

**Dahlum**

*An et quae emolumenta immutanda sint in congruam in casu.*

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii , re mature perpensa die *22* Augusti 1874 respondere censuit *t*= In casu de quo agitur emolumenta in congruam non esse i reputanda. =

EXINDE COLLIGES :

I. Pro congrua parochi sustentatione iuxta Concilii Tridentini dispositiones unione beneficiorum , vel decimarum aut

primitiarum assignatione, aut symbolis, et collectis Parochianorum et commodiori alio modo provideri debere.

II. S. Sedem tenuitati parochialis praebendae succurrere solere Missarum reductione, ubi aliis mediis a iure statutis provideri nequeat.

III. Congruam pro Vicariis Curatis a iure statutam in summa scutatorum centum, non *taxative* sed *demonstrative* accipiendam esse.

IV. Ideoque, quando sermo sit de congruae tenuitate, hanc a iudice praefiniendam esse perpensis circumstantiis loci, beneficii onerum, animarum numeri, personae rectoris, nec non alimentorum pretii.

V. Eleemosynas Missarum quae adventitiae dicuntur, in congruam non esse computandas.

VI. Quamvis distributiones quotidianae in Canonici Parochi congruam sint computandae, necnon incerta, quae dicuntur certa, tamen generatim loquendo incerta stolae computari non posse, nisi aliter arbitrio iudicis declaratum fuerit.

## SUPER ELEEMOSYNIS MISSAE CONVENTUALIS

*Die 22 Augusti 1874.*

: **ummaria precum.** Literis Apostolicis diei 16 Iulii anni 1851 provisum fuit ut bona Capitulo Cathedralis Ecclesiae V. assignata ad eiusdem dotationem constituendam, massam communem efibrmarent, ex qua fructus pro rata praebendae Capitularibus distribuerent ur, ea tamen lege, ut tertia pars fructuum cuiusque praebendae cederet in massam, quam vocant, distributionum. Verumtamen cum praescriptum esset a praefatis literis Missam conventualem quotiuie applicandam esse ad formam Benediciinae Constitutionis, dubitatum fuit a Capitularibus, utrum eleemosyna pro hac Missa, detrahenda esset ex massa communi, seu potius ex massa distributionum: primae sententiae patroni ea potissimum ratione ducebantur, quia Missa conventualis est onus beneficio adnexum, non vero distributioni bus, alterius vero fautores contrarium protuebantur innixi variis S. C. C. resolutionibus. Quapropter Episcopus ad omnem controversiam amovendam recursum habuit ad H. S. C. Habito huiusmodi supplici libello decretum fuit a Secretaria S. C. ut causa haec inter summaria precum in pleno EE. PP. consessu definienda foret.

**Disceptatio sjnoptica.**

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Missa Conventualis, cuius celebrationis et applicationis onere gravantur quicumque, sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatu, aut alia beneficia choralia in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis obtinent, veluti divini officii pars censetur *cap. de I,is dist. 2. glos. in Clement.i de celeb. Miss.* S. Cong. in *Àlb.Rid. Miss. 17 lu-*

*nil 1786 et in Reatina Missae Convent. 26 Iunii 1850 §. nemo.* Imo praecipua divinorum pars dicitur in *Pisanen. Applicationis Missae Conv. 6 Iulii 1737 §. 4.* Ut onus praebendis adnexum habitum fuit in una *Burgi S. Domnini Miss. Conv. 16 Maii 1716 et in Fui gin. 24 Ianuarii 1620.* Debitum autem appellatur in celebri Constit. Bened. XIV. *Cum semper oblatas* diei 19 Augusti 1744. Iamvero ex his iuris principiis prono veluti alveo fluere videtur, eleemosynam in themate potius e distributionum massa esse desumendam, praesertim si Tridentini verba perpendantur in *cap.3. sess. XXI de Ref.* ibi « Divinis interessentibus ne qua in parte minuatur » divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium > praestetur, per quotidianas distributiones consuli um est. »

Hanc Tridentini mentem declaravit S. O. in praecitata causa *Burgi S. Domnini* cuius haec erat species. Episcopus in Collegiata iam erecta ab anno 1601 occasione sacrae Visitationis applicari decrevit Missam Conventualem a Dignitatibus, Canonicis et Vicario, quibus ea Collegiata constabat, et pro illius celebratione persolvi iulium unum a Thesaurario Capituli ex reditibus Mensae Capitularis, qui superessent ordinariis oneribus expletis. Contendentibus capitularibus eleemosynam pro tali Missa persolvendam non es-o, utpote onus praebendis adnexum, quaesitum fuit « *An Dignitatibus, Canonicis et Vicario perpetuo debita sit eleemosyna unius iulii pro qualibet Miòsa Conventuali ultra emolumenta praebendarum et Vicariae respectivae.* S. Congregatio respondit : *Affirmative pe* modum distributionis.*

Confirmatur ex recitata Constit. Benedicti XIV qui vestigiis Tridentini et S. H. O. resolutionibus inhaerendo, postquam in §. *12.* revocavit primaevam obligationem, ex abusu in pluribus Cathedralibus et Collegiatis Ecclesiis obsoletam, celebrandi, et applicandi quotidie Missam Conventualem pro benefactoribus in genere sub §. *18* habet « Aliorum pariter exceptio » fuit, quod Missa Conventualis non semper a Canonicis et » Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficialis » et Mansionariis quod minus aequum videtur pia Missae ce- » lebratione omni- eleemosyna carere, quae unde desumi valeat

> ignoratur. Cui rei pariter consultum est demandando ut ea » desumatur ex massa distributionum. »

Accedit constans ac perpetua praxis S. H. C. quae sive ante, sive post laudatam Constitutionem in omnibus fere casibus in quibus ob peculiares circumstantias consulta fuit, de qua massa retribuenda esset eleemosyna pro applicatione Missae Conventualis respondit: *ex massa distributionum. Ita in S. Sever. Eleem. Miss. Convent. IS Feb. 1764 §. 5 Senen. Iubil. 12 Ian. 1760 §. 5* et in aliis relatis in *Monasterien. Vis. SS. LL. 6. Decem. 1845*. Quod si massa distributionum minime extaret, eam esse efformandam prudenti Episcopi arbitrio pro huiusmodi Missarum stipendio decrevit in *Herbipolen. Miss. Conv. 2. Iunii 1860 inter summaria precum et in Colon. Vis. SS. LL. 17. Decem. 1859 inter summ, et 12 Sept. 1868 in folio* iterum proposita.

In praesenti autem themate maximi facienda videtur decisio S. O. in *Ferrarien. 18 Martii 1719* in qua proposito dubio n. 7. *An eleemosyna Missarum Conventualium desumenda sit ex massa distributionum, vel ex fructibus praebendae singulorum canonicorum,* responsum prodiit, *esse desumendam ex m,assa distributionum.*

His aliisque deductis et perpensis, S. Congregatio Concilii die ¿2 Augusti 1874 respondit: *Eleemosynam Missae Conven'italis solvendam esse ex massa distributionum.*

EXINDE COLLIGES:

L Missam conventualem, ex sacrorum canonum dispositione in singulis cathedralibus, et collegiatis Ecclesiis in benefactorum suffragium quotidie applicandam esse.

II. Hinc optimo iure Missa, conventualis sub divinorum officiorum nomine compreb nditur, quin immo praecipua divi- **II** officii pars censetur.

III. Eleemosynam Missae conventualis ex massa distribuonum desumendam esse.

IV. Deficiente autem distributionum massi, prudenti arbitrio Episcopi pro huiusmodi Missarum stipendio providendum.

RESPONSIO

# AD NONNULLA DUBIA

DATA

A S. C. CONCILII TRIDENTINI

Cum circa eleemosinas Missarum graves quaedam quaestiones S. Sedi propositae fuerint, eas SSmus D. N. D. Pius divina providentia Papa IX Emis ac Rmis DD. S. Rom, Ecclesiae Cardinalibus Concilio Tridentino interpretando ac vindicando praepositis, expendendas ac resolvendas mandavit. Itaque iniuncta sibi muneri, ea qua par est diligentia et consilii maturitate iidem Emi Patres satisfacere cupientes infras ripia dubia desuper concinnari voluerunt.

L An turpe mercimonium sapiat, ideoque impro" anda, et poenis etiam ecclesiasticis, si opus fuerit, coercenda sit ab Episcopis eorum Bibliopolarum vel mercatorum agendi ratio, qui adhibitis publicis invitamentis et praemiis, vel alio quocumque modo Missarum eleemosynas colligunt, et Sacerdotibus, quibus eas celebrandas committunt, non pecuniam sed libros aliasve merces rependunt?

II. An haec agendi ratio ideo cohonestan valeat, vel quia nulla facta imminutione, tot Missae a memoratis collectoribus celebrandae committantur, quot collectis eleemosynis respondeant, vel quia per eam pauperibus Sacerdotibus, eleemosynis Missarum carentibus subvenitur?

*xli.* An hujusmodi eleemosynarum col leci iones et erogatione» tunc etiam improbandae et coercendae, ut supra, sint ab

Episcopis, quando lucrum, quod ex mercium cum eleemosynis permutatione hauritur, non in proprium colligendum commodum, sed in piarum institutionum et bonorum operum usum vel incrementum impenditur?

IV. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi atque etiam coercendi, ut supra, sint ii, qui acceptas a fidelibus vel locis piis eleemosynas Missarum tradunt Bibliopolis, mercatoribus, aliisque earum collectoribus, sive recipiant, sive non recipiant quidquam ab iisdem praemii nomine ?

V. An turpi mercimonio concurrant, ideoque improbandi et coercendi, ut supra, sint ii, qui a dictis Bibliopolis et mercatoribus recipiunt pro Missis celebrandis libros, aliasve merces harum pretio sive imminuto, sive integro?

VI. An illicite agant ii, qui pro Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis, vel turpis lucri specie?

VII. An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere, ut eorum decori et ornamento consulatur, quand ) praesertim ea propriis reditibus careant ?

VIII. An et quid agendum ab Episcopis, ne in iisdem Sanctuariis plures Missarum eleemosynae congerantur, quam quae ibi intra praescriptum, seu breve tempus absolvi queant?

IX. An et quid agendum ab Episcopis, ut Missae, sive quae singulis Sacerdotibus, sive quae Ecclesiis et locis piis a fidelibus celebrandae 'OMimittimtur, accurate et fideliter persolvantur ?

Quibus dubiis non semel .in propriis comitiis sedulo et accurate perpensis, tandem in Congregatione Generali habita

in Palatio Apostolico Vaticano die 25 iulii 1874, iidem Emi Patres in hunc modum respondendum censuerunt, videlicet:

Ad I. Affirmative.
Ad II. Negative.
Ad III. Affirmative.
Ad IV. Affirmative.
Ad V. Affirmative.
Ad VI. Negative.
Ad VII. Negative, nisi de consensu oblatorum.
Ad VIII. et IX. Standnm Constitutionibus Apostolicis et Decretis alias datis (1).

Factaque die 31 Augusti 18/4 de his omnibus SSmo D. N. per me infrascriptum Secretarium relatione, Sanctitas Sua resolutiones S. Congregationis Apostolica sua auctoritate adprobavit et confirmavit, atque ad Episcopos transmitti iussit, ut ipsi eas intra propriae iurisdictionis limites exequendas, perpetuoque et inviolabiliter servandas curent. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Concilii di» 0 Septembris 1874.

P. CARD. CATERINI Praef.
P. ARCHIEPISCOPUS SARDIANTS SOCI*.

(1) Vide Benedict XIV Instit. Eccl. 56; De Synodo Dioec os lib. 5 cap.Sseq, De Sucrif. Miss. lib. 3 cap. 21 seq.

# EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## CANON f O AT US QUOAD DISPENSATIONEM

***Die 1 Maii 1874.***

**Compendium facti.** Supremis, quibus decessit tabulis diei 25 Martii anni 1720 Ioseph G. ex omnibus bonis suis, duos canonicatus in Ecclesia Collegiata S. erigi mandavit, ea tamen lege, ut iuspatronatus, tam activum, quam passivum ad tres familias ab ipso designatas in infinitum spectaret. Cavit tamen inter caetera pius fundator, ut *magis idoneus, et habilis in actu vacationis* ex dilectis familiis praelationem haberet; quin imo subdidit, quod si in ipsis personae non adessent sacerdotali ordine insignitae, *clericus ex eis magis idoneus et habilis esset praeferendus.*

Iamvero vertente Octobris mense anni 1872, per mortem Aloisii C. vacare contigit unus ex praedictis canonicatibus, ad <(uen assequendum optarunt tres iuvenes descendentes ex familiis a testatore vocatis, at omnes clericali tonsura destituti. Verumtamen alter ex his causae renuntiare visus est, eo quia propter morbum, quo afflictabatur, semetipsum physice ineptum reputavit ad beneficium assequendum: alter vero Emericus M. cum in aetate canonica quatuordecim nempe annorum reperiatur, activo, et passivo pollens iure, seipsum praesentavit, atque ab Apostolica Sede expetivit- ut suipsius nominationem acceptare^ ac in vim Pontificii Rescripti formalem, et materialem possessionem consequi valeret: tertius demum Hector G. aetate canonica destitutus ad praefatum canonicatum assequendum praesentatus a maiori pal onorum numero cum clausula *in*

*omni meliori modo a iure canonico exquisito,* ini. i quadrimestre preces Ssmo obtulerat ad dispensationem obtinendam jb aetatis defectu.

Hisce acceptis precibus a Congregatione EE. et RR. negociis praeposita, de more literae datae sunt Episcopo Administratori Apostolico S. pro informatione et voto, audito Capitulo, ac ut referret in qua praecise aetate reperietur Orator, et an ius alteri quaesitum laederetur, necnon utrum nominatus fuerit ab omnibus patronis.

Tum Ordinarius, tum Capitulum Hectoris precibus favorabile emiserunt votum, quibus tamen restitit Emericus existimans dispensationem in themate sui iuris laesivam esse; hinc die 23 Maii anni 1873 decretum editum fuit ut causa haec in plenis EE. PP. comitiis disceptaretur, et reapse oiimious rite completis discussa fuit sub dubiorum formula , -mae in calce prostat.

**SJiseeptatio s> iioptiea.**

VOTJM CANONISTAE. Hac super quaestione sapiens editum fuit a luriscònsulto pro veritate votum, in quo duo probare s itagebat 1. scilicet ius libere canonicatum conferendi in praesenti specie devolutum esse ad Ordinarium. Quod si 2. paulisper concedi velit devolutioni haud locum factum fuisse, dispensationem Hectori esse largiendam.

Ad probandam primam assumpti partem principium statuebat Orator, quo vetatur in iuro praesentatio laici ad Eccicsiasticum beneficium, quemadmodum post *Cap. Cum adeo de rescriptis et Cap.* ***Ejb*** *Uteris de transad,* docet De-Luca *in discept. 46.* ***n.*** *4. de iure patron,* ibi, « Certum est de » iure, quod laicus non potest in beneficio Ecclesiastico » praesentari. » Atqui ex facto indubitanter eruebatur iuvenes Hectorem a patronis, et Emericum a se praesentatum, laicos esse,quare nullius roboris,nulliusque valoris praesentationes huiusmodi reputandas esse censebat. Quibus expensis, nullius momenti iudicabat exceptionem, quae huic regulae a DD.adiicitur, scilicet laicum a patronis praesentari posse, sub conditione, quod *clericetur* infra terminum a leg:» dututum, ad tradita pei l'i

tonili m *allegat. 100 n. 437. de controv. patron,* ibi « Patro-
» ni possunt praesentare laicum coram Ordinario sub cöndi-
» tione, quod clericetur, cum in hoc casu praesentatio collata
» videatur in tempus, quo praesentatus erit capax per asse-
» quutionem Clericalis ante institutionem. » Cui concordat
De Luca *De iurep. discept. 45* ***n.*** *7.* ibi « Non prohibetur
» patronus praesentare unum de genere, quamvis laicum, vel
» incapacem sub conditione capacitatis, quoties ista superve-
» niat durante tempore dato ad praesentandum ex deductis per
» *Pirr. Corrad. in prax. benef. lib. 4 cap. 6 n. 31 et 32.*
> *Rota..,.* » Etenim Emericus, etsi laicus, absque ulla reservatione semetipsum nominaverat et praesentaverat; Hector vero quamvis praesentatus a patronis cum reservatione illa *in omni meliori modo a lege canonica exquisito,* quae verba etsi reservationem *si clericetur* continere valeant, et debeant, in facto tamen erat clericali tonsura destitutus. Hinc cum ambo infra quadrimestre neglexerint clericari, manifesto apparebat ipsorum praesentationes nullius esse roboris, et per consequens legalium effectuum expertes , ut docet Pitonius *loc. cit allegat. 41. num. 27. circa fin.* ibi « Praecipuum fundamen-
» tum, ex quo movebar ad concludendum praesentationem
» Micuti esse omnino nullam, in eo consistebat, quod facta
» fuerat de laico, qui Clericatum obtinuit elapso quadrimestri
» et sic tempore non habili, cum ad validitatem praesentatio-
» nis habilitas, seu Clericatus praesentati requiritur, ut su-
» perveniat infra terminum quadrimestris. » Fortius autem istiusmodi admittendum erat argumentum, quia ab ipsis fundationis legibus, clericatus conditio exquirebatur praecipiente testatore personas *habiles et capaces in actu vacationis* nominandas esse ex dilectis familiis descendentes. Age vero sub nomine isto indubium est non alias certo venire posse personas, quam aut sacerdotio, aut clericali tonsura insignitis. Unde cum facto iuris concordaret factum hominis, atque non solum vacationis tempore, verum etiam infra quadrimestre iuvenes ambo clericali tonsura carentes extassent, procul dubio affirmari poterat utriusque praesentationem invalidam reputari debere, proindeque inutiliter quadrimestri praeterla-

pso ius libere canonicatum conferendi ad Superiorem fuisse devolutum.

Neque in casu ad excusandos patronos a privationis poena iuris ignorantia hac in re posset afferri. Siquidem omissa huiusmodi quaestione a DD. controversa, certe et indubie statui poterat, ignorantiam legis fundationis allegari non posse, patronosque pro ea vice privari potestate alterum eligendi ex deductis per DD. praesertim per Pitonium *loc. cit. allegat. 2 n. 10.* ibi « Pone hic quod patroni praesentaverunt non qua-
» lificatum, aut incapacem ex lege fundationis, quam ignorá-
» bant: numquid excusari valeant a poena privationis? Nega-
» tiva regula est amplectenda, quia non potest allegari igno-
» ranfia legis fundationis, et paria sunt hic scire, et scire te-
» neri apud Marant. *resp. 23 n. S et 9 p. 3. Card. Dc-*
> *Luca de iure patron, diseurs. 47 sub n. 4. Cavalier, de-*
» *cis. 231. num. 3.* ita ut praesentantes non idoneum, aut
» non qualificatum iuxta legem fundationis priventur pote-
» state eligendi pro ea vice, et durante etiam quadrimestre
» ius illud accrescit alteri, vel aliis patronis, qui bene prae-
» sentaruni etiam paucioribus, et etiam uni, iisque non extan-
> tibus devolvitur ad Superiorem. *Lambertini lib. 2.p. 1. q. 12*
» *art. 4. n. 17. et n. 23. vers, et idem. dicerem. Cavai*
» *1er. decis. 231. n. 20. Corrad. in prax. benef. lib. 4.*
» *cap. 6. n. 3. Rota in Firmana Altaris 30 Ianua*
» *r ii 1614 »*

Multoque minus patronis opitulari poterat exceptio de pendentia litis, quae quadrimestris tempus remorari posset. Siquidem praetermissa hac super re iuridica quaestione, in facto constabat litem contestatam fuisse elapso iam quadrimestri. Quapropter omnibus perpensis pleno veluti alveo fluere videbatur, ius libere canonicatum conferendi in themate ad Ordinarium fuisse devolutum.

Ad secundam thesis partem progrediens Orator recoluit, Emericum a nemine patronorum fuisse praesentatum, sed in vim iurispatronatus tum activi, tum passivi semetipsum nominasse. Iamvero vetita semper fuit a sacris canonibus praesentatio, quam patronus ad Ecclesiasticum beneficium de m-

pso peragit et veluti superbiam praeferens, constanter reprobatur, et prouti non facta habetur.

Difficultatem autem non facessit in specie Panormitani theorica post *cap. Per nostras de iurepatr.* et hodie apud omnes recepta, qua statuitur patronum posse seipsum praesentare *per viam precum;* etenim tum si facta, tum si iura recte perpendantur, ad casum nostrum applicanda non esset. Non in facto, quia Emericus antea seipsum nominavit, et tantum Pontifici preces porrexit, ut suipsius nominationem acceptaret. Non in iure, cum ipsa tantum locum habeat iu casu, quo unicus extat Patronus. Ad rem Pitonius *loc. cit. allegat. 32. num. 1.2.3.* ibi « Cum ex censura sacrorum Canonum am-
» bitus in beneficiis sit acriter damnatus, proinde statutum
» fuit per Innocentium III in cap. per nostras de iurepatr.
» huiusmodi prohibitionem militare etiam in patrono respectu
» Ecclesiae seu beneficii de suo iuspatronatus, ut nequeat
» seipsum superiori praesentare, ad effectum obtinendi insti-
» tutionem, in quo tamen, ut pede inoffenso patronus proce-
» dere posset, cautelam tradidit Panormitanus in dict. cap.
» per nostras: quod nempe per viam precum supplicaret Or-
» dinario, ut sibi conferret beneficium, ita petendo ex gratia
» non ex iustitia, quae cautela communiter recepta fuit in
» foro, eaque mediante Patronus declinat ab ambitu, secun-
» dum ea, quae sequendo Panormitani traditionem, exponunt
» Lambertini de iurepatr. p. L Hanc tamen opinionem de
» caetero aequam, et rationabilem limitavit Lambertinus ubi
» supra artic. 4. n. 7. ut locum haberet, quando patronus est
» unicus. » Nec insuper Emericus ad suam praesentationem sustinendam ad iuspatronatus passivum confugere poterit; praeterquamquod enim ipsius vocatio directe, et immediate a fundatore non descendebat, ius aliorum patronorum, tam activo, quam passivo patronatu gaudentium, et in themate concurrentium, ipsum ab huiusmodi refugio excluderet. Quapropter cum Einerlei nominatio prorsus nulla *:A* inefficax extasset concludendum erat, nullum effectum parere potuisse ad preces Hectoris refragandas iuxta vulgatissimum iuris principium firmatum in *L. 4 ff. d" re iud. quod nullam est, nullum parit effectum.*

Urgebat praeterea orator Emericum potestatem praesentandi pro illa vice amisisse, quia et contra iurisprudentiae canones, et fundationis leges semet in statu etiam laico, proindeque inhabilem praesentavit ad Ecclesiasticum beneficium ex notatis per Pitonium *loc. cit. allegat. 2. n. 10.* cui consonat S. Concilii Congregatio in *S. Angeli in Vado Canonicatus 22. Septembris 18551* §. *ad tertium*, ubi haec perleguntur « Tralatitium in iure est leges fundationis religiosae » in beneficiorum collatione impleri, et custodiri debere iuxta » monitum Concilii Tridentini sess. 25 cap. 5. de Reform. » adeo ut nulla sit nominatio, ac praesentatio eius, qui iuxta » fundationem non sit qualificatus, cui ideo institutio ab Or- » dinario deneganda est *S. Rota decis. 527. num. 2 coram » Q-regor, decis. 682. num. 3. coram Coccino.* Quin imo » hoc in casu Patronus, qui inhabilem ac non qualificatum » iuxta leges fundationis, quas ipse ignorare non potest, » praesentavit, nisi intra quadrimestre suam non variaverit » nominationem , amittet pro illa vice potestatem prae- » sentandi, quae devolvitur ad Superiorem iuxta communem » DD. sententiam de qua late Ferraris v. lurispatronat. art. 4 » n. 88. »

Neque quidquam prodesset oggerere, ea quae de Emerico dicta, sunt, pari iure Hectorem pertingere, videlicet eius praesentationem nullam esse, et patronos, qui eum praesentarunt ius nominationis pro illa vice amisisse. Siquidem Hector a patronis nominatus fuerat in omni meliori modo a lege canonica exquisito: iamvero ius canonicum non solum legitimam exigit aetatem, verum etiam et ecclesiasticam tonsuram: quapropter cum patroni eum praesentassent .dicta sub conditione, argui non poterat ipsorum praesentationem nullam et inefficacem esse coram lege. Quod si *intra terminum iuris* habilitationi haud locus factus fuerat, culpae Hectoris non esse tribuendum ex dicendis manifestum fiet, hinc de novo praesentare valent iuxta doctrinam Viviani necnon Rotae coram Serafín, et praesertim S. C. Concilii in *Montisalti dispensationis 8 Aprilis 1843* § *neque* ibi « Cum patroni sub conditione dispen- •*p* saiionis praesentaverit, quae reapse infra quadrimestre pe-

» tita fuit adhuc integrum illis ius est ad aliam nominatio-
» nem devenire ex illo recepto principio, quod pendente re-
» cursu tempora non currunt. »

Ex quibus omnibus concludere fas est Emericum a praesenti iudicio esse repellendum, cum et praesentatio ipsius nullitate laboret, et iure nominandi pro hac vice destitutus reperiatur. Fortius id in. themate tenendum est cum praesentatus a minori patronorum numero, quamvis habilis sit, se opponere non valeat ad hoc ut inhabilis praesentatus a maiori parte sub conditione capacitatis *intra terminum iuris* se habilitet, quia ex obtenta dispensatione nullum ipsi damnum obvenire potest ceu tradit "Fargna *de iurepatr. p. 2. can. 3. eas. 6. n. 7* ibi
« Praesentatus a minori parte patronorum habilis non potest
» se opponere, et impedire, quod praesentatus a maiori parte
> patronorum inhabilis sub conditione capacitatis intra termi-
> num iuris se habilitet, sicuti enim non potest impedire,
» quod maior pars variando praesentet alium habilem intra
» eumdem terminum, aut si eadem maior pars peteret expe-
» ctari, et differret praesentationem usque ad finem termini,
» ut fieri posse docet De Luc. de iurepatr. disc. 45. n. 8, prae-
» sentatus a minori parte non potest impedire, quod interim
» praesentandus obtineret capacitatem: ita nec poterit impe-
» dire quominus praesentatus a maiori parte capacitatem in-
» tra terminum iuris consequatur. Ratio autem evidens est,
» quia Summus Pontifex concedendo gratiam dispensationis su-
» per defectu aetatis praesentato a maiori parte E^atronorum,
» vere et proprie nullum praeiudicium infert praesentato a
» minori parte, illud enim vere et proprie adesse dicitur, quan-
» do tollitur ius certum, et de praesenti radicatum, non vero
» ius mere eventuale et in spe *Lotler. de re benef. lib. 2.*
» *quaest. 55. num. 20. Card. de Luc. de iurepatr. disc. 70*
» *num. 17. Praeceptor meus in Parergon, n. 20.* Tum
» quando tollitur ius mere eventuale, adesse dicitur praeiudi-
» cium mere eventuale, quod non meretur nomen praeiudicii,
» nec est ulla consideratione dignum . . . . . . .» Atqui in facto est, Hectorem a maiori patronorum parte fuisse praesentatum cum conditione saepius recitata, necnon *intra terminum iuris*

dispensationem uti inhabilem et incapacem, a Summo Pontifice exquisivisse. Ergo Emerici oppositio nihili ex dictis facienda foret etiamsi habilis et capax esset ad beneficium obtinendum. Inutiliter autem adversarius oggereret Hectorem intra terminum a Sacris Canonibus requisitum dispensationem non obtinuisse, proindeque ipsum legitime impedire posse petitae dispensationis assequutionem 1. quia per ipsum non stetit, ut adimpleretur conditio, hinc veluti impleta habenda foret ad tramites principii iuris, tum civilis, tum canonici, firmati in *L. 161 ff. de regulis iuris* et in *reg. 66. de regulis iuris in Q.* ibi « Cum non stat per eum, ad quem pertinet, » quominus conditio impleatur, haberi debet perinde ac si » impleta fuisset; » *2.* quia etsi per ipsum stetisset, adhuc et inhabilis Emerici oppositio reiicienda foret ex notatis a S. Congr. Concilii in *Imolen. Iurispatronatus et Institutionis die 20 Decembris 1822* §. *Nec* ibi « Immerito resistit pe» titae dispensationi, qui et ipse indiget dispensatione, ut idem > beneficium consequi valeat. »

Verumtamen etsi Emericus legitimus esset contradictor, ne sequeretur quidem ipsi potius quam Hectori concedendam dispensationem. Revera Emericus a nullo patronorum favore sustentatur, cum contra Hector non modo a patronorum pluralitate, verum etiam et ab ipso Ordinario sustineatur. At neminem latet in dispensationibus istius naturae, plurimi faciendum esse tum patronorum tum Ordinarii suffragium, ut notat S. C. Concil, *in Callien. et Pergulana dispensationis 24 Iul. 1824* §. *praeferendus* ibi « Episcopi vero et patrono> rum favor ab hac S. Congreg, plurimi semper habitus est; » et in *Montisalti Dispensationis 8 April. 1843* §. *propterea* ibi: « Accedit Episcopi votum ac patronorum consensus. Plu» rimi autem Antistitis, patronorumque favorem a S. Con» gregatione semper habitum fuisse haud ignoratur. » Post haec inutile foret oggerere in concedenda dispensatione potius favendum Emerico, quam Hectori, .um ille una tantum egeat dispensatione, iste vero duplici; scitum enim est Apostolicam Sedem solere ab uno, vel duplici impedimento dispensare, quoties can a ad*it legitima, neque ex ea alterius ius laedatur,

dum e contra in deficientia legitimae causae, aut ex laesione alterius iuris, numquam dispensat, nec dispensandi animum habet. Ad rem S. Concilii Congregatio post *cap. Si quando de Rescriptis* in *Florentina Canonicatus 1 Martii 1834 §. Nunc vero,* ibi: « Id praecavendum curat Apostolica Sedes » in dispensationibus, ne quid detrimenti ius cuiusquam pa- » tiatur, quod firmum omnibus, et incolume praestari curae » eidem maxime est. » Atqui si Hector dispensatione petita donetur nullius ius violatur, cum pro eo stet favor patronorum, Capituli et Ordinarii, dum e contra si Emerici preces excipiantur laeduntur iura tum patronorum, tum Ordinarii, ad quem ius canonicatum conferendi devolutum fuit, necnon Capitulum ipsum offenderetur. Ex quibus concludere fas est Hectori dispensationem largiendam esse, si paulisper concedi velit devolutionem ad Ordinarium haud locum habuisse in casu.

DEFENSIO EMERICI M. Ex adverso patronus, qui Emerici iura protuebatur, contendebat huic praelationem in themate esse concedendam. Quod ut ostenderet, afferebat Tridentini dispositionem in *sess. 23 cap. d de reform.,* ibi: « Nullus pn- » ma tonsura initiatus, aut etiam in minoribus ordinibus con- » stitutus ante decimumquartum annum beneficium possit ob- » tinere. » Quam porro aetatem omnino requiri et sufficere pro canonicatu in Collegiata Ecclesia adsequendo, communiter Canonistas docere tradit Van-Espen *Ius Eccles, universal, part. 2 sect. 3 tit. 2 cap. 1 n. 13,* ibi: « Quia Synodus Tri- » dentina nullibi exigit, quoad canonicatus in Ecclesiis Colle- » giatis, specialem aetatem, communiter receptum est, non > requiri nisi 14 annorum. » Cui concordat De Luca *de benef, discept. 95 n. 11.* Quibus in iure animadversis, huic dispositioni sese aptare testator portendebat, per recitata fundationis verba, praescribendo in sacerdotum deficientia nominandum esse clericum *magis habilem et idoneum* ex vocatis familiis. Cum igitur Hector aetatis impedimento detineretur, et Emericus ab hoc prorsus liber esset, hunc concludebat praeferendum esse praesertim cum, et eodem distarei gradu ac adversarius a communi stipite, necnon optimis polieret moribus et qualitatibus.

Quod si parumper concedi vellet clericatum actu non susceptum aliqualem difficultatem gignere posse, semper verum erit Emericum uno tantum, Hectorem vero duplici impedimento detineri. At tralatitii iuris est Sanctam Sedem longe difficilius induci ad dispensandum super duplicibus, quam super simplicibus impedimentis, ut perbelle docet Sánchez *de matr. lib. S disp. 23 n. 2y* et *eodem libr. disput. 3 n. 23.* De Luca *de emphyth. discept. 15 n. 6.* Menoch. *de arhitr. Iudic. lib. 2 eas. 203 n. 13,* ibi : « Ubi plura obstant impedimenta dif- » ficilius concedi solent dispensationes et rescripta____» Qua- ; ropter etsi dispensationi locus esset in praesenti specie, potius Emerico, quam Hectori esset tribuenda.

Verumtamen nec Emericum aliquo impedimento premi, prosequebatur patronus, cum clericatus intra quadrimestre *actu* non susceptus nullum obstaculum parere possit. Re enim vera Doctores unanimiter affirmant clericatum *actualem* non requiri intra quadrimestre, sed sufficere, ut eo elapso, adsit tempore institutionis, praesertim cum alter aeque vocatus quadrimestris tempore, quaquaversus habilis non sit. Hanc autem assertionem firmare conabatur auctoritate De Luca *de lin. leg. resp. 22,* ubi inter cetera habetur, « clericandus puer praesentari pot- » est ad beneficium iurispatronatus, quia pro promoto ad » hoc habetur, cum sit clericus iam in actu primo, et signato, » mox clericus efficiendus in actu secundo et exercito per or- » dinationem. » Unde cum testator *magis idoneos et habiles* ex praedilectis familiis vocasset, cumque clericatus in habitu sive in potentia sufficiat, dum alii passive vocati pendente quadrimestri habiles non sint, aperte patebat habilem in concursu, inhabili praeferendum esse, nec posse in themate unum habilitan in praeiudicium alterius ex deductis per Piton, *de controvers. patron, alleg. 65 n. 4.*

Neque difficultatem facessere in themate praesentationem suipsius ab Emerico peractam, recolebat enim patronus in praesenti quaestione agi de iuspatronatus admixtam habente qualit item passivam, hinc nihil poterat officere, quominus daretur ipsi institutio: siquidem in iurepatronatus huiusmodi, passive voca tus nulla indiget praesentatione, imo etiam invitis patronis insti-

tutioneai iure optimo sibi vindicat, uti tenet DJ *Laonde iurepat r. disc.20 n.3,* ibi: « In hac disputatione non dubitatur de vera et » recepta conclusione, quod ubi iuspatronatus admixtam habet » qualitatem passivam, a fundatore, vel ab alio legitime ad- » iectam/ quod scilicet praesentari non possint, nisi personae » de certo genere, vel certam qualitatem habentes, ut non * possit patronus talem legem spernere ac alium praesentare, » quodque aliter faciendo actus remaneat invalidus, atque ha- » bens qualitatem, spreto patrono, institui debeat tamquam » praesentatus ab ipso fundatore*... » Eadem ferme habet idem auctor in *discept. 20 n. 7 et discept. 29 n. 2 eod. tit.* Quare concludebat non modo Emerici praesentationem a seipso factam sustinendam esse, verum etiam, et efficacem se habere ad Hectoris preces reiiciendas.

Hisce aliisque deductis, proposita fuerunt resolvenda

**Dubia.**

I. « An et quomodo concedenda sit dispensatio favore He- » ctoris G. seu oppositio Emerici M. efficax habenda sit in » casu ? »

Et quatenus negative ad utramque partem.

II. « An et quomodo sit locus devolutioni favore Rmae Cu- » riae in casu? »

RESOLUTIO. S. Congregatio EE. et RR. re mature perpensa, et discussa sub die 1 Maii 1874 respondere censuit:

Ad I et II. *Eminentissimus Abbas Ordinarius procedat iure devolutionis, et amplius.*

EXINDE COLLIGES :

I. Ad obtinendum canonicatum in collegiata Ecclesia sufficere aetatem quatuordecim annorum.

II. Vetitam ac nullam reputari a sacris canonibus praesentationem laici ad beneficium ecclesiasticum, nisi tempore a iure statuto habilis reddatur, sive iure ordinario sive per dispensationem.

III. Patronos laicos posse praesentare ad vacans beneficium

actu incapacem de genere vocatorum, posthabito idoneo de ipsomet genere, dummodo infra terminum iuris habilis reddatur, vel dispensationem obtineat.

IV. Patronum posse seipsum praesentare ad beneficium *per viam precum* petendo nempe ab Ordinario ut sibi ex gratia beneficium conferat, secus praesentatio sui ipsius esset ipso iure nulla.

V. Ignorantiam legis fundationis in patrono non admitti, proindeque, si quis contra ipsam praesentavit inhabilem amittit pro illa vice ius praesentandi, nisi infra quadrimestre nominationem varia ver it.

VI. Quadrimestri elapso patronis laicis ad praesentandum concesso, ac non nominato idoneo, ius ad superiorem devolvi.

## EXPOSITIONIS SACRAE IMAGINIS.

***Die 3 Iulii 1874.***

**Compendium facti.** Ioseph et Donatus iValres S. instrumento diei 19 Aprilis anni 1708 a Minoribus Conventualibus iuspatronatus super capella D. Annae dicata sibi suisque haeredibus acquisivere una cum gèntilitio sepulchro ipsi capellae inhaerent!. Porro isthaec capella exsurgebat in ecclesia S. Francisci civitatis N. ad praedictos Minores Conventuales spectante. Accidit autem ut, publicata lege diei 7 Iulii 1866 a Subalpino gubernio, cuius vi oppressae religiosae familiae propria domo exulare cogebantur, praefata ecclesia Archiconfraternitati a sacratissimo Corde Iesu commissa fuerit , quae quotannis in ea capella, patronorum expensis, festivitatem S. Annae celebrare consueverav.

Verumtamen progressu temporis psamet Archiconfraternitas ad cultum Divae Virginis Matri augendum in eadem

ecclesia aliam capellani in ipsius honorem erigere cogitavit, ibique simulacrum S. Annae publicae venerationi exponere. Hoc autem utut ad aures pervenit patronae familiae, illico ad Congregationem EE. et RR. negociis praepositam recursum habuit, ut sua iura sarta tectaque servarentur exponens per novam erectionem, capellani *ab antiquo* S. Annae dicatam populi devotione privari, quapropter supplici libello exquisivit ut talis impediretur erectio.

Istiusmodi preces de more remissae fuerunt Ordinario ut auditis interesse habentibus suam panderet hac in re sententiam : qui reapse morem S. O. gerens die 14 Ianuarii anni 1871 respondit, dubitari non posse capellani de qua quaeritur S. Annae dedicatam esse, quod satis constare, inquit, tum ex instrumento diei 19 Aprilis 1708, tum ex constanti fidelium convinctione.

Hoc habito responso, sub die 13 Ianuarii 1871, mature perpensis iis quae ab utraque parte deducta fuerunt, sequens decretum interloquutorium editum fuit a Secretaria S. Congregationis : *Constare de titulo enunciatae capellae iurispatronatus familiae S. sub invocatione S. Annae, ideoque non esse locum erectioni alterius capellae sub eodem titulo in eadem ecclesia.*

Ab huiusmodi interloquutorio decreto penes eumdem S. O. appellationem interposuit Archiconfraternitas vertente mense Februario anni 1872 ei potissimum rationi innixa, quod perquisitis S. C. Rituum rescriptis nullibi id vetitum reperiretur. Quare die 28 Augusti eiusdem anni a Secretaria S. Congregationis decretum fuit ut isthaec controversia in amplissimo EE. PP. consessu definiretur, et reapse proposita et discussa fuit sub dubii formula in calce exscripta.

**Disceptati*» ⊲y »optica.**

DEFENSIO ARCHICONFRATIRMIATIS. - Pro tuendo sodalitio votum editum fuit a Pontificio caeremoniarum magistro, qui probandum assumpsit Archi eo n fra te r n itati in themate ius novam capellani erigendi denegari haud posse. Et 1.° quia aperte non constabat controversam capellani D. Annae dedicatam

extare. Hoc autem ut evincerei, recolebat certitudinem dedicationis altaris in honorem alicuius Sancti peractae, triplici ex capite desumi posse, scilicet primo-ex actu ipso consecrationis, quando nempe consecrans in litaniis, precibus, benedictionibus, orationibus, et sacra unctione, saepe Sancti nomen, cui altare dedicatur, commemorat. Secundo ex depositione sive corporis, sive insignium reliquiarum ipsiusmet Sancti quae in altari collocantur. Tertio tandem ex imagine, sive Sancti simulacro super altare sito. Atqui haec omnia in casu deficere manifèste patebat, cum neque altare consecratum existeret, neque ibi ullae custodirentur reliquiae S. Annae, neque ipsius imago subiectum principale picturae efformaret. Ergo cum non satis constaret de dedicatione huius capellae S. Annae, nihil officere poterat quominus altera in eius honorem erigeretur.

Quod si 2.° et hoc paulisper concedi velit, attamen denegari non potest ius Archiconfraternitati alteram capellani in eadem ecclesia erigendi et S. Annae dedicandi, tum quia nulla adest ad loc prohibitiva lex, tum quia exempla patriarchalium, aliarumque ecclesiarum urbis contrarium suadent, cum plures inibi adsint in eadem ecclesia capellae tam ß. Virgini, quam D. N. iesu Crucifixo dicatae , imo et duae extent in ecclesia S. Rocbi capellae eidem Sancto dicatae, quin a S. Rituum Congregatione umquam conclamatimi fuerit.

DLFENSIO PATRONI. - Ex adverso capellae patronus Archiconfraternitatis appellationem reficere conabatur: 1.° quia appellatio ab interloquutorio decreto, *partibus contradicentibus* prolato infra terminum iuris interpositum non fuerit ; 2.° quia negativum argumentum ex eo deprómptum quod nullibi a S. Rituum Congregatione id prohibitum reperiatur nihil evincere in themate poterat. Multoque minus 3.° causam iuvabant exempla a patriarchalibus, aliisque urbis ecclesiis deducta tum quia inibi agitur de capellis erectis vel dedicatis quidem B. Virgini diverso tamen sub titulo, tum quia *Legibus et non exemplis iudicandum est (L.3. Cod. de sent. et interloc).* Tandem advertit erectionem alterius capellae in eadem ecclesia, eidemque Sancto peractam permitti non debere, siquidem

confusionem et aemulationem pariet, proindeque scandala in christiano grege.

Hae autem rationes ex officio roboratae fuerunt auctoritate Pignatelli, qui in *tom. 4, consult. 18, n. 3,* habet : *Si in aliqua ecclesia reperiatur altare cum imagine devota, non potest, neque debet aliud altare cum eadem imagine, vel invocatione erigi.*

Hisce igitur deductis propositum fuit resolvendam

**Dubium.**

An et-quomodo revocandum sit rescriptum diei 31 Ianuarii 1871 in casu ?

RESOLUTIO. - Sacra Congregatio EE. et RR. re mature perpensa et discussa in comitiis diei 30 Iulii 1874 respondit : *Negative in omnibus et amplius.*

EXINDE COLLIGES :

I. In eadem ecclesia vetitam esse erectionem capellae vel altaris in honorem alicuius Sancti, cui alia inibi iam erecta reperiatur.

II. Non prohiberi autem ut plures erigantur capellae in honorem B. Mariae Virp ei D. N. iesu Christi sub diverso tamen titulo.

# EX SACRA CQNGREGATIONt ï N D f CIS

## DECRETUM

***Feria VI. Die iO Iulii 1874.***

*Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO DIO PAPA IX Sanctaque Sede Apostolica Indicis librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico vaticano die 10 Iulii 1874, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.*

Drei Gewissensfrangen über die Maigesetze. *Latine vero :* Tria quaesita conscientiae relate ad Leges Maii. - Maguntiae 1873. *Donec corrigatur.*

Ehrerbietige Vorstellung und Bitte an den hochwürdigsten Episcopat in Preussen: ein Wort zur Verständigung von Vincjntius Sincerus *Latine vero:* Reverens expositio et supplicatio Rmo Episcopatui Borussico. Verbum pro conciliatione a Vincentio Sincero. - Monachii 1874.

Ormanian M. - Le Vatican et les Arméniens. - Rome 1873, Imprimerie Romaine de C. Bartoli. Decr. S. O. fer. IV die 11 Martii 1874.

*Auctor Operis cui titulus:* Union generale dans le clergé **S Didier** du sacerdoce et du mariage par F abbé Caillet. - **Mi'iilan** 1873. Prohib. Decr. 5 Febr. 1874, *laudabiliter se su')!' it et Opus reprobavit.*

*Itaque nemo cuiuscumque gradus ei conditionis praedicta Opera damnata utque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitor ibus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.*

*Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis, SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

*Datam Romae 11 Iulii 1874.*

ANT. Card. DE LUCA Praefectus.
Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congr. a Secretis.

Loco *fa* Sigilli.

*Die 20 Iulii 1874. ego infrascriptus magister Cur sontm testor supradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.*

PHILIPPUS OSSANI MAG. CURS»

# EX S. CONGRLGATIONE RITUUM

## DECRETUM

**TOLETANA. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Pr. Alphonsi de Orozco Sacerdotis Professi Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Provinciae Hispanicae. Super Dubio : An et de quibus Miraculis constet in casu, et ad effectum de quo agitur?**

Inter sodales summi Augustini filios nova emicat sanctimoniae luce Venerabilis Alphonsus de Orozco Hispanus, qui veluti lucerna usque adhuc sub modio posita, nunc, temporum caligine circumquaque diffusa, super candelabrum collocatur ut omnibus luceat fidelibus, qui in domo Dei sunt. Hic dum vitam degeret in terris, Hispaniam verbi Dei praedicatione, piis lucubrationibus conscriptis, et virtutum omnium fulgore illuminaverat; praesertim effusae in pauperes charitatis exempla relinquens, quibus Sancti Thomae de Villanova consodalis sui praeclarissimus extitit imitatur. Vita functo, sepulchrum haud famam sanctitatis ejus simul contexerat. Siquidem instructis Ordinariorum et Apostolicae Sedis auctoritate Processibus, Virtutes ejus penes Sacrorum Rituum Congregationem ad examen vocatae sunt. Quo feliciter absoluto, Summus Pontifex Clemens XII sa : me : decimonono Kalendas Septembris anni MDCCCXXXIÍ solemni decreto eas heroicas declaravit. Deinde Causa haec divinae, uti videtur, providentiae consilio siluit; ut hisce nostris diebus in maxima Hispaniae perturbatione, et Ecclesiae Catholicae ubique locorum persecutione ad exitum perduceretur. Quapropter instante Causae Postulatore de Miraculis quae a Dei virtute Venerabilis Alphonsi interventu post ejus obitum patrata dicebantur instauratum est Judicium triplici experimento. Primo in Antepraeparatorio conventu apud Rmum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Ostiensem et Veliternenseni, Sacri Collegii Decanum, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum Causaeque Re-

latorem coacto tertio Kalendas Septembris anni MDCCCCX r secundo in Praeparatorio coetu quem Vaticanae exceperunt aedes pridie Idus Augusti anni MDOCOLXXÏII; tertio in Generalibus Comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifice Maximo in iisdem Vaticanis Pontificalibus Aedibus habitis decimosexto Kalendas Augusti anni vertentis. Cum ibi Rmus Cardinalis Constantinus Patrizi Causae Relator proposuisset dubium : « *An et de quibus miraculis constet in casu et ad effectum de quo agiturÌ* » singuli Rmi Cardinales et Patres Consultores suas protulere sententias. Verum Sanctissimus Dominus suam distulit aperire mentem, omnesque exhortatus est ut secum preces fondèrent ad impetrandam ex alto virtutem Spiritus Sane'i. Adfuit quidem Patri Beatissimo divina haec virtus, proindeque Dominica XXV post Pentecosten voluit suum proferre Judicium. Quapropter oblatis prius sacris Mysteriis in privato Suo Sacello, nobiliorem Palatii Vaticani aulam ingressus et in solio considens ad se accivit Rmum Cardinalem Constantinnm Patrizi Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum et Causae Relatorem una cum R. P. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus solemniter edixit: *Constare de duobus Miraculis, quae Deus Omnipotens Venerabili Alphonso de Orozco adprecante operatus est:* scilicet de primo: *Instantaneae, perfectaeque sanationis Pauli de Arteaga, Clerici Professi Ordinis Eremitarum S. Augustini ab arthrite acuta gravissimis stipata symptomMibus;* de altero: *Ins/'antaneae perfectaeque sanationis Mariae Aloisiae Luzi Monialis a lethali concrelione polyposa in dextera thoracis parte.* »

Hujusmodi Decretum in vulgus edi, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit. Decimoséptimo Kalendas Decembris Anni MDCCCLXXIV.

CONSTANTINUS Episcopus Ostien. et Veliternen. CARD. PATRIZI S. R. C. PRAEFECTUS.

Lo™ Sigilli. *D. Bartolini. S.* **B . C** *Stecr.*

| ERRATA | CORRIGE |
|---|---|
| P»g. **74** liu **10** Parochi | Parochum u |

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII TRIDENTINI

## OECONOMI CURATI

***Die 9 Maii et 12 Septembris 1874.***

Rochus T. Sacerdos Dioeceseos A. huic Sac. Congregationi exposuit « Quum S. Concilium Tridentinum statuat *sess. 24*
» *cap. 18 ch Reform.*, Episcopum, vacante Ecclesia Paro-
» chiali, idoneum in ea Vicarium constituere debere, infra-
» scriptus Eminentiae Vestrae humillime exposcit: utrum hu-
» iusmodi Vicarius iurisdictionem ordinariam vel delegatam
» habeat; et quatenus habeat delegatam a iure, utrum possit
» ipse alium Sacerdotem subdelegare ad omnia, id est ad uni-
» versitatem causarum, vel possit tantum ad aliquos actus.»

Hoc accepto libello acceptaque Episcopi informatione causa proposita fuit sub dubiis infra exscriptis.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. *Vicarius* in divinis, qui etiam *vicarius* in beneficiis dicitur, ille est, qui sive in divinis ministeriis, et cura animarum, sive in iis, quae ad forum internum conscientiae pertinent, vices alterius gerit. Alius autem est *perpetuus*, alius *temporalis*. Perpetuus est ille qui in aliqua Ecclesia, assignata sibi ex huius proventibus debita, portione ad sustentationem congruam, auctoritate legitima canonice instituitur ita ut ad libitum, et extra casus a iure expressos amoveri nequeat. Temporalis vero, qui solum constituitur ad tempus ita ut ex reditibus Ecclesiae, cui servit, vivat quidem, quamdiu eius servitio mancipetur, ad nutum tamen et libitum eius, aquo constitutus est, amoveri possit. His praeiactis de Vicario temporali observabat r quod sive a parocho sive ab ipso Episcopo constitutus sit, ius, et titulum in beneficio, in quo Vicarius constitutus est, nullum acquirit, curam tamen, aliasque functiones parochiales omnes exercet instar ipsius parochi.

Porro iurisdictio praecipue dividitur in *ordinariam, et delegatam. Ordinaria* illa censetur, quae cuipiam iure proprio, seu ratione officii, aut dignitatis suae ex lege, canone, vel consuetudine competit. *Delegata* autem est illa, quam quis non habet iure proprio, sed solum ex commissione alterius, cuius vice fungitur. Ita lex *More maiorum,* et lex *-Et quia ff. de iurisdict, omn. iud.* ubi is censetur iurisdictionem ordinariam habere, ac delegare posse, *qui eam suo iure, non alieno beneficio habet.*

Hoc posito iurisdictio Vicarii Oeconomi in themate nonnisi ordinaria esse videtur. Ipsa enim venit a lege seu canone ratione, officii iuxta *cap. cum vos de Offic. Ordin,* et *Concil. Trid. Sess. 24 de reformat, cap. 18.* Neque refragetur Episcopum constituere huiusmodi vicarium oeconomum, et posse ipsum quoties libuerit amovere, i<'eoque eius iurisdictionem non posse esse ordinariam, quae perpetua esse debet et non expirat mortuo etiam concedente, ceu traditur a *Cap. Legatos 2 de Offic Vicarii in 6.* Huiusmodi enim offensioni occurri potest hac levi animadversione, scilicet quod eo ipso, quo quis constituitur oeconomus ab Episcopo , ius ei tribuit iurisdictionem, et quidem immediate *arg. Cap. licet 2 de off. Vicarii in 6.* Episcopus enim nominans, et constituens, iurisdictionem non tribuit. Neque officit Episcopum posse eius iurisdictionem revocare, siquidem ex hoc haud consequitur iurisdictionem illam ordinariam non esse, sed tantum, quod sicut ille iurisdictionem a lege, seu canone adipiscitur mediante nominatione Episcopi, ita etiam potest huiusmodi nominatio ab Episcopo revocari et ita sublato antecedente, necessario tollitur et consequens. Omnis enim res per quascumque causas nascitur per easdem dissolvitur ceu regulae utriusque iuris edocent. *Cap. omnis res, de regul. iuris in 6.* Simile quid contingit in Vicario generali, et iudicibus qui ordinariam habent iurisdictionem, non obstante quod eorum iurisdictio cesset eo ipso quod per Episcopum, aut Superiorem a propriis officiis amoveantur. Praeterea illud non est praetereundum quod licet iurisdictio ordinaria sit perpetua, quando inest primario, et per se alicui personae, non tamen perpetua esse potest illa iurisdictio or-

diluiría quae inest solum secundario , et accessorie ad aliam ordinariam, cui cohaeret, uti est iurisdictio ordinaria Vicarii oeconomi adhaerens iurisdictioni ordinariae Episcopi illum constituentis.

Verum maior vis, ac pondus huic argumento accedit ex natura subrogatorum ex qua Vicarius ab Episcopo in oeconomum deputatus in vim dispositionis conciliaris , subintrat in locum eius, cui subrogatur, cum iisdem iuribus, privilegiis, honoribus, et oneribus. Porro cum illum in cuius locum vicarius in themate subrogatur, ordinaria iurisdictione potiri in dubium revocari nequeat, sponte veluti sua consequi videtur et oeconomum curatum, qui in locum demortui parochi subintren, eadem iurisdictione frui debere. Ita Scarfantonius *lucubration. canonical, lib. 3 lit. 3 num. 33, 34 et 35.* Et optimo sane iure. Vicarius enim oeconomus eamdem potestatis plenitudinem habet ac parochus titularis ita ut ab ipso nonnisi temporis diuturnitate discriminetur. Hinc nedum absonum haud est, sed iuri maximopere conforme si vicarius huiusmodi ordinaria iurisdictione potiri dicatur.

ALTERA SED VERO EX PARTE animad verte bat ur , iurisdictionem oeconomi curati delegatam dici posse; sane iurisdictio ordinaria ea dicitur, quae a lege, seu canone datur, ac descendit *leg. Et quia ff. de iurisd. omn. iudic.* Sed in universo iuris pontificii corpore nullus canon, aut constitutio extat, quae oeconomo curato iurisdictionem tribuat, hinc illius iurisdictionem non ordinariam, sed delegatam esse dicendum videretur. Eo vel magis, quia huiusmodi oeconomus vicem demortui parochi gerit. Porro neminem ignorat eum, qui vice alterius fungitur, nihil proprium habere, sed delegata uti iurisdictione ceu tradit Papinianus *in leg. 1 § qui mandatam ff. de officio eius* « ibi » Qui mandatam iurisdictionem suscipit. » proprium nihil habet, sed eius, qui mandavit, iurisdictione » utitur. » Quapropter oeconomum curatum in themate delegatam iurisdictionem habere dicendum est.

Verumtamen nonnulli Doctores mediam viam tenentes contendunt huiusmodi vicarium neque ordinaria, neque delegata potiri iurisdictione, sed quasi ordinaria, luter hos satis sit re-

ferre Pirrhíng *Lib. i. tit. 28 de officio Vicarii n. 23* « ibi » » Ex dictis colligitur, quod Vicarias temporalis Curati, seu » Parochi habeat iurisdictionem, seu potestatem quasi ordi- » nariam, quia gerit vices Parochi, qui ordinariam iurisdi- » ctionem habet, eique in eadem iurisdictione, officio, aut cura » est substitutus, ut indicat Gloss communiter recepta in » Clem. 1, V. Presbyter, de pri vii. et alii apud Fajgnan. *in » cap. Quod nobis 2 de olandesi, dispensat, num. 28,* non » autem habet iurisdictionem delegatam, cum non diversam, » sed omnino eamdem iurisdictionem eius, cuius locum et vi- » ces gerit, exerceat. Lam. *in cap. n. 3 h. t. in 6.* nam etsi > non competit ei ratione proprii muneris perpetui et irre- » vocabilis, competit tamen ratione muneris temporanei et » revocabilis: unde solum sequitur, quod non sit officium nec » potestas ordinaria et irrevocabilis, sed quod sit velut ordi- » naria, quamvis in hoc delegatae sit similis, quia per mo- » dum cuiusdam delegationis seu commissionis existit in Vi- » cario, iuxta voluntatem committentis, qui eam, quando pla- » cet, revocare potest, sicut idem obtinet in Vicario Episco- » pi. » Ideal sentit Schmalzgrueber *pari.IV. tit. 28.* Quaestioni vero utrum Vicarius temporalis possit alium substituere ita respondet idem Pirhing *Lib. L. tu. XXVIII de Officio Vicarii, Sectio 1. §. 2. n. XXII* « ibi » Spectato iure communi, Vicarius » temporalis, qui titulum non habet, alium Vicarium tem- » poralem substituere nequit, demandando ei totam curam, » sive officium suum, etiam ad modicum tempus, nisi cum li- » centia Ordinarii, expressa, vel tacita; et tum non tam suo, » seu proprio, quam ipsius Ordinarii pastoris, iure et aucto- > ritate alium Vicarium substituit. *Sancit, lib. 3 de Matr. » disp. 31 num. 2 et 15. Layman d. 5 Theol. mor. t. O » cap. 10 num. 13, et in Cap. Clericos 4 num. 3 h. t.* » Quamvis Vicarius temporalis, si solus officio satisfacere » non possit, non prohibeatur adhibere Cooperatorem, seu Coad- » iutorem: quia sicut delegatus ad Universitatem Caudarum, » cum veluti ordinariam iurisdictionem habere reputetur, » unam vel alteram causam subdelegare potest, seu partem » iurisdictionis, non tamen totam suam iurisdictionem sibi de-

> legatam, ut colligitur ex *leg. C. Quis et a pluribus ap-*
» *pell, et ibi Gloss. V. ab eo* et docet etiam *Gloss, in I. a*
» *iudice 5 V. non habet: et in cap. Cum Causam 62 V. de-*
» *legatus de appell,* ita similiter Vicario temporali censetur
» ab Ordinario concessa potestas substituendi, seu dema dan-
» di, non quidem totum officium sed partem eius, sive unum
» alterumve actum officii parochialis, quia et ipse quasi or-
» dinariam iurisdictionem, ac veluti commendatam exercet.
> *Sglvest. V. Vicarius quaest. 5. Sanch. c. 1. Laym. c. I.*
> Excipiendum tamen est, nisi alicubi consuetudo permittat
» ( quae pluribus locis viget ) ut Vicarius etiam temporalis,
» seu Vicecuratus ad nutum amovibilis possit, ob iustam cau-
» sam necessariae absentiae, vel infirmitatis, alium Vicarium
» ad breve tempus suo loco substituere, totum officium suum
» ei demandando: quia Episcopus constituens Vicarium tern-
> poralem, et sciens talem consuetudinem, tacite consentire,
» et dare facultatem ad talem substitutionem censetur, *Sgl-*
» *ve st. et Sanch. loc. cit. »*

« Nec secus Reiffenst. *hb. 1 Decret, tit. 28 de off. Vicar.*
« ibi » Vicarius temporalis licet proprio iure nullatenus pos-
» sit sibi substituere alium vicarium, cum titulum non habeat,
» potest tamen de licentia Ordinarii, tacita vel expressa, sic-
> que auctoritate ipsius alium sibi substituere, committendo
> ipsi ad breve tempus totum officium, seu curam suam. In-
» super quando vicarius temporalis non sufficit solus ad omnia
» onera parochialia peragenda; potest is cooperatorem assu-
» mere, eique partem sui officii delegare; sicut in simili de-
» legatus ad universitatem causarum, potest unam vel alte-
> iam causam alteri subdelegare, iuxta *Glossam cap. Cum*
» *Causa V. delegatus de Appell. DD. passim, Abbas, Layman,*
» u!ii supra, et alii. Atque hoc ipsum extenditur ad vicarium
» iurisdictionis, seu Vicarium generalem Episcopi. Nam neque
» talis potest substituere alium vicarium, nisi de speciali li-
» centia Episcopi, atque ex iusta causa, simulque ad modi-
» cum dumtaxat tempus id fiat; quamvis possit unam vel al-
» teram causam alteri delegare. Glos, in r. i *V. Ipsius h. t.*
» *in 6. Barb. p. 3 de off. et pot. Ep. all. 54 n. 99 et seqq.*
» citans plurimos alios, »

His aliisque deductis proposita fuerunt resolvenda

**Dubia.**

I. An oeconomus Curatus, qui vacante parochiali Ecclesia ab Episcopo constituitur in vim dispositionis Concilii Tridentini iurisdictionem habeat ordinariam, vel potius delegatam in casu.

Et quatenus negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

II. An idem oeconomus possit alium Sacerdotem subdelegare ad omnia, id est ad universitatem causarum, vel tantum ad aliquos actus in casu.

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii causa cognita et discussa in comitiis diei 9 Maii 1874 respondere censuit *Dilata, et reproponatur cum novo dubio « An Oeconomus Curatus, vacante paroecia, ab Episcopo constitutus in vim dispositionis Concilii Tridentini sess. 24, cap. 18 possit alium Sacerdotem delegare ad omnia officia, vel ad aliquos tantum actus.* » Quapropter in comitiis diei 12 Septembris 1874 huiusmodi quaestio iterum agitata fuit et responsum prodiit. - Affirmative ad primam partem nisi obstet voluntas Ordinarii. -

EXINDE COLLIGES:

I. Deputationem oeconomi curati in vacationibus ecclesiarum parochialium, quaecumque sint, ad solum Episcopum spectare, in cuius dioecesi parochia vacans sita est.

II. Oeconomum curatum ab Episcopo constitutum in vim tridentinae dispositionis posse alium Sacerdotem delegare ad omnia officia; nisi obstet voluntas Ordinarii.

# DISTRIBUTIONUM ET PROVENTUUM

***Die 20*** *Decembris* ***1873,*** *9 Maii* ***et 12 Septembris 1874.***

Capitulum perinsignis Collegiatae S. N. de Urbe sex constat canonicis et una dignitate Archipresbyteratus titulo insignita, cui animarum cura adnexa esi. Inter Capitulares et Archipresbyterum ministerii causa a choro absentem res pacifice processerunt usque ad annum 1870 quo labente nonnullae controversiae exortae sunt tum distributiones, quae *inter praesentes* audiunt, tum divisionem proventus fallentiarum, et minora emolumenta respicientes. Ut autem hae dissentiones prorsus evanescerent, et de iure resol verentur; actualis Archipresbyter Antonius L. supplicem libellum ad H. S. O. transmisit exponens quod « Archipresbyter praeterquam quod nihil
» percipit ex emolumentis majoribus, quae in capituli favorem
» cedunt, nec baptismi candelam, excluditur etiam a perce-
» ptione distributionum *inter praesentes,* atque illarum quae
» ex aliorum canonicorum fallentiis résultant, quamvis in an-
» tecessum contraria prorsus consuetudo obtinuerit.

» Insuper contra dispositionem Statuti Cleri R. quod sta-
» tuit, ut Parochi quam fieri potest huiusmodi Processionibus
» intersint, et si alicui ex Capitulis adscripti cum Collegio
» Parochorum incedant distributiones non amittant, Capitula-
» res Archipresbyterum ab hujusmodi distributionibus perci-
» piendis removent. Hinc ab H. S. O. exposcit:

» 1. An Parochus parochialibus muneribus distentus debeat
» nec ne percipere distributiones inter praesentes praesertim
» in Ecclesia S. N. in qua omnia emolumenta ad Capitulum
» pertinent.

» 2. Cum desit generalis norma, quae fallentiarum parti-
> tionem definiat, quaorit an consuetudinem sequi debeant
» Canonici.

» 3. Et quatenus negative, quid iuris circa eos Canonicos » qui missam lectam celebrant.

» 4. An baptismi candela, quae ab omnibus Parochis ubi- » que percipitur, Oratori sit tribuenda.

» 5. Quomodo intelligi debeat dispositio statuti Cleri su- » perius exposita. »

Hisce acceptis precibus illico die 30 Ianuarii anni 1871 rescriptum fuit *Eminenti s si mo Cardinali V. pro informatione et voto ut, audito Capitulo in scriptis, referat de bono iure Oratoris et consuetudine hactenus servata, transmissis particulis Constitutionum, aliisque documentis ad rem facientibus.* Mandatis H. S. C. morem gerens Eminentissimus Cardinalis V. die 9 Ianuarii 1872 ita respondit « Ut suum ius » Orator Parochus tueatur contra Capitulum, tam usum et » consuetudinem in eadem Ecclesia S. N. inoìitam et a Ca- » nonico antiquiori, eiusdem Capituli Decano maxime testa- •» tam affert, tum factum innuit, quod ipse Archipresbytera- **li** tus et paroeciae possessionem iis stantibus iuribus nactus » sit, et quod iisdem usque ad praesens, nemine contradi- » cente usus fuerit, ita quidem ut manu teneri in horum iu«- » rium possessione non immerito expostulet. Postremo deni- » que exempla plura congerit tum ex Ecclesia Parochiali et » Capitulari S. Mariae in C. tum ex altera Ecclesia S. Ioan- > nis F. petita, et testimonio Parochi eiusdem Ecclesiae S. Io- > annis firmata, quae, iuncto cap. II. §. 7. Statuti quod Cleri » R. audit, vim faciunt quammaximam, ut adstrui possit lae- > sivam omnino esse sententiam Capituli, si pro ea senten- > tia a S. EE. VV. Congregatione ius diceretur. »

> E contra Capitulum dum factum Oratoris Parochi ad- » mittit, negat tamen consuetudinem, quam is in medium po- » suit in eoque mirabilis se prodit dissentio cum antiquior » Canonicus Caietanus R., totius Capituli Decanus palam af- > firmet, quod alii iuniores Canonici Capituli nomine prorsus » necant.

> Nollem equidem iudicium anteire quod super iis quae- » stionibus EE. VV. sapienter ferent. Verum si me consu- > laut EE. VV. prospiciendum esse puto in iis iuribus dis-

cutiendis, ac definiendis, ne Parochorum officium, quod hisce praesertim temporibus tanti fieri debet, ita sordeat, ut saepe saepius cavillationes, et iis summis iuribus subiaceat, quae summam iniuriam pariunt, quaeque potissimum sunt impedimento, quominus Parochialia munia, quae ad animarum bonum tam salubriter ac divina ordinatione constituta sunt, rite, ac omnimode exerceantur, aut sin minus vilescant, et eo loco habeantur quae perfunctorio modo fiunt, quin ulla huius tam sublimis officii, et salutis animarum et Ecclesiae ipsius decoris ratio habeatur

» Quidquid enim valeant Parochi Oratoris enarrationes, certum exploratumque est, quod nec Capitulum inficias ivit, Oratori lucra incerta, quae maiora dicuntur, minimum redire sed Capitulo. Certum etiam exploratumque est non posse Oratorem uno, eodemque tempore, sine gratia gratis data bilocandi seipsum, officiis Parochi perfungi, sive in cura spirituali infirmorum propediem moriturorum, sive in baptismate, aut Poenitentiae Sacramento suis Parochianis administrando, et interea temporis cum aliis canonicis adesse choro ad psalmos et sacra. Quidni igitur, ut saltem pars lucrorum quae minora appellantur, nempe candela quam baptizati suo Parocho deferunt, eidem adiudicetur ? Quidni inquam ut, quod in omnibus fere Capitulis, curam animarum habentibus passim usuvenit, ac praesertim in Capitulo S. Mariae, Parocho S. N. debeantur tamquam praesenti, distributiones omnes, et quod fallentiae nomine a Canonicis absentibus choro rependitur, vel si idem absit, dummodo causa Parochialis sui muneris constet abfuisse^

» Nec satis esse, me iudice, potest quod Capitulum in sua enarratione asserit, statuta Capitularia negare Parocho incerta minora, negare distributiones, et fallentiarum fructus, si absens sit. Praeter enim quam quod haec statuta vel si tempore suo probe ac rite bono Ecclesiae consuluisse videri possint inspecta temporis ac circumstantiarum ratione, immutabilia tamen dici nequeant, cum potius et temporis et Ecclesiae usibus ac circumstantiis sint quandocumque accommodanda, et penitus, si opus sit innovanda;

» profecto si laesiva Parocho esse deprehendantur, prout pro-
•» bare iactu difficile haud est vim ..nullam habere obligandi
» Parochum ut iis legibus semper teneatur, bonumque pro-
» pterea ei ius adesse deferendi preces S. Ordini BE. VV.
» ut auctoritate Vestra quod in iis statutis vitiosum, aut mi-
» nus aequum existit reformetur, atque ut omnia quae Ca-
» pitulum inter et Parochum S. Nicolai iura intercedunt, di-
» gnitati utriusque, iustitiae, ac aequitati canonicae appri-
» me respondeant. »

Hisce acceptis litteris causa proposita fuit sub dubitandi formuli* inferius exscriptis.

**Disceptatio synoptiea.**

A \ MAL VERSIONES EX OFFICIO. In primis notatum fuit omnes canonicorum redditus in solis distributionibus quotidianis consistere uti patet ex capite IX Constitutionum Capitularium. Istas autem quotidianas distributiones Parocho curae animarum tempore divinorum incumbenti deberi docet nedum unanimis DD. sententia, verum etiam resolutiones *H. S. O.* relatae a *Bened. XIV. insti!. 107. n. 56.* Tota igitur quaestio in illis distributionibus versatur quae *inter praesentes* audiunt, quasque recenset H. S.O. in causa, cui titulus *Dubia indultorum 6 Maii 1820 §. indulta* ibi « Distributione; *inter praesentes*
» quae meliusdici possunt exii ^ordinariae, eventuales, et incer-
» tae ita distinctae sunt a communi massa, et praebenda ut
» praesentibus tantum praestari soleant sive ex peculiari
» statuto aut consuetudine cuiuslibet Ecclesiae, sive ab ex-
» pressa Benefactornm voluntate. » Hisce ad maiorem claritatem praehabitis pressius ad quaestionem animadve rtebatur, distributiones *inter praesentes* non percipere absentes a choro etiam ex iusta causa vel etiam ex Apostolico indulto ceu docent *Scarf. lib. 2. tit. 10. n. 1. Fagnan. in cap. licet de praeb. n. 20. Bened. XIV.* ***insta.*** *107 n. 58 et seqq. S. C. in Basanen. Visitationis SS. Liminum 6 Feb. 1734 et in Anagnina servitii Chori et Distributionum 20 Nov. 1819. Dubia indultorum loc. cit.* Ad istas enim lucrandas *physica* ct non *ficta* praesentia requiritur. Hinc optimo

iure in *Praenestina Fallentiarum 29 Iulii 1837* §. *In 3 Dubio* adnotabatur « Herculem... non posse participem fieri...
» nec percipere emolumenta penitus incerta, quae ex Missis
» adventitiis obveniunt, aliaque ex voluntate testatorum, vel
> ex statuto, aut consuetudine Ecclesiae actu solum praesen-
» tibus tributa... memorata emolumenta neque a Canonicis
» iubilationis indulto decoratis, neque curam animarum exer-
» centibus neque ob adversam valetudinem... choro legitime
» absentibus percipi valere. S. C. *in Terracinen emolumen-*
*» torum 23 Dec. 1826, Savonen Distributionum 15 De-*
*» cemb. 1746, Calaritana onerum 17 Sept. 1731* §. *quod*
•» *reliquum* » et in *Reatina iubilationis 28 Aprilis 1770*
*§. contra* traditur « ibi » itemque potiori iure procedere quoad
» emolumenta Anniversarium, Processionum, aliorumque si-
» milium quae ex praesumpta testatorum voluntate relinquun-
» tur Capitularibus actu interessentibus, qui pro ani malui s
» Benefactorum preces fuderint. » Hisce igitur omnibus attentis, Parochus L. a choro absens ob exercitium curae animarum a perceptione *distributionum inter praesentes* a i ceni us esse videretur.

Altera sed vero ex parte in favorem Parochi animadvertebatur certi iuris esse parochum animarum curae incumbentem ita praesentem in choro reputari ac si divinis interesset. *Tridentina Synodus sess. 22. cap. 3;* hinc non modo de distributionibus ordinariis participem fieri debere, verum etiam de extraordinariis ad rem *Scarfant.* ***Hh.*** *2. lit. 10. n. 9. et seq.* ibi « Et eo magis certa Capituli persona, cui dumt?>
> xat immineat cura animarum cumulanda est distributioni-
> bus, si divinorum tempore parochialia munia exerceat...
» Accipe de quibuscumque Distributionibus, tam ordinariis
» quam extraordinariis ita contra Bonae, *de distrib. d. 2.*
> *quaest. 5. %.7. in fine* absolute tenet *Trullen. in Dccal.*
> *lib. cap. 8. dec. 2. n. 7.* et declaravit Sacra Congregatio
> teste Nicolio in *Flor. V. Distributiones n. 13.* » Et quidem iure, si enim indultum iubilationis suffragatur pro participatione omnium fructuum et distributionum etiam extraordinariarum ut declaravit H. S. C. in *Burgi S. D* >>>">i/.

*19 Aprii. 1704,* imo si niffragafur ad percipienda praeter distributiones ordinarias quaecumque alia emolumenta ut in *Aquipendien 27 Sept. 1659 ad dub. IL Perusina 17 Iulii 1668, Romana 29 Ian. et 5. Martii 1678,* nulla pretiosa ratio suppetere videtur ad id negandum canonico Parocho qui dum animarum curae incumbit habetur pro praesenti et interessent! *Gare. p. 3. cap. n. 334 Trid. synod. loc. cit.* Neque quidquam facessit *Bituntina anniversarium I Iulii 1679.* canonicos iubilatos respiciens, ipsa enim intelligenda videtur non de anniversariis fixis sed de illis, in quibus cautum a testatoribus fuit ut interessentes tantum participare deberent ut in *Novarien iubilat. 2 Octob. 1677.* in qua proposito dubio - An duo canonici iubilati S. Gaudentii frui deberent emolumentis anniversarium, quae fiunt intra 'annum, licet non assisterent, responsum fuit *affirmative.* Causa tamen iterum proposita die 29 Ian. 1681 rescriptum fuit: *In decisis quoad anniversaria fixa, et in quibus non est cautum a testatoribus ut interessentes tantum participare debeant,* ut habetur in *lib. 32 decret, fol. 44.*

Ad secundum dubium, utrum nempe Parochus officii ratione absens a choro negligentium fallentias percipere valeat, animadvertendum occurrebat ex iuris dispositione fallentias accrescere debere tantummodo interessentibus, qui ob aliorum absentiam maiorem subeunt in choro laborem S. C. in *Reatina récit. §. contra.* Ipsae enim tamquam praemium interessentibus debentur et in poenam absentibus auferuntur *Reatina loc. cit. .§. neque.* Hinc iure merito inquit Barbosa *de Canonicis et dignitatibus cap. 23. n. 18.* « Utrum autem » distributiones absentiam debeantur actu interessentibus, verum etiam aliis, qui iuris fictione censentur interessentes, » ut qui absunt ex causa infirmitatis vel in Ecclesiae suae » utilitatem... solum deberi actu interessentibus constat ex » cap. unie, versic. statuimus de cleric. non resid... » Concinunt *Bonae, de Disfrib. quaest, •ult.punct. 1. n. 6. Gare, de Benef.p. 3 cap. 2. n. 465.* Hi enim DD. ad hanc tuendam sententiam ex eo moventur quod absens ob legitimam causam reputatur piaesens in Choro **cid** lucrandas suas distri-

bntioues ex *conc.- Md. sess. 24, cap. 12.* non vero a negligentius amissas, quia congruum est, ut hae illis accrescant qui, stante aliorum absentia, maiori labore gravantur. Cum igitur Parochus in themate officii causa absens a choro, iu ris tantum fictione censeatur interesse, negligentium fallentiis frui non posse videtur.

Verum ex adverso scitum est praesenti in choro iuris fictione haec emolumenta tribui. Ipsa enim dantur et canonicis indulto fruentibus infirmitatis causa uti in *Romana 5 Maii 1703. ad II. Dubium* in quo propositae quaestioni « an canonico (absenti a choro et aliis divinis officiis ex indulto propter infirmitatem) competeret pro sua rata parte etiam ius accrescendi earum distributionum et communium, quae ob absentiam vel vacationem canonicorum interessentibus accrescunt et a qua die supradicta omnia deberentur in casu» responsum prodibat *affirmative* a die praesentationis indulti. Item confirmabatur pro iubilaris in *Aquipendii die 2. Martii 1697. ad III. Dub. Aquipendii 1. April. 1619. ad Dub. 1. Reatina 19. April. 1792.*,dummodo non obstent constitutiones particulares et consuetudo Ecclesiae. Unde Scarfantonius loquens de canonicis absentibus a publica psalmodia ob rationabilem causam facto sibi dubio, utrum istis debeantur distributiones, quas alii canonici absque rationabili causa absentes a Choro tunc temporis amittunt, profitetur se pro affirmativa stare sententia contra Bonacinam aliosque - ibi - « Si est verum quod » refert Barbosa in *Collectanea V. C<* ***n<*** *nici* videlicet Sacram » Congregationem Concilii sub die *20 Novembris 1600* de- » clarasse canonicos ob legitimum impedimentum choro non » interessentes, non solum lucrari suas distributiones sed re- » putari praesentes quoad acquirendam portionem earum, quae » ab aliis absque iusta causa a choro absentibus fuerunt » amissae. Atque hanc opinionem etiam probabilem dicunt » Castr. Pal. tom. 2. et TVullen. in Dec. cap. 8. n. 7. » Et Benedictus XIV. *Inst. 107.* refert S. H. C. *sub die 15 April. 1511 relatam in L. XI. Decr. p. 98.* censuisse, eos qui absuni a. servitio chori ob infirmitatem, vel aliam causam non modo percipere debere distributiones quotidianas sui canonica-

tus perinde ac si statis horis intéressent, sed etiam percipere augmentum distributionum, quas amittunt illi, qui divinis non interfuerint. Quibus omnibus attentis, fallentiae absentium a Parocho L. actu, quo abest a choro ob exercitium curae animarum percipiendae viderentur, cum eum abesse ex legitima causa in dubium revocari nequeat.

Neque constitutiones capitulares huic sententiae refragari videntur, siquidem huiusmodi distributiones tribui ab eis apparet etiam infirmis.

Ad tertium dubium in quo quaerebatur utrum saltem in vim consuetudinis Ecclesiae Archipresb} ter absens officii gratia supradicta emolumenta percipere valeat, adnotabatur huiusmodi consuetudinem nullimode probari propter irregularitates quae in fallentiarum libro reperiuntur, et si temporis momento ea admitti velit nihili facienda foret ex Tridentino *loc. cit.* Sane eo in capite revocante Sacrosancta Synodo quaecumque contraria statuta, et consuetudines, quae contra Decretum Bonifacii VIII. forte invaluerint, iam planum videtur non satis esse consuetudinem ad percipienda huiusmodi emolumenta, quae actu interessentibus dari solent. Ad rem Fagnanus lib. 3. Decret, de Praeb. cap. licet, n. 71. *ea enim consuetudo non valet sive introducta fuerit ante Constitutionem Bonifacii VIII. sive post, et saepius respondit Sacra Congregatio etiam immemorabilem consuetudinem fuisse sublatam.*

Ex altera vero parte praetereundum non est ex irregularitatibus existentibus in fallentiarum libro non descendere consuetudinem non adesse, sed potius ex illo probari non po «se. Consuetudo vero huiusmodi percipiendi emolumenta a Paio elio probatur per Decanum qui antiquior est, et certe plu ri - facienda est istius assertio, quam omnium canonicorum, qui omnes recenti tempore creati fuerunt. Consuetudines vero locorum robur et vim habere legis inducendae docent communiter *Pirhing. tit. 22. Reiffenst. lib. 2. tit. 26. n. 140. S. C. in Ianuen. 31 Iulii 1819* §. *ut ius.* Quin imo ipsae tanti suni roboris ut necessariis qualitatibus munitae legem ipsam abrogent *cap. ult. de consuet. Bened. XIV de Syn. Dioec.*

*lib. i2. cap 8.n. 8.* ibi- *Nihil magis tritum quam, legem quamlibet humanam, etiam canonicam, posse contraria consuetudine, quae sit rationabilis et legitime praescripta abrogari.* Verum consuetudinem in casu ox dictis superius non contra sed secundum ius esse videi ur, proindeque quantum robur acquirat nemo est qui non videat.

Quod vero pertinet ad alterum dubium respiciens facultatem abessendi a Choro tempore divinorum officiorum ad effectum celebrandi Missam notat Passerinius neque praecisa, deputatione, neque legitimi Superioris licentia, neque consuetudine introduci posse, ut quotidianas distributiones lucrentur, qui ad celebrandam Missam a choro discesserint. Et haec opinio innititur antiquae Ecclesiae disciplinae, qua tempore divinorum officiorum nemini a choro abesse permittebatur, vel ad Eucharistiae Sacramentum administrandum, vel ad Missam celebrandam. Quod fortiori loco tenendum est de emolumentis ex distributionibus inter praesentes et negligentium fallentiis provenientibus. At vero cum anno 1753 dubium hac de re propositum fuisset SSmo, responsum prodiit etiam ex sententia S. H. C. nequaquam licere ex relatis causis a Choro abesse *nisi quando sic iussissent superiores, quos tamen admoneri voluit ut ab huiusmodi iussu abstineant, lib. Decret XIII. p. 51.* Et S. Carolus Borromaeus iñ quarto concilio Me iolanensi *p. 2. cap. 13* huiusmodi inhaerendo resolutioni si aluit, distributiones amittere, qui ad effectum celebrandi Missam divinis officiis non interfuerit *nisi pro absentia Sacerdotum qui Ecclesiae sacrificium faciant, 'necessitas aliquando inciderit ut Praefectus canonicum aliquem a choro exire iubeat, aut a Sede Apostolica aliter concessum fuerit.* Duplex igitur requiritur conditio, ut canonicus ad celebrandam Missam Chorum deserere possit nempe iussio Praefecti, et necessitas celebrationis. Et ab hac norma non recessit S. C. ut m *S. Miniatis 8. Feb 1817* et *Anagnina 20 Nov. 1819.* in quibus innui videntur causae illius utilitatis vel necessitatis, quae in singulis casibus suffragari debet Praefecto Chori ad licentiam celebrandi concedendam. Emi enim PP. in dicta S. Miniatis proposito dubio: *An et quomodo Cano-*

*nici absentes ad Missam celebrandam tempore choralis officiaturae lucrari possint distributiones quotidianas;* respondentes *negative* nisi de praefecti licentia, addiderunt *in populi commodum.* Quando igitur haec duo extrema verificantur, tunc procul dubio causa iusta et legitima absentiae a choro perspicitur adesse. Iamvero in casu habetur canonicos S. N. Missam celebrare in commodum populi, statutis a Sacrista horis, quin emolumentum aliquod ob incommodum percipiant, idque ex consuetudine fieri, et propter deficientiam capellaniarum et reddituum, hinc illa extrema in casu verificari patet. Sed ex superius allatis H. S. O. responsis liquet etiam canonicos ex iusta causa absentes, servatis quae superius servata sunt circa anniversaria aliasque obventiones, deberi et distributiones inter praesentes, et proventum fallentiarum. Ergo et ad canonicos S. N. in themate distributiones inter praesentes, et fallentiae absentium pertinere dicendae sunt.

Circa quartum dubium adnotatum est oblationes quascumque inter iuria parochialia adnumerari post *cap. Quia Sacerdotes* et *cap. sanctorum 10. q. 1.* tenuit *Rota recent, p. 18. dec. lib. 400. n 21. Scarfant. lib. 3. num. 60. Rebuff. de Congrua, num 44. Barbos, de Parochis cap. 2. n. 174.* candelam autem, quae occasione Baptismatis Parocho offertur, oblationem esse nemo dubitat proindeque ad Parochum pertinere. Neque quidquam facessit contraria (onsuetudo, quae veluti abusus et corruptela in iure reputatur. Ita enim habendas esse omnes consuetudines adversus parochialia iura statuit Pius IV in Constitutione *In Principis Apostolorum* et firmavit H. S. C. in *Nullius Sublacen. Iurium Parochialium 18 Septembris 1824.* Quinimo contra quadragenariam vel centenariam eadem iura servare voluit in *Baren. Iurium Parochialium 28 Augusti 1856. Bovinen. Iur. parodi. 27 Iunii 1820. Pisana Emolumentorum funeris 14. Decembris 1872.* §. *Ex quibus.* Neque constitutiones capitulares opponantur, quae prouti Apostolica sanctione destitutae ad ima parochialia destruenda minime valere videntur *Rota recent, p. 4 t. 2. Deo 473 r, 36.*

Multoque minus Canonicis iuvare posse videtur has constitutiones auctoritate Cardinalis V. confirmatas fuisse. Scitum enim est in iis, quae iuri communi adversantur Ordinarii potestatem certis limitibus contineri. *Firmana Distributionis ei servitii Chori die 13 Septembris 1872* §. *Neque.*

Ex adverso vero notandum venit ex constitutionibus capitularibus, proventus occasione baptismatis ad Sacrarium prorsus pertinere, statuta, autem cuiuscumque Ecclesiae habere vim legis et obligare singulos de Capitulo ad suam observantiam non secus ac ius commune habet *PignateiI'ius, tom. 4 Consult. 76. n. 6. S. C. in Faventina Iuris amovendi Capellanum 30 Ian. 1873.* §. *Commentum.* Neque oggerendum destituías fuisse constitutiones Capituli Apostolica sanctione, ipsas enim a Cardinali illius Ecclesiae titulari confirmatas fuisse in dubium revocari nequit: quare praesumitur ad hoc facultates habuisse a Sede Apostolica, ex tritissima iuris regula *Praesumitur factum, quod de iure erat faciendum,* praesertim cum et viva voce alias facultates a SSmo obtinuisset. Hisce accedit Capitulum onere gravatum esse expensas persolvendi, quae aliter ad Parochum pertinerent in functionibus parochialibus, ut cera ad associandum viaticum etc. necnon menstrua summa libellarum 13 et cent. 43. favore Vice-parochi, quare cum persentiat onus, et commodum persentire debet *Reg. 55. de Reg. iuris in* Accedit et constitutiones Parocho L. notas fuisse, et iuramento firmatas. *Iuramentum autem factum alicui communitati de re honesta et licita semper obligat, neque in aliam quamvis meliorem solo jurantis arbitrio commutari potest. Communis arg. cap. 28 de iureiurando et cap. 2 de pactis, ubi tamquam recepta iuris canonici regula statuitur quod « sacramentum homini praestitum necessario sit servandum, quotiescumque sine peccato, seu sine salutis aeternae dispendio et sine alterius praeiudicio servari potest.* Ferraris *v. Iuramentum art. 3. n. 18. S. C. in Hieracen. Fructuum et distributionum 24. Augusti 1872.* §. *Verumtamen* (1).

**(1) Inter informandum EE. PP. exhibita fait a Capituli procuratore Bulla erectionis Archipresbyteratus Dignitatis principalis curatae in Collegiata S. Ni-**

Tandem ad ultimum dubium haec observanda proponebantur. Praescribit Statutum quod Cleri nuncupatur in cap. IL *De officiis, iuribus et oneribus Camerarii,* ut in Processionibus generalibus videlicet « SSmi Corporis Christi, Rogatio- » num, Iubilaei, Sedis Apostolicae vacantis ac similibus quas » -fieri contingat, Parochi, quam fieri potest, intersint; et si » alicui ex Capitulis adscripti cum Collegio Parochorum in- > cedant, distributiones non amittant » §. *7. loc. cit.* Quo posito videretur Parochus L. incedens cum collegio Parochorum distributionibus, quas Parochi tamquam tales percipiunt, frui posse, non vero distributionibus ad canonicos spectantibus: Primo quia praedictum statutum loquens de Camerario Cleri specifice has distributiones ipsi tribuit, dicens in §. 3. *loc. cit. In hoc obeundo munere distributiones perinde lucretur ac si cum Capitulo, cui adscribitur, interfuisset,* qui dicendi modus, certe diversus est ab eo, quo idem statutum utitur loquendo de Parochis. Ergo et di versus interpretationis sensus esse debet. Secundo, quia absonum est a sacris canonibus, ut qui alio officio adstrictus pro servitio eiusdem Ecclesiae ex quo stipendium percipiat, tamquam praesens in choro reputetur, et distributiones lucrari valeat. Sane petitum fuit in *S. Severini 15 Nov. 1657. An Canonicus sit punctandus ob eius a choro absentiam, vel potius interessentia in organis pro servitio Ecclesiae sit reputanda ad*

**colai, a Benedicto XIV fel. rec emissa, cuius initium *Inter multiplices* in qua inter cetera haec habebantur: « Eadem » vero primodicta Vicaria, quam dilecti tus Â... C... primodictae Collegiatae » Ecclesiae Vicarius perpetuus ad prae- » sens ut asseritur, obtinet, ac cuius , » et illi forsan annexorum fructus, red- i> ditus, et proventus, vigintiquatuor ; " una vero cum incertis ducentorum dn- y> catorum de Camera secundum comma- n nem aestimationem valerem annuum, >• ut etiam asseritur, non excedunt, v.x » nunc pro tunc, et e contra cum pri D mum illam ex praesenti À . . . persona » quomodolibet vacare contigerit, per- » petuo suppritneretur, et extinguere- » tur, illiusque fructus, redditus et pro- » ventus certi, et incerti maiores Cora » Baptismatum et dimidia pars iurium, » et obventionum ad primodictam Vica » riam ratione humationis Cadaverum » nunc spectans, et pertinens Mensae n Capitulari primodictae Collegiatae Ec- » clesiae, etiam ex nunc prout ex tunc v et contra, ac puni primum suppressio » et extinctio huiusmodi suum sorti- • ta e fuerint effectuai, etiam perpetuo " applicarentur et appiopriareutur...»**

*effectum percipiendi distributiones:* S. R. O. respondit: *gaudere si stipendium pro musica, non recipiat.* Cui concordat *Adiacentis 11 Iulii 1671.* Atqui Parochum L. incedentem in praedictis Processionibus cum Parochorum collegio percipere distributiones ad Parochos tamquam tales spectantes in dubium revocari non potest. Ergo distributionibus, quae Canonicis competunt, frui non posse videretur.

Verumtamen, ne iudicetur contra iuris principia, verba illa statuti prorsus supervacanea esse, distributiones illas et Parocho L. cum collegio Parochorum incedenti spectare dicendae sunt. Quid enim sonarent verba illa, nisi de participatione distributionum canonicalium? Interpretatione enim legis opus est quoties occurrit verbum dubitabile *L. Et ideo 11 ff. de leg.* non vero quando verba per se prorsus clara sunt. Neque enim novum est in iure, ut quis unico actu duas repraesentet personas Rota *recent, p. 5. t. 2. decis. 79. n. 12* etiam ad effectum duas percipiendi distributiones. Eadem S. Rota *tom. I. p. 5. decis. 150 n. 25* « ibi » *Cum canonicus et Lector duplici fungatur officio, non est inconveniens quod recipiat duplicatum emolumentum.*

His igitur utrinque perpensis proposita sunt resolvenda

**Dubia.**

I. An parochus S. Nicolai absens a choro ob exercitium curae animarum distributionibus *inter praesentes* frui valeat in casu.

II. An eidem parocho absenti ut supra ex iure debeantur fallentiae canonicorum absentium in casu.

Et quatenus negative.

III. An eadem emolumenta saltem ex consuetudine ipsi debeantur in casu.

IV. An canonici perinsignis Basilicae S. Nicolai Missam celebrantes horis a Sacrista statutis absque eleemosynae augmento emolumenta praedicta percipere possint in casu.

V. An candela occasione baptismatis oblata ad Parochum, vel ad Capitulum pertineat in casu.

VI. An Parochus incedens cum collegio parochorum in

processionibus generalibus praeter distributiones parochorum fruatur etiam distributionibus Capituli in casu.

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii instante Capitulo resolutionem distulit in comitiis diei 20 Decembris anni 1873 per rescriptum *Dilata,* re autem mature perpensa sub die 9 Maii 1874 iterum respondere censuit *Dilata,* tandem die 12 Septembris 1874 rescripsit.

Ad I. Affirmative nisi obstet voluntas testatoris vel dantis.

Ad II. Affinhative.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Ad IV. Affirmative quoad emolumenta prout in primo dubio.

Ad V. Affirmative favore Capituli ad formam Bullae *Inter multiplices* Benedicti XIV.

Ad VL Affirmative ad formam statuti cleri.

EXINDE COLLIGES :

1. Distributiones quae *inter praesentes* audiunt ita distinctas esse a distributionibus quotidianis et praebenda, ut praesentibus tantum praestari soleant sive ex peculiari statuto, aut consuetudine cuiuslibet Ecclesiae, sive ex benefactorum expressa voluntate.

2. Has distributiones eventuales et incertas non percipere absentes a choro ex iusta causa vel Apostolico indulto, nisi in ipso id cautum expresse non fuerit.

3. Lucrari tamen ex iure communi perinde ac si in choro praesentes essent, nisi obstaret voluntas testatoris vel dantis, canonicos iubilationis indulto donatos , canonicos actu curam animarum exercentes suae praebendae adnexam, et canonicos Missam divinorum tempore celebrantes de licentia Praefecti chori et in populi commodum.

4. Ex iuris dispositione fallentias accrescere tantummodo interessentibus , qui ob aliorum absentiam maiorem subeunt in choro laborem.

5. Verum ad istas lucrandas non requiri physicam praesentiam sed fictam sufficere , proindeque absentes ob legitimum canonicum impedimentum praeter fructus praebendae,

quotidianasque distributiones et negligentium fallentias lucrari .

6. Canonicos Missam celebrantes divinorum tempore uti absentes reputari, quotidianasque amittere distributiones, nisi populi commodum id exigat, et licentia intercedat Praefecti chori.

## IURISDICTIONIS PAROCHIALIS.

***Die 12 Decembris 1874.***

**Compendium facti.** In confinio duarum Paroeciarum extrudn consurgit in civitate B. domus, ad quam duplex olim patebat aditus: alter sub n. 102, qui principalis erat, pandebatur in via vulgo *S. Felice,* quae intra limites Paroeciae S. Mariae a Charitate sternitur, alter vero sub n. 194 , qui erat secundarius, aedem ingredientibus accessum dabat ex via, cui apud populum nomen **est** *Lamme,* et in quam Parochus S. Gregorii duri-dictionem obtinet.

Porro elapso anno factum èst, ut principalis aditus in cauponam vulgo *Ristorante* nuncupatam verteretur, et pariete interiecto a cetera divideretur domo, atque ita qui antea secundarius nunc non primarius tantum, sed unicus evaserit aditus. Rebus ita immutatis Parochus S. Mariae a Charitate nihil iuris innovatum esse censuit, sibique iurisdictionem non secus ac praeterito tempore in ipsa eadem domo competere putavit. At ipsi acriter obstitit Parochus S. Gregorii, exortaque lis, ad iudicem Ordinarium *eú* delata, qui, audita Congregatione Consultiva, pro S. Gregorii Parocho decretum tulit. Ab hoc autem utpote sibi adverso per Parochum S. Mariae ad H. S. O. provocatum est, transmissoque appellationis actu sub die 25 Aprilis volventis anni, rescriptum fuit die 6 Maii: « *Emo Archiepiscopo pro informatione et voto, auditis interesse habentibus, transm''asaque copia decreti, de quo in precibus.* »

Rmus Archiepiscopus impiger mandata S. H Ordinis implevit. In sua vero informatione ea enarrat, quae superius exposita sunt, pluraque insuper addidit latum decretum confirmantia.

Archiepiscopi informatione accepta, controversia huius Sacrae Congregationis iudicio dirimenda proposita fuit sub dubio in calce exscripto.

**Disceptatio sytiopttca.**

IURA PAROCHI S. GREGORII. - Scriptores iuris canonici unanimiter tradunt eum, qui habitat in confinio duarum Paroeciarum , illius Parochiae iurisdictioni subiici, in qua domus aditum habet. Satis sit pro omnibus unius vel alterius auctoritatem in medium proferre. Iamvero Aloysius Ricci, in *Prax. fovens, resol. 510, n. 1,* haec scribit: *« habitans in confinio duarum Parochiarum, fit Parochianus illius Paroeciae, ex qua domus aditum habet, quia ex aditu iudicatur de domo. »* Nec dissimilia sunt, quae habet Barbosa sub titulo *de offic, et potest. Episcop. p. 2, alleg. 32, n. 71 : « Infertur habitantem in confinio duarum Ecclesiarum Parochialium censeri Parochianum illius, in qua domus aditum habet ex notabili doctrina Bart, in lib. 6 in fin. ff. de damno infecto ; huius illationis ratio est, quia ex aditu iudicatur de domo, cui cedat L. ei cui aedes ff. de Leg. 3. Bald. Cons. 50, vol. 1. »*

Atqui in facto est, domum controversam in praesentiarum ianuam, seu aditum unicum habere in Paroecia S. Gregorii id est in via Lamme, siquidem *novatione facta,* subdit Eminentissimus Archiepiscopus, *accessus ex via Lamme non tantum principalis, sed unicus illius domus, evasit.* Quonam igitur pacto vel qua potest ratione denegari ipsam hanc domum, eiusdemque incolas in iurisdictionem eius Parochi concessisse , in cuius Paroeciae territorio via illa consternitur ? Recte hinc Emus Archiepiscopus concludit : « Si igitur, ra-
» tione principalis accessus ista domus spectavit usque ad
» elapsum annum ad Paroeciam S. Mariae Charitatis, eo magis
» ratione unici accessus nunc spectare debet ad Parochum
» S. Gregorii, qui iurisdictionem habet in via Lamme. » Et

licet contra haec adversarius contendat ad aedem accessum ex S. Felicis via adhuc patere, hoc tamen Emus Archiepiscopus falsitatis arguit, docens pristinum aditum interclusum muro undequaque fuisse.

Verumtamen dato etiam veritati eius verba inniti, nihil adversarius conficeret. Fateatur enim necesse est, licet adhuc supersit adiius ex via S. Felicis, hunc tamen ex principali secundarium evasisse, per eum enim in publicum triclinium immutatum nec percurrere equi, neque impelli quadrigae poterunt. At aditus ex via Lamme *civili non tantum., sed splendidae domui conveniens est ita ut etiam nobiles currus per eum ingredi possint.* Nemo itaque intimabitur in praesens ianuam principalem ex via Lamme pandi, eamque magis vel potius unice frequentatam esse.

Porro si res ita se habet certum quoque est, quamvis ultro demus domum in casu binis adhuc ornari accessibus, eam sub ditionem Parochi S. Gregorii cedere, siquidem via Lamme intra eiusdem Paroeciae limites comprehenditur, et porta principalis, et aditus magis frequentatus in ea existit. Sane DD. hanc controversiam unanimi dirimentes consensu docent, quod *Domus, quae habet duas portas in diversis Parochiis, iudicatur de ea Parochia, in qua residet porta principalis, et aditus magis frequentatus.* Barbosa, de offic, et potest. Episc, alleg. 32, num. 71. Reiffenstuel *ad tit. de Parochiis num. 20. - Casu, quo domus duas habet portas seu aditus, erit ibi Parochianus ubi porta principalis et aditus magis frequentatus habetur.* Et eximius Giraldi in additionibus Inst. Canon. Maschat, in Summ. Decr. lib. 3, tit. 28, de sepult. Cap. cum quis, haec habet : « *Si vero quis inhabitet domum habentem unum ingressum intra unam, et alterum intra aliam Parochiam, tunc portio canonice integra debetur Parochiae intra quam est principalior ingressus.* » Et Pignatelli consult, can. tom. 8, cons. 5, num. **7.** **«** *Si domus habet duas portas in duabus Parochiis iudicatur de ea Parochia in qua est norta principalis et aditus magis frequentatus sive usitatus.* »

Neque in tanta DD. concordia iudicum animi quaestionibus insurgentibus, ancipites de solutione fuerunt. *Ita enim* (ut

enarrat Giraldi loc. cit.), *decisum fuit ab Alexandro Sperelli IO Septembris 1694 tunc Vices g eren te, favore S. Mariae ad Martyres de Urbe, contra Capitulum S. Eusfachii, respectu clarissimae familiae Virginii Marchionis Crescenzi , cuius palatium, principaliorem ingressum habet intra Parochiam S. Mariae.* Nec diversimode iudicatum fuisse memoriae tradidit Ursaya Discept, eccles, tom. 3, part. 2, discept. 11, n. 102 occasione mortis Emi Taja: *Cum enim,* inquit auctor, *illius palatium positum prope ecclesiam S. Mariae de Pace, duas haberet portas correspondentes duabus Parochiis, uterque Parochus praetendebat illius cadaver pertinere ad propiam Parochiam, fuitque decisum illud spectare ad Parochiam B. Mariae de Pace, eo quia illius porta nobilior, et magis frequentata cor respondebat eidem Parochiae.* Praeterea iuxta sapientissimam hanc regulam diiudicandas esse huiusmodi controversias apertissime docuit S. C. Episcoporum et Regularium in Veliterna Associationis et Emolumentorum Funeralium cuius haec erat species. Iosephus Graziosi duplex habebat domicilium Romae alterum, alterum Velitris, qua in urbe propriam habebat domum intra limites duarum Paroeciarum videlicet S. Mariae et S. Michaelis Archangeli consurgentem. In dubio cui quarta funeris cederet, cum Velitris Iosephus diem obiisset supremum, Emi Patres in Congregatione generali sub die 6 Maii 1870 litem ita diremerunt : *« Quo vero ad quartam funeris eam esse dividendam inter eumdem Parochum Urbis et alterum ex Parochis Veliternis, in cuius finibus extat ianua principalis domus familiae.*

Neque refragantur quae proferuntur in contrarium scilicet : primo viam Lamme non subiici ex toto Parocho S. Gregorii, sed tantum ex parte, dum ex parte altera limitibus Paroeciae S. Mariae a Charitate circumcluditur, neque secundo iurisdictionem in hanc domum praescripsisse eo quod putat accessum ad aedem controversam ex via Lamme in Parochi S. Mariae favorem vindicatum fuisse praescriptione temporis quam longissimi. Siquidem primum omnino falsum esse luce meridiana clarius apparet ex eo quod cuiusque Paroeciae limites circumscripti ac definiti fuerunt, ita ut Paroeciae S. Gregorii attributa fue-

rit *via Lamme a via S. Felicis usque ad pontem Lamme.* Cum itaque nulla fiat distinctio inter sinistrum, et dexterum viae latus, sed simpliciter sermo sit de via, patet allatae distinctioni locum fieri haud posse, ideoque huc facit tritum illud iuris principium « ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus. » Hinc prima Parochi S. Mariae difficultas suo destituitur robore.

At neque huic iuri praescriptio aliquid derogat, siquidem ea respuitur a iure. Sane hac de re aperta legis dispositio prostat in c. *Super,* 4. h. t. : « *Cum dubitatum fuisset, an quod de finibus Provinciarum ac dioecesum iisque, quae finibus cohaerent non praescribendis per SS. Canones st n tutum reperitur (c. Quicumque 4. et 3 seq. caus. 16. q. 3), etiam in limitibus Paroeciarum admittendum sit Ì respondet ad, hoc Urbanus III de utrisque esse intelligendum, dummodo per legitimam* (uti est in casu) *vel alias indubitatam fidem constiterit fines Ecclesiastica auctoritate esse constitutus.* » Concinit Pirhing, qui hanc theoriam evolvit *lib. 3, tit. 29, §. 2.* Cum itaque fines in themate ab auctoritate Ecclesiastica fuerint constituti, patet praescriptioni iurisdictionis locum fieri haud potuisse, idque eo vel magis quia adversarius nullos aetu^ iurisdictionis per viam Lamme umquam exercuit.

Quare cum decretum Curiae Archiepiscopalis B. notissimis iuris principiis innitatur, prono veluti alveo fluit, ipsum nec de nullitate, nec de iniustitia argui posse, ideoque omnino esse confirmandum.

IURA PAROCHI S. MARIAE A CHARITATE. - Verumtamen his omnibus acriter obsistit Orator Parochi S. Mariae, qui praemisso in facto aditum in via S. Felicis haud esse omnino praeclusum tres in partes orationem suam dispescit. Demonstrat in prima Decretum Curiae Archiepiscopalis *nullum esse ipso iure ;* in secunda praedictum Decretum *esse iniustum atque adversum iuribus sui CU enti s ;* in tertia tandem ostendit momenta rationum, quibus Archiepiscopalis Curia mota fuit ad illud Decretum emittendum, minime themati accommodari posse.

Primum itaque aggredien •• caput, inquit Decretum nullum esse *ipso iure* quia adversatur notissimo iuris principio, quo

statuitur Paroeciarum confinia *nonnisi a competenti Ecclesiastica Auctoritate immutari posse.* Trid. *sess. 21, cap. 4 et 5, de Reform.* Imo ipse Episcopus non semper illud praestare potest, sed in casibus dumtaxat a iure permissis, teste Bouix *Tract, de Parock. part. 2, cap. 4, prop. 1.* Quod adeo verum esse subdit, ut ipsaemet Laicae Potestates in iis quoque Regnis, in quibus Paroeciae constituunt politicam Civitatum divisionem, ullam immutationem facere'queant, nisi de consensu Romani Pontificis.

Hisce praemissis observat Orator Archiepiscopalem Curiam decrevisse domum controversam ex una Paroecia ad aliam transitum fecisse non ex consensu competentis Auctoritatis, sed *ex simplici et nudo facto Laici, privatique viri,* qui ianuam principalem precario in Triclinarem Tal emam converterat ; atque ideo illud adprobavit erroneum principium, quod Laicus vir possit Paroeciarum confinia moderari. Exinde arguit Decretum ipso iure nullitate laborare, utpote latum contra iuris principium ad tradita per Reiffenstuel *lib. 2 Decret, tit 27, §. 3, num. 70.* Lotter *de re Benefic. lib. 1, in appar.;* aliosque. 2. ait idem Decretum nullum pariter esse ipso iure, quia adversatur alteri notissimae iuris legulae, quod nempe Paroeciarum confinia *certa esse debeant, determinata, perpetua, immutabilia.* Trident. Synodus *sess. 24, cap. 13 de Reform.* Porro Decretum Archiepiscopalis f\riae recognovit, admisitque principium, quod quilibet privatus homo possit per simplex et nudum factum alicuius novationis in sua domo confinia ipsa immutare, ita ut si dominus controversae domus velit quolibet mense, bimestri, trimestri, anno, unam claudere ianuam , alteram aperire, toties quoties potest se submittere iurisdictioni unius, vel alterius Parochi pro lubitu suo. Quod quantas inferat absurditates ostendit ex periculo nullitatis Sacramentorum, et praesertim matrimonii. Fingit enim casum, quo mulier, quae controversam domum inhabitat, matrimonium inire cupiat. Peractis iam denunciationibus a Parocho de Charitate, dominus controversae damus aditum principalem in Triclinarem Tabernam convertit. Mulier *ipso iure,* ad normam Decreti subiicitur iurisdictioni Parochi S. Gregorii. Si Paio-

chus iste matrimonio adsistat, erit ne validum ? debet nec ne iterum denunciationes in sua Paroecia peragere? debet, vel non, matrimonium differre ad triginta, vel quadraginta, dies, ad hoc ut mulier novum domicilium contrahat ? Quod si post hanc dilationem, in pervigilio matrimonii dominus aedis iterum Triclinarem Tabernam aholeat, quid fiet ? Ex hisce absurdis nullitatem Decreti vehementer arguit.

Quod autem Archiepiscopalis Curia illud principium admiserit , ex ipsis verbis Decreti, ex V oto Congregat ionis Consultoriae, et ex ipsis Litteris informationis Archiepiscopi ad hanc Sacram Congregationem clare ostendi edisserit. Auctoritati deinde innixus Menochii, *de adipisc. poss. Rem. 4, num. 126,* concludit nullitatem *ipso iure* Decreti ob errorem nedum *virtualiter,* sed *explicite* in ipsa sententia professum. 3. nullum dicit Decretum *ipso iure,* quia latum *sine causae cognitione,* et *sine cognitione m causa,* ex eo quod rationum momenta ultimo loco a Parocho Cliente deducta, a Iudice neque pei lecta fuere; imo in ipso Decreto denegatur illa fuisse deducta, quamvis extet epistola Archiepiscopalis Curiae, qua declaratur deductiones illas receptas fuisse, iamvero sententiam latam a iudice ignaro de meritis causae, nullam esse ipso iure tradit ReifFenstuel *lib. 2 Decretal, tit. 27, §. 2, num. 42 et 46.* Vallensis *eod. tit.* §. *3, num. 1.* Engel. *num. 1.* Fagnanus *lib. 2 Decret, de Fide instrum. cap. 12, num. 19,* et Mascard, *de Probat. Vol. 3, Conclus. 1296, num. 36.*

Huius autem defectus gravitatem ex protestatione emissa a Parocho S. Mariae a Charitate statim a Curia Archiepiscopali recognitam fuisse ait, ideo post biduum serotinam declarationem edidit, qua verba Decreti corrigere tentavit, quibus dixerat deductiones exhibitas non fuisse. Sed frustra subdit Orator, quia nedum huiusmodi declaratio vim infert naturali sensui verborum, sed etiam , quia iure impossibilis erat : iudex namque prolata sententia functus est officio suo, teste Schmalzgrueber *lib. 2 Decret, tit. 27 §. 4, num. 78,* et Begundelli *Bibhnth. Canonico-Civilis practica* verb. *Seiitentia,* §.7, num. 40.

Hoc absoluto capite ad alterum digreditur Orator quo ostendere nititur controversum Decretum esse insuper iniustum, et laedens iura Parochi S. Mariae-a Charitate, 1. quia domus de qua agitur, cum certo certius pertineret ad iurisdictionem dicti Parochi, hic iure poterat ad illam accedere per viam *Lamme,* quae est *via pubblica ;* inde Parochus S. Gregorii impedire nequibat, quominus per (-ani transiret, quemadmodum impedire non poterat ingressum per Triclinarc *w* Tabernam. Sane non poterat impedire transitum per Trieli ii um, quia cum non ageretur nisi *de honestate* vel *decentia,* sola; Parochus S. Mariae iudex de illa esse poterat. Non potest i n pediré transitum per viam *Lamme,* quia redarguisset Bened. XIV. *in institut. 89, n. 12,* et praesertim *n. 14.*

Quod autem Parochi iure gaudeant transeundi per publicas vias etiam in alienis Paroeciis demonstrat auctoritate huius S Congregationis, nec non S. Congregationis Episcoporum et Regularium, praesertim in una, *Piacentino, 24 Novembris 1713,* quam refert Ferraris *Bibliot h. Can. Verb. Parochus, art. 3, num. 36.*

Post haec pergit Orator ad probandum, spatium illud viae Lamme ab angulo S. Felicis ad numerum u^que 194, ad Paroeciam potius spectare S. Mariae de Charitate, quam ad aliam S. Gregorii: idque argumentatur tribus adminiculis. 1. quia via S. Felicis separatur a via Lamme per quamdam veluti plateam , quae certo sub nomine comprehendi nequit *viae Lamme,* et magna pars controversae domus hanc plateam respicit. 2. quia reliqua pars ct ntroversae domus terminatur et circumscribitur a quodam vico, a quo integra domus veluti insula constituitur; vicus enim immittit ad viam S'. Felicis. 3. quia latus oppositum huic domui in eadem via Lamme nullam habit ianuam, per quam Curio S. Gregorii ingredi possit illius lateris domos; ita ut merito dici possit Parochum S. Gregorii nullo unquam tempore ad extremam oram per viam Lamme pervenisse.

Hisce autem si addatur Parochum Charitatis ab ipso Paroeciarum circumscriptionis momento semper indiscriminatim controversam domum ingressum fuisse per utramque ianuam

*in via S. Felicis* atque *in vin Lamme,* praesente atque sciente defuncto Archiepiscopo, c >ncludit Orator merito dici posse Archiepiscopum eumdem fines statuendo Paroeciae S. Gregorii, loquutum fuisse oppositi lateris, vel ad summum de ipsa via Lamme; sciebat enim Archiepiscopus latus domus, de qua agitur, certissime spectare ad Parochum Charitatis,

Iniustum dicit *secundo loco* Decretum etiam in hypothesi, quod via Lamme esset *privatae proprietatis,* quia Parochus Charitatis praescripsisset servitutem transitus per viam illam, per quam transierat spatio septem supra sexaginta annorum, et quidem *cum titulo.* Probat in primis factum testimonio domini praedictae domus, nec non Petri F., qui iam ab anno 1821, munus Capellani Curati in eadem Paroecia exercuerat; Ioannis Baptistae G. Archipresbyteri et Vicarii Foranei in Plebania S. Laurentii in Panico, qui munus exercuit Vice-Curati ab anno 1841 ad annum 1846; Raphaelis P. Archipresbyteri et Vicarii Foranei ; Vincentii N. Parochi S. Ioannis in Monte in ipsa civitate ; Municipalis Auctoritatis, et Iosephi G., qui Municipio addictus fuit spatio quinquaginta et duorum annorum ; tandem testimonio aliorum sexdecim Civium ex ordine Sacerdotali, Patritio, et populari omni exceptione maiorum. Hi omnes unanimiter testantur Parochum S. Mariae de Charitate semper et indiscriminatim controversam domum ingressum fuisse sive per ianuam *in via, S. Felicis* sive per alteram *in via Lamme.* Quinimo testantur aditum magis frequentatimi fuisse semper illum *in via Lamme,* et per eum introiisse Parochum Charitatis controversam domum sive in Sabbato Sancto, sive ad Viaticum et extremam Unctionem infirmis ministrandam , sive demum ad levanda defunctorum cadavera.

Hisce in facto praemissis neminem ignorare ait, quanta sit vis tranquillae possessionis spatio sexaginta septem annorum ; cum Gregorius L *in Can. Volumus, caus. 16, quaest. 4,* et Alexander III. in una pariter Confinium, decreverint spatium annorum quadraginta sufficere etiam ad praescriptionem bonorum Ecclesiae Romanae. Animadvertit insuper servitutem transitus praescribi super alienum fundum, si non vi, :i >n

clam, non precario id fiat, ad *I. 10, ff. si servitus vina.,* nec requiri scientiam adversarii ad mentem Menochii, *de retin. poss. remed. 5, n. 36,* quod ab ipsomet Emo Archiepiscopo recognitum fuit in suis Litteris informationis, cui obstat tantum *factum Novationis,* de quo tamen quid sentiendum sit, iam superius Orator ostendisse asserit.

Quod si, urget, praedicta omnia vera sint in casu, quo quis sine titulo possideat, quanto magis dici debet de Parocho Charitatis qui titulo possidebat *pro suo Ì* Auctoritate autem Ferraris, Biblioth. Can. *Verb. Praescriptio* §. *5, num. 26,* demonstrat *Servitutem itineris cum. titulo* praescribi spatio decem annorjim contra pra-sentes, et viginti contra absentes ; *lib. 12, Can. de praescri.pt. long, ternp.* Lessius *lib. 2. de iust. et iur. Can. 6, num. 28.* Pirhing *lib. 2. Decret, tit. 26, num. 119.* Quinimo ad mentem Benedict. XIV. instit. 89, num. 14, quando agitur de domo propriae iurisdictioni certo subiecta, ostendit non esse opus servitute itineris, et licere etiam per privatam alterius viam accedere. « *Si quod,* ait laudatus Pontifex, *invenies obstaculum et impedimentum superabis.* »

Iniustum *tertio loco,* renunciat controversum decretum, quia executionem voluit « etiam appellatione interposita, » etsi non agatur de iudicio possessorio summario, neque de iudicio, quod celeritatem requirat. Quinimo etiamsi ageretur de possessorio, cum iudicium sit de iurisdictione, appellatio operatur utrumque effectum, ex eo quod de titulo probandum esset ad mentem Baldi, ut asserit Menochius *de adipisc. poss. Remed. 4, num. 839.* At iudicium in casu, erat stricte petitorium, agebatur enim *de proprietate.* Sed in petitorio iudicio appellatio parit effectum etiam suspensivum ; Pichler *tit. 28, de Appell, num. 30,* excepta causa dotis, mercedis, alimentorum futurorum, causae piae, et aliis quae celeritatem requirunt, uti deducit Barbos, *in cap. 59. de Appell, a num. 5.*

Ad ultimam tandem partem deveniens ostendit momenta, rationum, quibus Archiepiscopalis Curia Decretum edidit, ad casum de quo agitur, minime aptari posse. Ad tria autem illa

reducit Primum argumentum Decreti, inquit, desumitur ab Edicto diei 17. Novembris 1806. quo confinia utriusque Paroeciae statuebantur. In edicto dicitur viam S. Felicis spectare ad Parochum Charitatis, et viam Lamme ad illum S. Gregorii. Huic argumento respondet, quod Edictum Parocho Charitatis omnino favet : ex eo enim apparet controversam domum sub iurisdictione fuisse Parochi S. Mariae Charitatis et ab hac Paroecia domum ipsam avelli non potuisse , nisi per dismembrationem a competenti Auctoritate peractam ; quod cum nunquam factum fuisse appareat, domus remanet adhuc sub iurisdictione Parochi S. Mariae a Charitate, cui per edictum tributa fuit.

Secundum argumentum ex eo deducit, quod *multi status animarum* a Parocho S. Gregorii exhibiti, ab anno 1806 ad praesentem diem, adnotant tamquam suae iurisdictioni subiectas domos in via Lamme 193. 194. 195. Asserit praedictus Parochus S. Gregorii revera iurisdictionem exercuisse in domum 193, usque dum aditus ille non clauderetur, et aperiretur in via S. Felicis. Asserit iurisdictionem exercuisse in domum 195, usque dum aditum haberet in via Lamme; quia vero deinceps adnexa fuit alteri, quae aditum habebat in via S. Felicis 102, iurisdictionem amisit, quam postea recuperavi t, iterum facta separatione. Concludit idcirco quod quemadmodum iurisdictionem habuit super domum 193 et aliam 195, ita et super 194 habere debet.

Heic vero miratur Orator, quod Archiepiscopalis Curia acceptum retulerit huiusmodi factum favore Parochi S. Gregorii ; hic enim fatetur domum 194 semper subiectam fuisse iurisdictioni Parochi a Charitate ; illam idcirco describendo in animarum suae Paroeciae statu, si non crimen falsi, certo solemne mendacium protulit ; quod nunquam ab Archiepiscopali Curia tolerari debuisset. *In specie* autem ait, domum 193 fuisse aedem Curionis Paroeciae S. Laurentii, quae anno 1806 extincta fuit, et domus divendita ; quae domus diruta fuit, et nova a fundamentis extructa cum unico aditu in via-S. Felicis 101. Quid mirum igitur quod subiecta evaserit Parocho

Charitatis ? Quoad vero domum sub num. 195, animadvertit quod si aliqu mdo partem constituit alterius domus 194, sine facto Auctoritatis Ecclesiasticae transire non potuisset sub iurisdictione Parochi S. Gregorii.

Tertium et praecipuum argumentum Archiepiscopalis Curia deduxerat éx eo principio *quod aditus dat normam iurisdictionis ;* inde cum actu aditus principalis controversae domus sit in via Lamme, non dubitat quin domus ipsa subiecta dici debeat Parocho S. Gregorii. Praedictum sed vero principium Orator libentissime admittit; sed inquit difficultatem in illius applicatione consistere, hinc bene, et accurate expendendum est et probe.dignoscendum quando et quomodo applicari possit; quando enim ad absurda duceret, in eo casu nullo [iacto esset admittendum. Porro in themate ait ex eo principio duo oriri theoremata, quae Sacris Canonibus omnino repugnant. l.'"ⁿquod Paroeciarum confinia ab ipsis Lucis possent immutari. 2.ᵘᵐ quod Paroeciarum confinia incerta e«so possent, indeterminata, mutabilia ad libitum ipsorum Laicorum. Hinc concludit principium illud casui practico accommodari non posse, nisi quando agatur de domo *ex integro et noviter excit ita,* vel in ipso actu circumscriptionis Paroeciarum ; et quod ita revera censendum sit, patet ex ab-mrdis, quae secus exurgerent. Fingit enim casum, quo quis domum habeat, qu ¡e per quatuor latera aspiciat quatuor Parochiarum fines. Dominus aedificii huius alte reatu r cum Parocho suo, atque ad effugiendam huius iurisdictionem ianuam claudit intra fines illius Paroeciae, aliamque aperit intra fines alterius, et sic deinceps. Nemo non videt per simplex hoc factum, *sive per hanc. novationem,* praedictum aedificii dominum non po^se proprio marte iurisdictionem sui Parochi declinare ; secus enim tot Parochos et Parochiales iurisdictiones mutare dominus iure posset, quot sunt sui aedificii latera. Quid absurdius ? Ex his omnibus infert Orator decretum in themate nullum, atque iniustum esse renunciandum, ideoque omnino infirmandum.

His aliisque deductis propositum fuit resolvendum

**Dubium.**

An Decretum Curiae Archiepiscopalis B. sit confirmandum vel infirmandum in casu.

RESOLUTIO. - S. Congregatio Concilii omnibus rite expensis respondere censuit : « Domum de qua in casu spectare ad Paroeciam S. Mariae a Charitate. »

EXINDE COLLIGES:

I. Paroeciarum confinia certa, determinata atque immutabilia esse debere.

II. Hinc non solum a laica potestate, verum neque ab ipso Episcopo immutari posse nisi in casibus a iure permissis.

# EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## IURIS ADMINISTRANDI
## OBLATIONES ET CUSTODIENDI SACRAS SUPELLECTILES.

**compendium facii.** Anno 1702 cum supplex libellus fuisset oblatus Sacratissimo Principi, ut suppressa Paroecia Ecclesiae S. Mauri in civitate *N.*, ea in Collegiatam erigeretur, Summus Pontifex Clemens XI, his votis annuens, Litteris diei 3. Iunii eiusdem anni decrevit novae Collegiatae erectionem, quae viginti canonicis atque unica Praepositi dignitate constarei, cui animarum curam in praefata Ecclesia existentem attribuit. — Praebendae titulo, membris capitularibus rependendae, qui *singulis diebus in perpetuum, debitis temporibus, horas tam diurnas quam nocturnas divinaque officia.... psallere et recitare...* (tenerentur) «detulit omnes redditus ac bona, *tam per Electorem ac Iosephum P. universitatem et homines praedictos ad hunc effectum relicta... donata, et assignata, quam per dictum Petrum et alios Christifideles, dictae sine cura Ecclesiae seu Capellae S. Mariae Gratiarum nuncupatae similiter relicta.* » Tandem praeposito *attribuit annuos ducatos decem monetae Regni ex reditibus dictae Ecclesiae in Collegiatam erigendae, ac omnes ac singulos fructus, reditus et proventus, iura, obventiones et emolumenta universa dictae parochialis ecclesiae S. Mauri, sic suppressae et extinctae, tam certa quam incerta, etiam ratione exercitii curae animarum et administrationis sacramentorum, aliarumque functionum parochialium undequaque provenientium, et quae ante suppressionem et extinctionem praedictas, quomodolibet dicta, parochialis ecclesia S. Mauri, illiusque pro tempore existentes rectores percipiebant et habebant.* »

Iisdem apostolicis Litteris cautum fuit, pertinere ad Capitulum, idest ad Praepositum atque Canonicos *attendere, prae-*

*dictae ecclesiae... ac illius sacristiae, mensae capitularis, fabricae, rerumque omnium et bonorum tam spiritualium, quam temporalium prospero et felici gubernio regimine et administratione, onerumque praedictorum illi incumbentium reparatione et supp or latione... distributionum quotidianarum et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perce- ptione, divisione... quaecumque statuta, ordinationes, capitula ac decreta, licita tamen et honesta etc. edendi* Canonicis expres- se vetans, *quod ullo umquam tempore, quibusvis causa, prae- textu, ingenio vel adore in exercitio curae animarum se ingerant, nec quidquam tam ex iuribus et emolumentis cer- tis et incertis exinde provenientibus, quam ex fructibus, re- ditibus et proventibus praedictis dictae parochialis Ecclesiae praetendant vel exigant. »*

Iamvero inter emolumenta adventitia, quibus eadem Eccle- sia ditescit, enumerantur oblationes, quae intra annum, ac spe- ciatim die festo S. Titularis ac Patroni Coelestis a fidelibus de- feruntur, quaeque in cera, pecunia aliisque rebus pretiosis consistunt, nec non in eleemosynis missarum. Quamvis Prae- positus ab antiquis usque temporibus has oblationes colligere, missarum intentiones Ecclesiae Clero distribuere , vota pre- tiosa aliis extantibus adiungere, caeterasque oblationes ad fe- stum S. Patroni augustiori forma celebrandum, vel ad sacra utensilia reficienda impendere consueverit, tamen hodierni Ca- nonici opinantes sui iuris esse haec gerere, querelas detule- runt Ordinario expetentes ut suis iuribus redintegrarentur.

x\rchiepiscopus expediens iudicavit dissidentes revocare ad observantiam Decreti ab Emo Episcopo die 20 Iulii anno 1836 editi (in confirmationem cuiusdam Statuti) quod Capitulum con- fecerat, et cuius vi nonnulli canonici Sacristarum titulo insi- gniti norninabantur, qui oblationibus praeessent. At vero tale Archiepiscopi consilium pacem restituere non valuit, hinc die 29 Sept. 1868 Canonici quaestionem iuridice dirimi expostularunt coram eadem Curia, quae expensis rationibus hinc inde deductis, die 26 Ianuarii 187«) sententiam edidit « qua declaravit *spectare ad Praepositum curatum Collegiatae Ecclesiae S. Mauri omnes et singulas eleemosynas, proventus, obventiones, quae fiunt in*

*Ecclesia praedicta; de aliis vero quae dantur a fidelibus ad certum usum et finem esse tantum administratorem, ac proinde stricte teneatur rationem reddere quotannis ad S. Visitationis secretarium de fideli adimplemento, et praesertim de missis quae obveniunt ex fidelium largitate oblatae. Infra dies octo, quacumque appellatione posthabita, a promulgatione huius sententiae, Praepositus et. Capitulum procedant ad electionem Sacristarum ad normam Decreti lati in S. Visitatione peracta anno 1836, et iuxta articula confirmata, a f. r. Cardinale Iudice C. eiusdem anni, quae transcripta censentur in praesenti sententia a verbo ad verbum et iudicialiter confirmata. Inter praecipua onera Sacristarum erit "recipere adnotare et servare missas, anniversaria et caetera huiusmodi obvenientia in Ecclesia praedicta singidis diebus. Quolibet autem mense una cum Praeposito Curato fiat distributio missarum iuxta, modum et formam hucusque servatam, facta proportione inter Praepositum, Canonicos, Hebdomadarios, aliosque de clero, dummodo reapse paroeciae inserviant. De quorum adimplemento Sacristae doceant quotannis Secretarium S. Visitationis sub poenis arbitrio nostro incurrendis.* »

Ab hac sententia, quae neque Canonicis, neque Praeposito satisfecit, ad hanc S. Congregationem utraque pars appellationem interposuit, coram qua propositum fuit resolvendum dubium in calce exscriptum.

**Disceptatio synoptiea.**

EA QUAE PROSTANT FAVORE PRAEPOSITI. Orator Praepositi in primis animadvertit, controversiam circa oblationes inutilem esse nullique rationi innixam , siquidem missarum eleemosynae fuerunt distributae ac porro distribuuntur pro ratione servitii Canonicis , Mansionariis, aliisque Sacerdotibus Ecclesiae addictis , caeterae vero oblationes ad determinatos usus iuxta offerentium intentionem impenduntur. Hinc quisquis sit qui eas colligat atque administret, in idem recidit, cum nequeant diversimode erogari. Attamen, subdit,

principium iuris esse oblationes et eleemosynas ad specificum finem non destinatas, neque ad Episcopum neque ad Capitulum pertinere, sed ad Parochum intra cuius paroeciae limites offeruntur ad tradita per Card. De Luca *Summ. Decim.* §. *4 n. 36. discept. IS de decim. n. 6;* quin imo interdum tales oblationes dicuntur esse in *fructu* ad determinandam quantitatem congruae, ceu docet idem Card. De Luca *de decimis* discept. 19. n. 13. Neque refert utrum oblationes intra Parochialis Ecclesiae ambitum colligantur vel fiant altari, aut Capellae intra territorium paroeciae Pignatelli *Consult. Canon. 160, Tom. 4 §. 44 et seqq.* vel etiam offerantur alicui imagini depictae ad laicum virum pertinenti. Fargna *de iurepatr. p. 2. c. 14. 15. eas. 12. n. 2.* Caeterarum vero oblationum quae quolibet in loco intra paroeciae limites ad certum ac determinatum finem elargiuntur, Parochus censetur legitimus administrator, ut tradidit Sacra Congreg. Concilii *in Ferrarien. Confraternitatis 14 Sept. 1782* §. *ad secundum dubium;* quare relate ad has ultimas Praepositus solum obligatione adstringitur rationem reddere Ordinario.

Iuri communi plene consonat lex specialis Capituli, idest Bulla Erectionis, quae dum determinat ac circumscribit Canonicorum proventus ad sola iura atque emolumenta provenientia ab Hectore Palatino a Iosepho Zampareilio, a loci Municipio, atque a bonis dono datis a fidelibus Ecclesiae S. Mariae gratiarum, omnia iura, reditus atque emolumenta Praeposito adiudicat, quae ad Paroeciam pertinebant, quaeque antea percipiebantur a Parocho, expresse vetans Canonicis haec sibi vindicare atque exigere. Frustra vero has apostolicarum Litterarum dispositiones conantur Canonici coercere ad sola emolumenta a cura animarum obvenientia, siquidem talis limitatio prorsus excluditur eo ipso quo praefatae Litterae quoslibet reditus certos atque incertos *etiam ratione curae animarum* obvenientes Praeposito attribuunt.

His rationibus accedit iugis observantia. Syndicus enim Municipalis testatur, fidelium oblationes perpetim a Praeposito Parocho fuisse receptas atque ad finem ab offerentibus praefixum erogatas, nec non in Ecclesiae utilitatem, cum Prae-

positus pro tempore Ecclesiam ipsam manutenere rebusque necessariis providere fuerit adstrictus, quin unquam Canonici his se ingesserint; hinc patet rationabilitas vigentis consuetudinis cum ius colligendi atque administrandi oblationes evincatur tamquam correspectivum honori custodiendi ac manutenendi Ecclesiam sacrasque supellectiles.

Neque suffragatur Canonicis exceptio inde petita, quod post Collegiatae erectionem, Capitulum unicum extet ens morale legitime subsistens, cui habitualis animarum cura immineat quae eiusdem Capituli nomine a Praeposito exerceatur; etenim si facta rite perpendantur evidenter patet, Canonicos nullum aliud ^habuisse munus praeter illud canendi missam conventualem horasque canonicas. Et re sane vera Hector Paladinus anno 1648 bona reliquit pro Sacerdotum Collegiata erigenda qui *quolibet die missam conventualem canerent atque horas canonicas;* Municipium vero anno 1693 ad eumdem effectum obligatione se obstrinxit annua ducata 200 contribuendi, quae obligatio a Regio Gubernio ea sub conditione approbata est ut Collegiata erigeretur « *servata forma disposUionis quondam Hectoris Paladini.* — Distinctius vero ipsa erectionis Bulla officia Praepositi et Canonicorum determinat, *unicam et curatam pro uno presbytero idoneo* dignitatem constituens... *qui curam animarum parochianorum dictae Ecclesiae S. Mauri exercere et in ea confessiones audire,, atque ecclesiastica sacramenta administrare, omniaque et singula onera parochialia subire debeat ac etiam teneatur ;* » Canonicos vero teneri « *singulis diebus in perpetuum debitis temporibus horas tam diurnas quam nocturnas divinaque officia psallere et recitare... absque eo quod... ullo unquam tempore etc. in exercitio curae animarum se ingerant.»* Quare omnes redditus qui antiquae paroeciae obveniebant Praeposito sunt devoluti, quin aliquod ius habeant in his Canonici, quibus aliis in bonis sunt constitutae praebendae. Concinit Bullae Pontificiae Decretum executoriale, concinunt et Statuta Capitularia in quibus solum de officiatura sermo est, quin mentio adsit ulla sive de animarum cura sive de Ecclesiae atque utensilium custodia: imo vetant Praeposito votum

dare in Capitulo dum agitur de his. quae ad interesse canonicorum tantum spectant; atque ubi in cadaverum exequiis absens sit Praepositus iubent antiquiorem canonicum functionem peragere *non iure proprio sed nomine Praepositi.* Haec satis aperte ostendunt Parochum et Capitulum constanter tamquam duo entia prorsus separata agnita fuisse, quorum utrique sua sunt demandata officia ac munera, quod etiam comprobant tum tabulae censuariae in quibus Capituli proprietas inscripta legitur seiuncti m ab illa Ecclesiae parochialis S. Mauri, tum bonorum administratio in vacatione Paroeciae a Dioecesana Deputatione suscepta, tum diversitas sigilli ac sacrarum supellectilium utrique pertinentium distinctio, quarum custodia separatim Parocho et Capitulo incumbit.

Neque aliquid ponderis inest argumento quod Canonici ex Bullae Pontificiae verbis eruunt, dum cumulative facultas fit Praeposito et Canonicis *mensae capitularis fabricae rerumque omnium et bonorum tam spiritualium quam temporalium prospero et felici gubernio regimine et administratione, onerumque praedictorum illi incumbentium reparatione et supportatane... et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, divisione— quaecumque Statuta Capitula ac Decreta edendi.* Etenim eadem Bulla specifice iam designaverat ac disiinxerat officia ac proventus Praepositi et Capituli, huic expresse vetans in officio atque emolumentis illius sese ingerere; quare praefata verba Bullae intelligenda sunt de muneribus propriis totius Capituli cuius Praepositus pars principalis et Caput est, non vero de Ecclesiae administratione, ac sacrarum supellectilium custodia quas acta S. Visitationis tamquam peculiarem proprietatem Ecclesiae agnoscunt, et pro quibus Canonici nihil umquam expenderunt.

Posito vero iure Praepositi circa proprietatem et administrationem oblationum, eo ipso Sacristarum delegatio inutilis prorsus evadit, imo contraria. Bullariis Litteris quae quamlibet immissionem vetant Canonicis in Parochi proventibus. Hinc repetenda ratio est quod numquam Sacristae extiterint, si unus excipiatur annus quo ut Parochi senectuti succurre-

retur, adoptatum fuit consilium at) Emo Ordinario confirmatum anno 1836 duos eidem Canonicos titulo Sacristarum insignitos adiungendi, sub eiusdem tamen dependentia, qui eo defuncto, ab officio amoti sunt. In praesens vero neque revocari possunt ex iure communi cum ius commune tales officiales exigat in Ecclesiis dumtaxat parochialibus Capitulis incorporatis: neque ex caeremoniali Benedicti XIV qui Sacristis attribuit officium, Ecclesiam sacrasque supellectiles in Cathedralibus et Collegiatis custodiendi vel in parochiis ab his dependentibus, nisi consuetudo vel Statuta aliter suadeant ut in casu accidit, neque vi Decreti episcopalis anni 1836 cuius vigore Sacristae sub dependentia erant Praepositi, neque tandem vi epistolae hodierni Archiepiscopi qua ipsi revocantur *in modo et forma quo fuerant* instituti anno 1836.

Caeterum hac innovatione posita non solum confunderentur duo entia moralia prorsus distincta, sed etiam Capituli abusibus ansa daretur, quod parochialibus functionibus se immiscuit.

Quapropter sententia Ordinarii quae sufficienter eorum attributiones non determinat sed aliquas tantum « inter praecipua onera » revocanda est, tamquam excedens ipsius iurisdictionem qui nequit destruere personalitatem distinctam, ac illam independentiam susdeque vertere quae per Apostolicas Litteras Praeposito adiudicata est, quamque et Capitularia Statuta, et longaeva 168 annorum consuetudo confirmarunt.

Cum ex parte Capituli nulla defensio fuisset exhibita propositum fuit resolvendum Dubium :

« An et quomodo confirmari debeat sententia Curiae Ar-
» chiepiscopalis N. diei 26 Ianuarii 1870 in casu. »

RESOLUTIO. S. Congregatio Epp. et Regular, die 3 Maii 1872 respondendum censuit:

« Affirmative iuxta modum. Modus est ut supprimatur
» officium sacristarum quoad ea omnia quae ad Ecclesiam et
» Parochiam pertinent. »

A tali decisione appellarunt Canonici, eorumque Procurator bifariam defensionem suam partitus est. In prima parte de oblationibus agit, in alia vero de Sacristis eorumque muneribus pertractat.

Ad 1[m] quod attinet praemittit defensor Capitula intentionem non eam esse ut sibi arroget oblationes atque eleemosynas missarum adventitiarum, verum ut partem habeat una simul cum Praeposito in earumdem tam administratione quam erogatione ad Ecclesiae utilitatem in qua colliguntur, ac in missarum distributione inter Sacerdotes facienda. Ad suam thesim probandam tria fundamenta disiicit, quibus innititur huius Sacrae Congregationis resolutio, argumenta scilicet ex iure Canonico petita, atque ex Apostolicarum Litterarum verbis iugique consuetudine deducta. Iamvero, inquit, certissimum esse, vi canonicarum Constitutionum, oblationes atque eleemosynas in Ecclesia parochiali collectas ad Parochum spectare: at inficiatur Ecclesiam S. Mauri parochialem posse censeri, postquam per Litteras Apostolicas fuit suppressa una simul cum suo titulo ac nomine, atque in Collegiatam conversa. Clara enim sunt verba Bullae *«perpetuo supprimas et extinguas ac ipsam parochialem Ecclesiam S. Mauri sic suppressam et extinctam in saecularem et insignem Collegiatam ecclesiam sub invocatione eiusdem S. Mauri convertas cum choro, Capitulo, mensa capitulari, arca, sigillo, communibus et omnibus aliis insigniis collegialibus.* » Hinc nullatenus remansit Paroecia cui adnexa fuerit Collegiata sed prorsus disparuit, cum compertum sit Ecclesias parochiales propriam naturam amittere, quoties in his Collegiata erigatur ceu tradunt Bouix *de Cap. Cap. 3. §. 3.* Card. Petra *Comm. in Const.* Innoc. IV. sect. 2. n. 35. Reclusius de *re parodi, tom. 1. n. 189.* Laur. *For. benefic. part. 3. q. 964. n. 4.*

Litterae vero Apostolicae per erectionem Praepositurae cum animarum cura, noluerunt profecto resuscitare paroecialem Ecclesiam eo ipso quo eam abolebant, sed dignitatem dumtaxat instituere Praepositurae, cuius possessori etiam qualitas Capitis Collegii inesset, atque adeo pars Capituli integralis existeret: « *qui omnes simul cum dicto Praeposito Capitulum dictae Ecclesiae constituant.* » Iamvero si Praepositus aliorum unionem praesupponit quibus praeficitur (Ferraris V. *Praepositus*), profecto omnis coexistentia duorum entium moralium excluditur, quae autonoma atque indepen-

dentia sitit. Quare ad universalitatem, id est ad integrum Capitulum quod unam cum Praeposito personam constituit, Rectoris qualitas competit, quae duplican prorsus nequit *Cap. cum non ignores 15 de praeb.* De Luca *disc. 9. v. 5 Ada. ad Concil. Trid. Discep. 33 n. 7 de parochis,* atque ideo tamquam pars omogenea, non vero tamquam personalitas distincta agnoscenda est. Ad rem Gonzalez *lib. 1 Decis. tit. 14 Cap. 1.* Wan Espen *Ius Eccl. p. 1 tit. 2 cap. 1.*

Insuper, contendit Defensor, Praepositum neque Parochum dici posse post suppressionem atque conversionem Ecclesiae in Collegiatam (Reclusius *de re paroch.);* cura enim habitualis penes Capitulum manet, quod Canonicum deputat, atque ut plurimum eiusdem Caput ad eam exercendam, uti communiter tradunt Doctores innixi dispositionibus Bullae « *Ad honorandum »* Benedicti XIV, ac prae caeteris Ferraris *cit. loc. n. 109* « ibi » *ex quo cura animarum est penes Collegium et exercetur per Praepositum.* De Luca disc. 60. de Benef. *curam habitualiter residere penes ipsum collegium in universum, cuius nomine illam exercet vicarius. »*

Neque obstat quod in Apostolicis Litteris Canonicis praescribatur propriis muneribus fungi, *absque eo quod ullo unquam tempore, quibusvis causa, praetextu, ingenio vel colore in exercitio curae animarum se ingerant,* haec enim prohibitio non excludit curam animarum habitualem Capitulo competere, sed *taxative* directa e>t ad impediendam Canonicorum ingerentiam in ministerii parochialis exercitio, quod plenum atque integrum Praeposito adiudicatum fuit, idque vi inductae disciplinae ad eliminandam promiscuitatem praefati exercitii; post *Decret, cum non ignores* Alexandri III Ita enim dum ex una parte fideles certum ac determinatum Parochum agnoscunt, perturbationes prohibentur quae in frequentibus mutationibus suboriuntur, ex quibus nata necessitas est actualem curam unico attribuenti subiecto, quod eo i; so Capituli vicarius evadit: Fagnanus *Lib. 1. D>c. cap. 6:* De Luca *Discept. 35. n. 12. De Iurisdict. Discept. 33. n. 12.* Hanc rationem confirmât Defensor observando, quod quemadmodum non est Rector Ecclesiae aliquis ex Canonicis singulariter,

ita eiusdem Rector non est Praepositus, sed integrum Capitulum: Corrai], *lib. 2. c. 2. de prax. benef,* «ibi » *cura tamen residet penes Capitulum quod verus Rector dumtaxat est.»* His subnectit alia extrinseca argumenta inter quae enumerat obligationem qua gravantur Capitularia membra fidei professionem emittendi, quae ad tramites Concilii Trid. Cap. 12. sess. 14. de reform, obligat animarum curam habentes: *const. Iniunctum nobis* Pii IV. *Inst. eccl. 60 n. 1.* Barbosa *de off. et potest. Episc. p. 3. alleg. 61. n. 15.;* nec non examen subeandum a loci presbyteris ad idoneitatem non solum in cantu gregoriano probandam, verum etiam in theologia morali, quae sane omnia pro beneficiis curatis exiguntur Wan Espen *Ius Eccl. Univ. p. 2. tit. 22. c. 3.* Quid quod? ex Collegiatae statutis cap. IV. in quo agitur de exequiis Defunctorum a veteriori canonico peragendis in Praepositi absentia, vel ab alio ad hoc deputato, clare deducitur Praepositum suo defungi munere non iure proprio, sed ut primam dignitatem quae integrum repraesentat Capitulum.

At dato etiam quod Praepositus curam animarum retineat tam habitualem quam actualem, ac eam iure proprio exerceat, num Praepositus superior e certamine abibit? Profecto non, inquit Defensor, etenim esset in hac etiam hypothesi Rector ipsius curae, non vero collegiatae, quae cum suppressione enata est, non vero cum paroeciae unione. Unitas ministri perturbationes arcet quae suborirentur admissa coexistentia duarum personarum in eadem Ecclesia independentium, quare principium in contrarium adductum relate ad oblationes tam intus quam extra Ecclesiam parochialem collectas, applicari nequit in casu in quo desit Ecclesia parochialis et Parochus, et solum extet Collegiata cum capitulo rectore. Hic defensor criterium determinat sui ratiocinii, scilicet quaestionem non esse circa oblationes quae Praeposito deferuntur propter sacramentorum administrationem ac parochialium functionum exercitium, verum circa eas quae in duobus diebus solemnibus S. Mauro dicatis colliguntur. Hoc posito, licet oblationes tales factae fuissent Ecclesiae Parochiali, impendendae tamen forent pro restauratione ac manutentione ipsius Ecclesiae tum in vim

obtinebitis consuetudinis, tum in vim praesumptae offerentium voluntatis. Hinc est quod Doctores unanimiter limitationem apponunt regulae generali quae militat favore Parochi. Audiatur prae caeteris Card. De Luca *disc. 19. Desini, n. 9.* m qua ita concludit « *verosimilem praeseferre voluntatem devotorurn ut pro fabrica, vel ornatu seu dote illius capellae vel Ecclesiae deserviunt^ ut regulariter pro communi iesu serius dicendum videtur, atque in praxi magis receptum est.»* Hoc vero graviori ratione admitti debet circa oblationes et eleemosynas quae in Collegiata colliguntur, quaeque cum offerantur a fidelibus etiam extraneis devotionis causa erga caelestem Patronum, impendendae prorsus videntur in manutention Capellae, cui debet providere Capitulum tamquam eiusdem Rector. Et sane cum in una Ecclesia aut Capella perpetuus atque inamovibilis Rector constitutus sit huic et non Parocho tale ius competit Pignatelli *tom. IV. consult. 83. n. 3.* S. Congreg, *in Caesenaten. 2. Aprilis 1861, et* S. Congreg. Concilii *in For olivi en. Iurium Parochialium 18 Nuv. 1865.* cui consonat Dubium XXVIII. Decreti *Urbis et orbis diei 10 Decemb. 1703.* Si igitur tale principium valet pro Ecclesiis iuris patronatus vel Confraternitatum, a fortiori valere debet pro Collegiatis. Cap. *ea noscitur P.-de his quae fiunt a Praelato* et Sacra Rota quae saepius definivit administrationem reddituum Ecclesiae communem esse Capitulo, non autem exclusive propriam eiusdem capitis *Decis. 16 et 183 p. 1. n. 1. rec.*

Transvolat post haec Defensor Capituli ad computandum argumentum ex Litteris Apostolicis petitum, quae officia Parochi et Canonicorum apte definierunt, ac utriusque partis emolumenta determinarunt. Huic respondet, quod officium Parochi non importat includere distinctam qualitatem Collegiatae Rectoris. Circa vero emolumenta alia eiusdem Bullae capita allegat, in quibus generalibus ac indeterminatis verbis emolumenta pro animarum cura gerenda statuuntur « *ex emolumentis certis et incertis exinde provenientibus, quam ex fructibus, reditibus, et proventibus praedictae Parochialis Ecclesiae;* » et relate ad emolumenta Canonicorum ita se

Bulla exprimit « *obventiones, census, et emolumenta universa quomodolibet qualificata et undecumque provenientia.* » Ex his patet quod in assignandis redditibus pro Parocho nulla fit mentio *oblationum* quae sane confundi nequeunt cum *obventionibus,* quas inter voces grave est discrimen. Oblatio enim generatim significat quidquid offeratur Ecclesiae quocumque modo fiat Reiffenst. *lib. 3. Decis. tit. 3.* obventio vero denotat industriales redditus: ita Vicat. Voc. iuris « *obventio generatim accessionem significat, quae vel eoo ipsa industria hominis proficiscitur, veluti mercedes pensionesque ex locutionibus praediorum urbanorum debitae, vecturae iumentorum etc.* Forcell. *v. obventio.* »

Perperam vero oggeritur ab adversa parte Pontificiam Bullam in elargiendis Parocho incertis uti clausula ampliativa « *etiam ratione exercitii curae animarum;* » quandoquidem si integer inspiciatur contextus in quo reperitur adverbium *etiam,* satis apparet, quod Bulla potiusquam ibidem alluderei ad duas incertorum classes, duplicem causam rationemque respexit cuius vi Praeposito assignabantur, eidem conferendo cumulativum ius eas percipiendi, non solum qua prima Capituli dignitas, verum etiam qua adimplens parochialia munera. Talis ampliatio non solum comprehendit incertos proventus Stolae, verum et illos quibus ipse independenter a cura et tamquam Collegiatae caput gaudet.

Post haec confutai defensor argumentum ex consuetudine 167 annorum petitum, ac sustinet, nonnullas ex adductis rationibus ad eam evincendam nullius ponderis esse, utpote quae a tabulis censuariis petitae, cum sit in iure compertum tabulas censuarías indicare et non probare; aliae vero suspicione non carent, cuiusmodi sunt testificationes Syndiei municipalis, cum ad Municipium ius patronatns competat Praepositurae, et cum difformes reperiantur ab aliis testificationibus iampridem emissis et praesertim anno 1863.

Tandem ad ***2***[m] defensionis partem digrediens Sacristarum officium eorumque officia examinat, animadvertens quod Capitulum utens facultate a Bulla erectionis sibi concessa. Statutum confecit, quod Archiepiscopalis Curia approbavit ad

nominationem Sacristarum cum muneribus in omnibus cohaerentibus ecclesiasticis legibus. Sententiam vero huius S. Congregationis, qua officium Sacristarum abolitum fuit quoad ea omnia quae ad Ecclesiam et paroeciam pertinent-, tamquam contrariam generalibus iuris dispositionibus in Cap. unico de officio Sacristae contentis, traducit, in quo capite habetur *« ut sciat se Sacrista subiectum Archidiacono, et ad eius curam pertinere custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum seu totius thesauri ecclesiastici.* » Quod idem confirmat Caeremoniale Episcoporum approbatum a Benedicto XIV. et Card. De Luca. Neque iuvat obiicere cons'itutionem Sacristarum temporaneam fuisse, ideo scilicet factam ut adiumentum Praeposito afferretur, quandoquidem illa provisio tamquam definitiva censeri debeat, utpote nullam limitationem temporis includens, atque in primis apta ad perturbationes removenda s.

His innixus petiit Defensor ut S. haec Congregatio a decisis recedat.

RESOLUTIO. - Proposito Dubio, an sit standum vel recedendum a Decisis in casu ; S. Congregatio Episcoporum et Regularium respondere censuit :

In Decisis et amplius.

EXINDE COLLIGES :

I. Administrationem oblationum atque eleemosynarum quae ad specificum finem non sunt destinatae, neque ad Episcopum neque ad Capitulum pertinere, sed ad Parochum intra cuius Paroeciae limites colliguntur.

IL Eleemosynarum vero ac oblationum quae quolibet in loco intra Paroeciae limites ad certum ac determinatum finem elargiuntur Parochum censeri legitimum Administratorem, ac tantum obligatione adstringi earum rationem reddendi Ordinario.

DECRETUM

**Lucionen. Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei Aloisii Mariae Baudouin Institutoris Congregationis Filiorum Mariae Immaculatae, et Societatis Ursilinarum a Jesu nuncupatarum, vulgo de Chavagnes.**

Quum Idibus Novembris anni 1873 Sanctissimus Dominus Noster Pius PAPA IX benigne induisent ut de fama sanctitatis Vitae, Virtutum, et Miraculorum in genere Ven. Servi Dei Aloisii Mariae Baudouin praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et Voto Consultorum, instante R. D. Gustavo Canonico Gallot, Cubi-» culario Honorario ejusdem Sanctissimi Domini Nostri et Causae Postulatore, Emus et Rmus D. Card. Joannes Baptista Pitra sequens Dubium discutiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis nimirum « *An constet de Validitate et Relevantia Processus Apostolica Auctoritate Lucionii constructi super fama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praedicti Ven. Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt « *Affirmative.* » Die 28 Novembris 1874.

Quibus per infrascriptum Secretarium fideliter relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPAE IX., Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 3 Decembris Anno eodem.

C. EPISCOPUS OSTIEM, ET VELITE'ÌN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEF.

Loco>^ Sigilli.

*D. Bartolini S. R. C. Secretarius.*

DECRETUM

**Bellieen Be itifl cation is et Canonizationis ven.Servi Dei Ioannis Ba ptistae Mariae Vianney parochi vici Ars dioeceseos bellieen.**

Instante R. D. Theo-doro Canonico Boscredon Cubiculario Honorario Sanctissimi Domini Nostri PII PAPAE IX et hujus Causae Postulatore Emus et Rmus D. Card. Joannes Baptista Pitra Causae Ponens sequens proposuit Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis « *An sententia per Iudices a Rmo D. Episcopo Bellicensi delegatos lata super Cultu praedicto Ven. Servo Dei non exhibito, seu super paritione Decretis sa: me: Urbani Papae VIII sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?*» Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi omnibus accurate perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati, Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt « *Affirmative* seu *sententiam esse confirmandam.* » Die 28 Novembris 1874.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPAE IX per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sna Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere ac confirmare dignata est. Die 3 Decembris anno eodem.

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEF.

Loco>$fSigilli

***D.** Bartolini S. R. C. Secretarius.*

**Emus D. Petrus Avanzini** *avi:* **gravissima afflictabatur infirmitate, retulit munus sex huius Ephemeridis fasciculos elucubrandi D. Zephyrino Zitelli Sacrae Theologiae atque 'U. J. D. qui sibi adiutore** To **suscepit R. D. Aloysium Veccia U. J. D.**

**Cum is suo fuerit oflicio functus, munus easdem Ephemerides prosequendi ei. Rectori Seminarii Apostolici Missionum, aliisque viris demandatum est, quorum nomina quamprimum publicabuntur.**

SANCTISSIMI DOMIM [VOSTRI

P I I

DIVINA PROVIDENTIA

P A P A E IX.

# ALLOCUTIO

**HABITA DIE XXI. DECEMBRIS MDCCCLXXIV.**

AD S. **R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS**

*—>&&>&5&4?*&&*—*

VENERABILES FRATRES

Conspici ente s Nos quo acerbitates et gravitatis tribulationes Ecclesiae Dei in dies progrediantur, eo adigi sentimus, ut lacrimis potius, quam verbis super tanta veritatis et iustitiae oppugnatione, super calamitatibus humanae societatis, super coecitate improborum uti debeamus. Impietas enim insano libertatis spiritu instincta et arcto coniuncta foedere late dominatur, quae consociatos habens consiliis suis schismaticos , haereticos et infideles, consociatam malitiae suae potestatem violentiam et dolos, ac spe et metu obnoxias sibi hominum mentes efficiens eo tendit, ut Catholica Religione, si id posset, eversa, vota expleat regni sui constituendi, regni scilicet ethnicae corruptionis , a qua Christus Dominus humanum genus eruit, et transtulit in Dei lumen et regnum. Sub hac inimicorum Dei conspiratione graviter omnino gemit Catholica Ecclesia; nec opus est, ut luctuosam eius conditionem in Germanico Imperi >, in Helvetia, in Americae centralis et meridionalis regionibus Vobis commemoremus, cum tot eius aerumnarum conscii sitis, et doloris etiam Nostri consortes. Verum acturi hodierna die cum Vobis de Patriarchae Antiocheni Syrorum confirmatione, facere non possumus, Venerabiles Fratres , quin intimo moeroris sensu deploremus acerbam eam persecutionem, qua in Turcico Imperio Catholici Armenii pre-

muntur. Ibi enim legitimo Armeniorum Ciliciae Patriarcha indigne expulso, eos ex ecclesiasticis et laicis publica potestas tamquam catholicos habere praesumit, qui Nostrae Auctoritati rebelles, et debitam obedientiam praedicto Patriarchae detrectantes, ovile Christi deseruerunt, et ab unitate catholica misere defecerunt. Iis publica protectio attributa est; veri autem Christifideles, qui pro avita religione servanda adversa quaeque magna virtute sustinent, Neoschismaticorum odiis et furori permittuntur, eorum bona et Ecclesiae militari manu, Neoschismaticis ducibus et actoribus , violenter pluribus in locis occupata fuere, ipsique in privatorum aedes ad sacra officia et mysteria convenire compulsi sunt. Nec eos defendunt illa ipsa huius saeculi placita, quorum vi dum conscientiae libertas proclamatur, liberum iis esse deberet suas habere ecclesias, suam profiteri fidem, suis adhaerere pastoribus, nec defendunt solemnes conventiones inter potentes principes initae, quibus, praeter cetera quae in illis acta fuere, catholicorum quoque in Othomanico Imperio degentium libertati, securitati, ac possessionibus plene consultum fuit. Ubi nunc datae fidei et acceptae sanctitas? Ubi eam tuendi et oppressos sublevandi studium in iis, qui vocem attollere et possent et deberent?

Haec mala recensentes, non possumus, Venerabiles Fratres, non intimo dolore cruciari, videntes ex una parte quantum bellum impii et infideles callida impietatis dissimulatione moverint contra Deum et contra Divinum opus, quod Ipse fundavit in terris, quod suo spiritu regit, quod eius promissa tuentur; ex altera autem parte non modo nullos tam nefariae coniurationi óbices opponi, sed etiam adiumenta ac incitamenta addi, nec cogitari quod Ecclesiae causa et iuribus oppressis, caetera humana iura et civilis societatis tranquillitas incolumis esse non possit.

At in tantae tempestatis fluctibus omnis fiducia Nostra , Venerabiles Fratres , firmiter in Deo perseveret. Causa enim quam tuemur, Dei causa est, et licet a Divino Magistro pressurae nobis in hoc mundo praenuntiatae fuerint, idem tamen in se sperantes non deserit, seque nobiscum usque ad con-

summafionem saeculi futurum esse promisit. Nonne enim divinae eius gratiae virtus fuit, quae usque ad hanc diem in tanto certamine, tum Venerabiles Fratres Episcopos, tum Sacerdotes et Fideles in Germania, in Helvetia, in Orientis regionibus , in Americae plagis ita sustentavit, ut admirabilia exempla constantiae, zeli, fidei, invictae patientiae et virtutis magna cum gloria religionis ediderint? Üeo itaque eminentissimo gratias habeamus, qui Ecclesiae suae in tantis tribulationibus suo praesidio adest et consulit; ad Ipsum deinde clamemus, tum fervidis precibus, tum sancta vitae disciplina, ut Nos et omnem populum suum in praelio confortare pergat, ut errantium mentes sua luce collustret et corda flectat, utque quemadmodum Redemptor Noster non in sua omnipotentia, sed in Nostra humilitate et infirmitate congressus fortem armatura vicit, ita Nos patientiae et iustitiae virtute adversas potestates vincamus. Si ita clamaverimus, dubitare non possumus, quin placatus nobis cito in sua benignitate respondeat: *salus tua ego sum.*

Nunc ut catholicae Orientalium Ecclesiae necessitatibus novi Syrorum Patriarchae Apostolica confirmatione consulamus, Vobis notum facimus, Venerabiles Fratres, quod e vivis erepto Ven. Fratre Ignatio Philippo Harcus , quem ab Episcopis Syris de more electum Nos ante octo annos Patriarcham confirmavimus et instituimus , Episcopi Syriaci ritus, alii per se, alii per procuratorem ad Ecclesiam S. Mariae Liberatricis, quae in Libano est, in Synodum convenientes, cui auctoritate Nostra praefuit Ven. Frater Dionysius Scelhot Syrorum Archiepiscopus Aleppensis, consuetis precibus praemissis, omnes uno animo per secreta suffragia praedictum Ven. Fratrem Dionysium Scelhot in Patriarcham Antiochenum Syrorum elegerunt, ac tum electus, tum electores de hac re ad Nos litteris datis Nos suppliciter obsecrarunt, ut Auctoritate Nostra Apostolica hanc electionem confirmare, electumque sacri Pallii honore decorare vellemus. Rebus hisce omnibus a Nostra Congregatione Fidei Propagandae praeposita diligenti et accurato examine perpensis, Nos eiusdem Congregationis consilium Ii-

bentissime excipientes, praedictum Ven. Fratrem Díonysíum Scelhot Patriarcham Antiochenum Syrorum renunciare, illique Pallium de Corpore B. Petri sumptum tribuere existimavimus, firma confisi spe, ipsum, Deo bene iuvante, Catholicae Syrorum Ecclesiae tam acerbo tempore, zelo Religionis et salutis animarum , ac pastoralis muneris partibus sancte implendis valido adiumento et praesidio futurum.

Quid Vobis videtur?

Auctoritate Omnipotentis Dei Sanctorumque Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra confirmamus et approbamus electionem seu postulationem a Venerabilibus Fratribus Episcopis Syriaci Htus"factam de Persona Ven Fratris Dionysii Scelhot Patriarchae, quem absolvimus a vinculo, quo Aleppensi Ecclesiae obstringitur, ac transferí mus a d Patriarchalem Ecclesiam Antiochenam Syrorum, eumque praeficimus in Patriarcham et Pastorem eiusdem Ecclesiae, prout in Decreto et Schedula Consistorialibus exprimetur, contrariis quibuscumque non obstantibus.

In Nomine Patris ^ et Filii >J< et Spiritus >J< Sancti. Amen.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

**P I I**

DIVINA PROVIDENTIA

# **P A P A E I X .**

EPISTOLA ENCYCLICA

**AD OMNES PATRIARCHAS PRIMATES ARCHIEPISCOPOS EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS GRATIAM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES ET AD CHRISTIFIDELES UNIVERSOS.**

**PIUS PP. IX.**

*Venerabiles Fratres et dilecti Filii*

*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Gravibus Ecclesiae et huius saeculi calamitatibus ac divini praesidii implorandi necessitate permoti, nunquam Nos Pontificatus Nostri tempore excitare praetérmisimus christianum populum, ut Dei Maiestatem placare et caelestem Clementiam sanctis vitae moribus, poenitentiae operibus, et piis supplicationum officiis promereri adniferetur. In hunc finem pluries spirituales Indulgentiarum thesauros Apostolica liberalitate Christifidelibus reseravimus, ut inde ad veram poenitentiam incensi et per reconciliationis sacramentum a peccatorum maculis expiati ad thronum gratiae fidentius accederent, ac digni fierent ut eorum preces benigne a Deo exciperentur. Hoc autem uti alias, sic praesertim occasione Sacrosancti Oecumenici Vaticani Concilii praestandum censuimus, ut gravissimum opus

ad Ecclesiae universae utilitatem institutum, totius pariter Ecclesiae precibus apud Deum adiuvaretur, ac suspensa licet ob temporum calamitates eiusdem Concilii celebratione, indulgentiam tamen in forma Iubilaei consequendam ea occasione promulgatam, in sua vi, firmitate, et vigore manere, uti manet adhuc, ad populi fidelis bonum ediximus et declaravimus. Verum procedente miserorum temporum cursu, adest iam annus septuagesimus quintus supra millesimum octingentesimum, annus nempe qui sacrum illud temporis spatium signat, quod sancta maiorum nostrorum consuetudo, et Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum instituta universalis Iubilaei solernnitaii celebrandae consecrarunt. Quanta Iubilaei annus, ubi tranquilla Ecclesiae tempora illum rite celebrari annuerunt, veneratione et religione sit cultus, vetera ac recentiora historiae monumenta testantur ; habitus enim, semper fuit uti annus salutaris expiationis totius christiani populi, uti annus redemptionis et gratiae, remissionis et indulgentiae quo ad hanc Almam Urbem Nostram et Petri Sedem ex toto orbe concurrebatur, et fidelibus universis ad pietatis officia excitatis cumulatissima quaeque reconciliationis et gratiae praesidia in animarum salutem offerebantur. Quam piam sanctamque solemnitatem hoc ipsum nostrum saeculum vidit, cum nempe Leone XII. fel. record. Praedecessore Nostro Iubilaeum anno 1825. indícente, tanto christiani populi fervore hoc beneficium exceptum fuit, ut idem Pontifex perpetuum in hanc Urbem peregrinorum per totum annum concursum adfuisse, et religionis, pietatis, fidei, caritatis, omniumque virtutum splendorem in ea mirifice eluxisse gratulari potuerit. Utinam ea nunc Nostra et civilium ac sacrarum rerum conditio esset, ut quam Iubilaei maximi solemnitatem anno huius saeculi 1850. occurrentem, propter luctuosam temporum rationem Nos omittere debuimus, nunc saltem feliciter celebrare

possemus iuxta veterem illum ritum et morem, quem Maiores nostri servare consueverunt! At, Deo sic permittente, non modo non sublatae sed auctae magis in dies sunt magnae illae difficultates, quae tunc temporis Nos ab indicendo Iubilaeo prohibuerunt. Verumtamen reputantes Nos animo tot mala quae Ecclesiam affligunt, tot conatus hostium eius ad Christi fidem ex animis revellendam, ad sanam doctrinam corrumpendam et impietatis virus propagandum conversos, tot scandala quae in Christo credentibus ubique obiiciuntur, corruptelam morum late manantem, ac turpem divinorum humanorumque iurium eversionem tam late diffusam tot fecundam ruinis, quae ad ipsum recti sensum in hominum animis labefactandum spectat; ac considerantes in tanta congerie malorum , maiori etiam Nobis pro Apostolico Nostro munere curae esse debere, ut fides, religio ac pietas muniatur ac vigeat, ut precum spiritus late foveatur et augeatur, ut lapsi ad cordis poenitentiam et, morum emendationem excitentur, ut peccata, quae iram Dei meruerunt, sanctis operibus redimantur, quos ad fructus maximi Iubilaei celebratio praecipue dirigitur; pati Nos non debere putavimus, ut hoc salutari beneficio, servata ea forma, quam temporum conditio sinit, christianus populus hac occasione destitueretur, ut inde confortatus spiritu in viis iustitiae in dies alacrior incedat, et expiatus culpis facilius ac uberius divinam propitiationem et veniam assequatur. Excipiat igitur universa Christi militans Ecclesia voces Nostras, quibus ad eius exaltationem, ad Christiani populi sanctificationem et ad Dei gloriam universale maximumque Iubilaeum integro anno 1875. proxime insequenti duraturum indicimus , annunciati!us et promulgamus ; cuius Iubilaei causa et intuitu superius memoratam Indulgentiam occasione Vaticani Concilii in forma Iubilaei concessam, ad beneplacitum Nostrum et huius Apostolicae Sedis suspendentes

ac suspensam declarantes, caelestem illum thesaurum latissime recludimus, quem ex Christi Domini eiusque Virginis Matris omniumque Sanctorum meritis, passionibus ac virtutibus comparatum, auctor salutis humanae dispensationi Nostrae concredidit.

Itaque Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, ex suprema ligandi atque solvendi, quam Nobis Dominus, licet i m meritis, contulit potestate, omnibus **et** singulis Christifidelibus, tum in alma Urbe Nostra degentibus, vel ad eam ad venientibus, tum extra Urbem praedictam in quacumque mundi parte existentibus, et in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus, vere poenitentibus et confessis et sacra Communione refectis, quorum primi BB. Petri et Pauli nec non S. Ioannis Lateranensis et S. Mariae Maioris de Urbe Basilicas semel saltem in die per quindecim continuos aut interpolatos dies sive naturales sive etiam ecclesiasticos, nimirum a primis Vesperis unius diei usque ad integrum ipsius subsequentis diei vespertinum crepusculum computandos, alteri autem Ecclesiam ipsam Cathedralem seu maiorem, aliasque tres eiusdem Civitatis aut loci sive in illius suburbiis existentes ab Ordinariis locorum vel eorum Vicariis aliisve de ipsorum mandato, postquam ad illorum notitiam hae Nostrae Litterae pervenerint, designandas, semel pariter in die per quindecim continuos aut interpolatos dies, ut supra, devote visitaverint, ibique pro Catholicae Ecclesiae et huius Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeresum, omniumque errantium conversione, pro totius populi Christiani pnce et unitate ac iuxta mentem Nostram pias ad Deum preces effuderint, ut plenissimam ;;nni Iubilaei omnium peccatorum suorum indulgentiam, remissionem **et** veniam, annuo Temporis spatio superius memorato semel consequantur, misericorditer in Domino concedimus **et**

impertimus, annuentes etiam, ut haec indulgentia animabus quae Deo in caritate coniunctae ex hac vita migraverint, per modum suffragii applicari possit ac valeat.

Navigantes vero et iter agentes, ut, ubi ad sua domicilia seu alio ad certam stationem se receperint, suprascriptis peractis et visitata totidem vicibus Ecclesia Cathedrali vel maiori, aut Parochiali loci eorum domicilii seu stationis huiusmodi, eamdem Indulgentiam consequi possint et valeant. Neo non praedictis locorum Ordinariis ut cum Monialibus oblatis aliisque puellis aut mulieribus sive in Monasteriorum clausura , sive in aliis religiosis aut piis domibus et communitatibus vitam ducentibus, Anachoretis quoque et Eremitis, ac aliis quibuscumque tam laicis, quam ecclesiasticis personis saecularibus, vel regularibus in carcere, aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis, quominus supra expressas visitationes exequi possint, super praescriptis huiusmodi visitationibus tantummodo ; cum pueris autem, qui nondum ad primam Communionem admissi sint, etiam super Communione huiusmodi dispensare, ac illis omnibus, et singulis sive per se ipsos, sive per eorum, earumque regulares Praelatos aut superiores, vel per prudentes Confessarios alia pietatis, charitatis aut religionis opera in locum visitationum huiusmodi seu respective in locum sacramentalis Communionis praedictae ab ipsis adimplenda praescribere ; atque etiam Capitulis et Congregationibus tam saecularium , quam regularium , sodalitatibus , confraternitatibus, universitatibus, seu collegiis quibuscumque Ecclesias huiusmodi processionaliter visitantibus, easdem visitationes ad minorem numerum pro suo prudenti arbitrio reducere possint ac valeant, earumdem tenore praesentium concedimus pariter et indulgemus.

Insuper iisdem Monialibus, earumque novitiis, ut sibi ad

hunc effectum Confessarium quemcumque ad excipiendas Monialium confessiones ab actuali Ordinario loci, in quo earum Monasteria sunt constituta, approbatum ; caeteris autem omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus tam laicis quam ecclesiasticis saecularibus, et cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti etiam specialiter nominandi regularibus licentiam concedimus et facultatem, ut sibi ad eumdem effectum eligere possint quemcumque Presbyterum Confessarium tam saecularem, quam cuiusvis etiam diversi Ordinis, et Instituti regularem ab actualibus pariter Ordinariis, in quorum civitatibus, dioecesibus, et territoriis confessiones huiusmodi excipiendae erunt, ad personarum saecularium confessiones audiendas approbatum, qui intra dictum anni spatium illas, et illos, qui scilicet praesens Iubilaeum consequi sincere et serio statuerint , atque ex hoc animo ipsum lucrandi, et reliqua opera ad id lucrandum necessaria adimplendi ad confessionem apud ipsos peragendam accedant, hac vice, et in foro conscientiae dumtaxat ab excommunicationis, suspensionis, et aliis ecclesiasticis sententiis, et censuris a iure vel ab homine quavis de causa latis seu inflictis, etiam Ordinariis locorum et Nobis seu Sedi Apostolicae, etiam in casibus cuicumque, ac Summo Pontifici, et Sedi Apostolicae speciali licet forma reservatis, et qui alias in concessione quantumvis ampla non intelligerentur concessi, nec non ab omnibus peccatis, et excessibus quantumcumque gravibus et enormibus, etiam iisdem Ordinariis, ac Nobis et Sedi Apostolicae, ut praefertur, reservatis, iniuncta ipsis poenitentia salutari, aliisque de iure iniungendis absolvere ; nec non vota quaecumque etiam iurata ac Sedi Apostolicae reservata (castitatis, religionis, et obligationis, quae a tertio acceptata fuerint, seu in quibus agatur de praeiudicio tertii semper exceptis/ nec non poenalibus, quae praeservativa a peccato nuncupantur, nisi commutatio futura, iudi-

cetur eiusmodi, ut non minus a peccato committendo refVaenet, quam prior voti materia) in alia pia et salutaria opera commutare, et cum poenitentibus huiusmodi in sacris Ordinibus constitutis etiam regularibus super occulta irregularitate ad exercitium eorumdem Ordinum, et ad superiorum assecutionem ob censurarum violationem dumtaxat contracta dispensare possint et valeant, eadem auctoritate, et Apostolicae benignitatis amplitudine concedimus et indulgemus.

Non intendimus autem per praesentes super aliqua alia irregularitate vel publica vel occulta, seu defectu aut nota, aliave incapacitate, aut inhabilitate quoquomodo contractis dispensare, vel aliquam facultatem tribuere super praemissis dispensandi, seu habilitandi, et in pristinum statum restituendi etiam in foro conscientiae ; neque etiam derogare Constitutioni cum opportunis declarationibus editae a fel. record. Benedicto XIV. Praedecessore Nostro incipien. *Sacramentum poenitentiae* sub datum kalendis Iunii anno Incarnationis Dominicae 1741. Pontificatus sui anno primo. Neque demum easdem praesentes iis qui a Nobis et Apostolica Sede, vel ab aliquo Praelato, seu Iudice ecclesiastico nominatim excommunicati, suspensi, interdicti, seu alias in sententias et censuras incidisse declarati, vel publice denunciati fuerint, nisi intra tempus anni praedicti satisfecerint, et cum partibus, ubi opus fuerit, concordaverint, ullo modo suffragari posse, aut debere.

Caeterum si qui post inchoatum huius Iubilaei consequendi animo praescriptorum operum implementum morte praeventi praefinitum visitationum numerum complere nequiverint, Nos piae promptaeque illorum voluntati benigne favere cupientes, eosdem vere poenitentes, et confessos, ac sacra Communione refectos praedictae Indulgentiae et remissionis participes perinde fieri volumus, ac si praedictas Ecclesias die-

bus praescriptis reipsa visitassent. Si qui autem post obtentas vigore praesentium absolutiones a censuris, aut votorum commutationes, seu dispensationes praedictas, serium illud ac sincerum ad id alias requisitum propositum eiusdem Iubilaei lucrandi, ac proinde reliqua ad id lucrandum necessaria opera adimplendi mutaverint, licet propter id ipsum a peccati reatu immunes censeri vix possint; nihilominus huiusmodi absolutiones, commutationes, et dispensationes ab ipsis cum praedicta dispositione obtentas in suo vigore persistere decernimus ac declaramus.

Praesentes quoque litteras per omnia validas et efficaces existere suosque plenarios effectus ubicumque per locorum Ordinarios publicatae et exequutioni demandatae fuerint, sortiri et obtinere, omnibusque Christifidelibus in Apostolicae Sedis gratia et obedientia manentibus in huiusmodi locis commorantibus, sive ad illa postmodum ex navigatione et itinere se recipientibus plenissime suffragari volumus, atque decernimus: non obstantibus de Indulgentiis non concedendis ad instar, aliisque Apostolicis, et in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis constitutionibus, ordinationibus, et generalibus seu specialibus absolutionem, seu relaxationum, ac dispensationum reservationibus, nec non quorumcumque etiam Mendicantium , et Militarium ordinum, congregationum, et institutorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, legibus, usibus, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, "et literis Apostolicis eisdem concessis, praesertim in quibus caveatur expresse, quod alicuius ordinis, congregationis, et instituti huiusmodi professores extra propriam religionem peccata sua confiteri prohibeantur Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua n ont io facienda,

vel alia exquisita forma ad id servanda foret, huiusmodi tenores pro insertis, et formas pro exactissime servatis habentes pro hac vice, et ad praemissorum effectum dumtaxat plenissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Dum vero pro Apostolico munere quo fungimur, et pr\> ea sollicitudine qua universum Christi gregem complecti debemus , salutarem hanc remissionis et gratiae consequendae opportunitatem proponimus, facere non possumus, quin omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, aliosve Ordinarios locorum , Praelatos sive ordinariam localem iurisdictionem in defectu Episcoporum et Praelatorum huiusmodi legitime exercentes , gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentes, per nomen Domini Nostri et omnium Pastorum Principis Iesu Christi enixe rogemus et obsecren ius, ut populis fidei suae commissis tantum bonum annuncient, summoque studio agant, ut fideles omnes per poenitentiam Deo reconciliati Iubilaei gratiam in animarum suarum lucrum utilitatemque convertant. Itaque Vestrae imprimis curae erit, Venerabiles Fratres, ut implorata primum publicis precibus Divina Clementia ad hoc ut omnium mentes et corda sua luce et gratia perfundat, opportunis instructionibus et admonitionibus Christiana plebs ad percipiendum Iubilaei fructum dirigatur, atque accurate intelligat quae sit christiani Iubilaei ad animarum utilitatem ac lucrum vis et natura , in quo spirituali ratione ea bona per Christi Domini virtutem cumulatissime complentur , quae anno quolibet quinquagesimo apud Iudaicum Populum lex vetus nuncia futurorum invexerat ; utque simul apte edoceatur de indulgentiarum vi, ac de iis omnibus, quae ad fructuosam peccatorum confessionem et ad Sacramentum Eucharistiae sancte percipiendum peragere debeat. Quoniam vero nedum exemplum, sed ministerii ecclesiastici opera omnino requiritur, ut in populo Dei optati sanctificationis fructu b-

beantur, vestrorum Sacerdotum zelum, VV. Fratres, ad ministerium salutis hoc potissimum tempore alacriter exercendum infiammare non omittite : atque ad commune bonum, ubi hoc fieri possit, plurimum conferet, si ipsi pietatis et religionis exemplo christiano populo praeeuntes, spiritualium exercitationum ope suae sanctae vocationis spiritum renovent, ut deinde utilius ac salutarius in suis muneribus explendis, et in sacris Missionibus apud populum habendis , statuto a Vobis ordine et ratione versentur. Cum porro tot sint hoc saeculo mala quae reparentur, et bona quae promoveantur, assumentes gladium spiritus, quod est verbum Dei, omnem curam intendite, ut populus vester ad detestandum immane crimen blasphemiae adducatur, quo nihil est tam sanctum, quod hoc tempore non violetur, utque de diebus festis sancte colendis, de ieiunii et abstinentiae legibus ex Ecclesiae Dei praescripto servandis sua officia cognoscat et impleat, atque ita vitare possit poenas, quas harum rerum contemptus evocavit in terras. In tuenda Cleri disciplina, in recta Clericorum institutione curanda vestrum pariter studium ac zelus constanter advigilet, omnique qua potestis ratione auxilium circumventae iuventuti afferte, quae in quanto discrimine sit posita, et quam gravi ruinae obnoxia, a Vobis non ignoratur. Hoc mali genus ita acerbum fuit Divini Ipsius Redemptoris cordi, ut in eius auctores ea verba protulerit « *quisquis scandalizaverit unum ex liis pusillis credentibus in me, bonum est ei magis si circumdaretur mola asinaria in collo eius et in mare mitteretur* » (1). Nihil autem magis dignum est sacri Iubilaei tempore, quam ut omnigenae caritatis opera impensius exerceantur : ac propterea vestri etiam zeli erit, Venerabiles Fratres, stimulos addere , ut subveniatur pauperi, ut peccata eleemosynis redimantur, quarum tam multa bona in scripturis sacris

il) **Marcus** 9. 41.

recensentur: et quo latius caritatis fructus manet ac stabilior evadat, opportunum admodum erit ut caritatis subsidia ad fovenda vel excitanda pia illa instituta conferantur, quae utilitati animarum et corporum plurimum conducere hoc tempore existimantur. Si ad haec bona assequenda omnium vestrum mentes et studia consenserint, fieri non potest, quin Regnum Christi et iustitia eius magna incrementa suscipiat, et hoc tempore acceptabili, his diebus salutis magnam supernorum munerum copiam super filios dilectionis clementia caelestis effundat.

Ad Vos denique Catholicae Ecclesiae Filii universi sermonem Nostrum convertimus, omnesque et singulos paterno affectu cohortamur, ut hac Iubilaei veniae assequendae occasione ita utamini, quemadmodum sincerum salutis vestrae studium a vobis exposcit. Si unquam alias nunc certe pernecessarium est. Filii dilectissimi, conscientiam emundare ab operibus mortuis, sacrificare sacrificia iustitiae, facere fructus dignos poenitentiae, et seminare in lacrimis ut cum exultatione metamus. Satis innuit divina Maiestas quid a nobis postulet, cum iamdiu ob pravitatem nostram sub increpatione eius, sub inspiratione spiritus irae suae laborem us. Iamvero *solent homines quotiescumque necessitatem arduam nimis patiuntur, ad proximas gentes auxilii causa destinare legatos. Nos quod est melius legationem ad Deum destinemus;* ab Ipso imploremus auxilia, ad Ipsum nos corde, orationibus, ieiuniis et eleemosynis conferamus. Nam *quanto Deo viciniores fuerimus, tanto adversarii nostri a nobis longius repetuntur* (1). Sed vos praecipue audite Apostolicam vocem, pro Christo enim legatione fungimur, vos qui laboratis et onerati estis, et a semita salutis errantes sub iugo pravarum cupiditatum et diabolicae servitutis urgemini. Ne vos divitias

(1) S. Maximus Taurinen. Horn. XCI.

bonit dis, patientiae et longanimitatis Dei contemnatis; et dum tam ampla, tam facilis veniae consequendae copia paratur vobis, nolite contumacia ves f ra inexcusabiles vos facere apud Divinum Iudicem, et thesaurizare vobis iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei. Redite itaque praevaricatores ad cor, reconciliamini Deo; mundus transit-et concupiscentia eius; abiicite opera tenebrarum, induimini arma lucis, desinite hostes esse animae vestrae, ut ei tandem pacem in hoc saeculo, et in altero aeterna iustorum praemia concilietis. Haec sunt vota Nostra: haec a Clementissimo Domino postulare non cessabimusp"atque omnibus Catholicae Ecclesiae Filiis, hac precum societate Nobiscum coniunctis, haec ipsa bona a Patre Misericordiarum No? cumulate assecuturos esse confidimus. Ad faustum interea et salutarem huius sancti Operis fructum sit auspex omnium gratiarum omniumque caelestium munerum Apostolica Benedictio, quam vobis omnibus, Venerabiles Fratres, et vobis, dilecti Filii, quotquot in Catholica Ecclesia censemini, ex intimo corde depromptam peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die vicesimaquarta Decembris Anno MDCCCLXXIV. Pontificatus Nosti i \nno vicesimonono.

PIUS PP. IX.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILÍÍ TRIDENTINI

## DIVISIONIS REDDITUUM PAROCHIALIUM

*Die 20 **Decembris 1873.***

c»mg»eiii<!«ifii»s facti. In paroeciali Ecclesia SS. Stephani et Andreae civitatis V. Dioecesis S. videbat consuetudo, ut si Parochus resigriaret beneficium, vel moreretur antequam fructus a solo separarentur, isti percipiebantur ab eius successore, quin aliquid vel ad praedecessorem, vel ad eius haeredes perveniret; si autem Parochus beneficium resonaret vel decederet fructibus iam recollectis, tunc fructus cedebant praedecessore et haeredibus, novusque Rector nihil lucrabatur.

Huiusmodi consuetudinem veluti iuri naturali repugnantem detulit ad Summum Pontificem actualis Parochus, exorans ut deinceps redditus Paroeciae distribuerentur pro rata servitii.

Acceptis precibus, die 22 Novembris 1872 expostulatio fuit Episcopus pro informatione et voto; qui Parocho favit, ratus ut fructus dividendi essent pro rata servitii, fixato anno beneficiario a die 1 Iulii ad diem 30 Iunii cuiuslibet anni.

Omnibus expletis, causa proposita atque disceptata fuit coram S. Congregatione Concilii sub duplici aspectu; scilicet super consuetudine vigente in illa Paroecia, et super modo dividendi fructus, quatenus consuetudo praedicta tollenda videretur.

fBÁS««piati» **gytìoptica.** Pro consuetudine haec observata sunt.

Ea sustineri posse videtur. Ad quamlibet enim consuetudinem sustinendam Benedictus XIV de Synod, dioeces lib. 12. cap. 8. n. 8. duo requiri affirmat; 1. nempe ut sit rationabilis; 2. ut sit legitime praescripta ; utraque vero conditic in nostra consuetudine reperiri videtur : adest enim prima, cuín ipsa neque naturali neque divino iuri opponatur; eteniu

per eam neque hominibus, neque Deo, neque religioni iniuria infertur, atque de cetero consentientibus interesse habentibus sit inducta; nullum insuper scandalum aut peccandi occasionem praebet, cum ea consuetudo sorti prorsus aut voluntati hominum liberae commissa sit, secundum quod amissio Paroeciae contingat per mortem vel resignationem, in quibus nulla peccati species esse potest. Quod,vero sit legitime praescripta ex eo patet, quod iuxta Sacrorum Canonum tractatores, ad consuetudinem legitime praescribendam requiritur decennium, et ad summum spatium quadraginta annorum. *Reinfestuel lib. 1. Decretal, tit. 4. ele consuetud, n. 102.* (1) At consuetudinem nostram Episcopus ipse vocat *antiquam,* imo *immemor abilem,* qua de causa legitime praescripta dicenda est.

*At pro e medio tollenda eiusmodi consuetudine* animadversum est, eam iustitiae et aequitati maxime repugnare ; nil enim praebet beneficiario qui per aliquod temporis in vinea Domini adlaboravit, ei ante fructuum maturationem et collectionem vel obiit, vel beneficium resignavit (2); *dignus*

(1) Spatium 40 annorum sufficit ad praescribendam quoque consuetudinem nedum contra legem inductam (non tamen contra ius naturale et divinum) sed quam princeps lato edicto proscripserit; attamen cum titulo, saltem colorato: sine autem titulo requiritur tuurpns immémoriale, id est de quo non extat memoria. Cf. Synopsim Puhingianam lib. 1 Tit. IV. De consuetudine, g. 6. pag, 43.

(2) Hoc autem per se, et speculative loquendo: in praxi enim quisque iuri suo renunciare potest; ut de facto renunciarunt omnes Parochi antecessores, quin vel iustitiam vel aequitatem laesisse dicendi sint. Hi enim Parochi in Paroeciae possessionem immittebantur stante ea consuetudine, quam apprime noverant, quamque ipsi abrogare non pottrant. Consuetudo insuper illa erat quidam ludus aleatorius: lucrum, sive velim sive nolim, aut mihi contingit, aut illi. Hoc autem in praxi: per se c:iim et speculative loquendo consuetudo illa poterat esse iniusta et ex alio capite; poterat scilicet contingere ut quis post fructuum maturationem et collectionem ingressus Paroeciam omnes expensas et onera sustinere debuerit tum ad colendos agros, tum domos et Ecclesiam rèstaurandas etc. nihil prorsus percipiendo eo anno; et postea ut moreretur ante fructuum maturationem et collectionem; et novus Parochus qui nec obolum erogavit omnia sua iaceret; quod iniquissimum esset. De cetero, non desunt Doctores qui pro illa consuetudine pugnent, ut etiam in causae decursu observatum est: iuri igitur naturali repugnare dicenda non est sed potius quod consuetudo dividendi fructus pro rata servitii iuri natuiali sit conformior.

*est autem operarius mercede sua; omnis labor exoptat praemium.* At haec iuris naturalis principia plane per illam consuetudinem evertuntur; hinc corruptela potius quam consuetudo vocanda est : maximam peccandi occasionem insuper praebere videtur, quomodo enim in pace haeredes Parochi defuncti ferrent amissionem tot laborum, tantarumque impensarum ? nonne hinc discordiae et lites atque blasphemiae ? Huic igitur consuetudini lex aptari potest *2* Cod. quae sit longa consuet. *Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est, verum non usque adeo sui valitura momento ut aut rationem vincat aut legem.* Consuetudo vero praedicta tum rationem tum legem vincere demonstratur; omnino igitur abroganda.

At vero si eiusmodi consuetudo est e medio tollenda, quomodo deinceps erunt fructus dividendi ?

Ne in hac perdifficili quaestione error incurratur animadvertendum est, fructus quadrupliciter posse spectari, *civiles, naturales, industriales, mixtos. Ad fructuum civilium,* speciem referuntur pensiones domorum, salaria, pretia rehum elocatarum, quae non proprie fructus sunt, sed ad similitudinem fructuum in iure civili constituta sunt.

Fructus *naturales* ii dicuntur, quos res ipsi ex natura, sua sponte producit, nullo, seu vix nullo humano labore, ut sunt foetus animalium, herbae pratorum etc. *Industriales,* quos sola humana industria profert, et nullo modo natura rei ex se producit, quamvis concurrat uti instrumentum hominis industrii operantis, vel negotia exercentis; *mixti* sunt illi ad quos producendos concurrunt tum natura rei, tum industria hominis, uti sunt segetes, oleum, caseus. Relate ad fructus civiles ea relata sunt quae docet Card. de Luca disc. 84. N. 4. de Benefíc, quo loco inquit: « Cum isti fructus ei.-i-
» les iuris ministerio maturare ac percipi dicantur singulis
» diebus, quin imo horis et momentis, hinc proinde inter
» praedecessorem et successorem, non curato actu exactionis.
» intrat divisio in regulis arithmeticis pro rata temporis ad
» instar eorum, quae iure disposita sunt, ac firmantur circa
? divisionem faciendam inter virum et uxorem, vel respe-

» ctive haeredes in ultimo anno soluti, vel separati ma-
» trirnonii. »

Optime vero observatum est, haec locum habere in vacatione beneficii per mortem, vel per necessariam resignationem ; nam in resignatione simplici et voluntaria beneficii resignans beneficium fructus condonasse praesumitur, nisi reservatio praecesserit.

Fructus naturales simpliciter, et industriales seu mixti, vel sunt a solo separati vel pendentes; si sunt a solo separati, licet nondum in horreum congregati, disputant Doctores ad quem pertineant; alii enim tenent, eos spectare ad haeredes beneficiarii, alii autem ad successorem beneficii *Cf. Thomam de Rosa cap. 7.* de recta distributione reddituum Ecclesiasticorum *n. 36. et seq. ubi utriusque sententiae rationes accurate expendit, atque Doctores allegat pro alterutra disputantes.*

Fructus vero pendentes vel in utilitatem Ecclesiae expendi debere, vel futuro successori asservari tradunt doctores, quia fructus pendentes pars fundi esse videntur, unde donec fuerint collecti, seu a solo separati una cum fundo spectant ad Ecclesiam, vel ad successorem in beneficio ipsos colligentem. Leg. *Si ususfructuarius §. quibus modis ususfructus amitt.* et §. *is vero* Instit. *de rerum divisione,* ubi sic legitur: « is vero ad quem ususfructus fundi pertinet, non ali—
» ter dominus fructuum efficitur, quam si ipse eos perceperit.
» Et ideo si maturis fructibus, nondum tamen perceptis de-
» cesserit, ad haeredes eius non pertinent. Sed domino pro-
» prietatis acquiruntur. »

Quibus accedit Constitutio Iulii III. incipiens: *Cum sicut* confirmata, per Urbanum VIII. in sua Constit. *Aeternus rerum conditor,* in qua expresse statuitur, quod fructus beneficiorum tempore obitus Beneficiati nondum percepti spectant ad successores in beneficiis, ubi non debent Rev. Camerae Apostolicae persolvi (1).

**(1) Ex disputatis circa fructus a solo separatos sed nondum in horreo congr. gatos, sequebatur, per se saltem dubiuin esse ad quem spectarent, an ad *i U ) \ u* Puj'"(liuui an ad defunctum; qua de causa consuetudo introducta ex omni parte iuri non «obversabatur,**

**Circa fructus pendentes nihil per illam consuetudinem inmiutabatur.**

Quidquid tamen de supradictis sit opinionibus, alia sen¿entia magis Doctoribus placuit, qua statuitur, fructus omnes esse dividendos pro rata servitii praestiti et onerum supportatorum. Beneficii enim fructus sunt quota ab Ecclesia singulis annis Beneficiato assignat;.! pro eius congrua sustentatione et pro supportandis oneribus; quare iuxta proportionem tum servitii praestiti, tum onerum, quae quis supportavit, iure distribuuntur aequiori.

Ad rem Pellegrini Consil. 85. Vol. 4. « Beneficium ec» clesiasticum in effectu nihil aliud est nisi militia quaedam » coelestis in servitio Dei ad ministerium; qua ratione, quia » qui altari servit de altare vivere debet, et ad hoc destinati » sunt fructus beneficiorum ad textum expressum in Cap. vi» dentes 12. q. 1., concludunt Doctores, quod fructus be» neficii, etiamsi in totum collecti fuissent a Rectore mortuo, » f)uta in mense Octobris, debeant pro rata dividi cum bene» ficiario, ut et ipse ex fructibus illis commode vivere possit, » inspectis reditibus beneficii usque ad novum recollectum; *quo» niam ut dixi*, fructus beneficii debentur pro servitio perso» nali, et pro congruis alimentis personae servientes, et in id » sunt deputati; ut eleganter declaravit Albericus in leg. *Di» vortio* ff. solut. matrim, sub n. 12. arguendo, et recte, a » fructibus dotalibus bonorum ad fructus beneficiorum, nam » et illi deserviunt pro alimentis uxoris ad L. *Pro oneribus* » C. de Iur. Dot. et 1. *assiduis* C. *qui potiores* etc. Secuti » sunt Didacus Oovarruvias lib. 1. cap. 15. sub n. 12. Vi» rius Décision. 8. n. 12. Ludovicus Molina *de maiorat.* » *Hispan*, lib. 3. cap. 9. num. 4. *Gabriel* Consil. 191. » num. 6. litt. N. Et est aequissima distinctio, immo neces» saria; secundum quam manifeste liquet, beneficiarium mor» tuum , non facere fuctus illius anni suos omnes ad com» modum suorum haeredum, sed tantum pro rata temporis, quo » inservivit post novos fructus, *cumque resolutione noviter* » *transivit Ioannes de Castillo in* Tractat, de usufr. cap. 77. » num. 29. post Fabrum et Barbosam.

> Neque dici potest huic sententiae deesse fundamentum » SS. Canonum. Audi sane Clericatum **Tom.** 1. *Discord,*

*y F or ens.* discept. 37. num. 6. ibi. Dispositio SS. Oano-
» num est manifesta in C. Videntes 12 q. 1. ubi dicitur bona
» a fidelibus esse tradita Ecclesiis, ut earum ministri ex sum-
» ptibus eorumdem bonorum possint vivere. *Idem repetitum est*
» *in* Cap. Ex his *ead.* caus. 12. q. L subdens textus ibidem.
» Lex Dei praecipit, ut qui altari deserviunt pascantur de ipso.
» Inter Decretales autem habetur dispositio Bonifacii VIII. in
» Cap. ult. §. Porro de Off. Ordin, ubi ita decernit. Porro
» ubi ex privilegio, vel consuetudine seu alia de causa ratio-
» nabili sibi aliquis praedictorum asserit bona competere supra-
» dicta; hoc de illis bonis solum debet intelligi, quae solutis
» debitis, si ema sint, et his quae fuerint necessaria pro ser-
» vitoribus et ministris ac incumbentibus oneribus usque ad
» novos reditus supportandis congrue reservatis, ex ipsis reperta
» fuerint superesse.

» Per quem canonem clare innuitur, quod ubi fructus
» beneficii dicuntur spectare ad haeredes beneficiarii defuncti,
» a quo fuerunt collecti, .. ipsimet haeredes tenentur resti-
» fuere beneficiario successori congruam eorumdem fructuum
» portionem, quae sufficiat usque ad novos reditus pro ho-
» nesta sustentatione successoris, ut inter ceteros bene decla-
» rant Geminianus et Francus in Comment, d, § *Porro.*

» Et hoc idem iterum est statutum in Extravag- *suscepti*
» *regiminis 2. de Eieci, et Gier, potest.,* in qua summus
» Pontifex Ioannes XXII referens abusum diversarum Eccle-
» si arum, in quibus omnes fructus ben ficiorum vacantium
> applicabantur vel fabricae vel haeredibus defuncti, ita ut
» successor in beneficio non haberet aliquid pro sui susten-
» tatione, et sic cogebatur deserere pro eo anno servitium
» Ecclesiae, mandat, ut de cetero certa tantum summa detur
» vel fabricae vel defuncti haeredibus reliqui vero fructus
» spectent ad successorem in beneficio ; et ita decrevit esse
» servandum, non obstantibus quibuscumque privilegiis vel in-
» dulgentiis, aut contrariis consuetudinibus et statutis, iura-
» mento, confirmatione Sedis Apostolicae, aut aliqua quacum-
» que firmitate vallatis ; quae omnia quoad hoc auctoritate
» Apostolica revocat, et nullius deinceps voluit esse firmita-

» fis. Igitur per hanc extravagantem deciditur in puncto prae-
» sens casus, cum in ea habeamus expressam determinatio-
» nem summi Pontificis, quod fructus ultimi anni saltem pro
» medietate dentur successori in beneficio, ad hoc ut possit
» residentiam facere, divinis interesse officiis, atque Ecclesiae
> deservire. »

Confirmat vero hanc regulam Barbato de divis. fruct. Part. 2. Cap. 8. dicens: « Fructus sunt pro rata temporis
» dividendi inter haeredes beneficiati defuncti et successores,
» et hoc sive de pendentibus fructibus agatur ac extantibus,
» sive etiam de perceptis ad instar fructuum rei dotalis, qui
» pro rata temporis partiuntur inter maritum et uxorem aut
» eorum haeredes. Adde ecclesiasticos fructus fuisse destinatos
» ad hoc, ut ex illis sustineantur onera per annum integrum,
» donec novi habeantur; rationabile proinde sit, ut pro rata
» temporis servitii dividantur, attenta aequitate.»

Neque a citatis Doctoribus dissentit Cardinalis de Luca, qui discept. KK) nu.ner. 40. postquam dixerit, fructus dotales dividendos esse pro rata temporis inter virum et mulierem, vel utriusque haeredes, « nulla facta distinctione natu-
» ralium et industrialium vel civilium, quia cum ei debeantur
» fructus in compensationem onerum matrimonialium, quae
» supportavit; idcirco singulis diebus et horis quibus onera
» supportavit, omnes fructus cuiuscumque sint qualitatis lu-
» oratur; *de bonis ecclesiasticis subdit:* Ex qua ratione idem
» contra regulas generales statuitur in beneficiis curatis, vel
» aliis personale servitium requirentibus respectu eorum fru-
» ctuum, qui in praemium seu compensationem oneris et ser-
» vitii praestantur licet in locis, in quibus intrat spolium ad
» favorem Camerae haec non de facili attendantur. » Et revera beneficiarius successor nonne et ipse beneficii onera suffert, inter quae, iuxta mentem Ecclesiae, recensetur honesta sustentatio Rectoris V Nonne beneficiarius successor et pensiones, si adsint solvendae, et taxas gubernio, et expensas omnes persolvit ? Quare igitur non est inter haeredes beneficiarii defuncti et ipsum aequa fructuum partitio facienda *ì*

Ad rem scribit Panimolle decis. 20. Annot. 1. num. 42.

« Si Clericus moritur perceptis,-reconditis ac commixtis ònni-
» bus beneficii fructibus, adeo ut successor non inveniat fru-
» ctus, cum quibus se sustentare valeat, tenetur praedecessor
» seu eius haeres subministrare omnes expensas pro incum-
*» bentibus oneribus et alimentare successorem usque ad novos
» reditus, utpote quia in beneficiis reditus unius anni desti-
» nati sunt pro dictis oneribus usque ad novos reditus sequen-
» ti s anni. »

Hos omnes vero sequitur Castillo *de usuris cap. 77. n. 29.* qui diversas auctorum circa hanc quaestionem sententias exponens, dicit: « aequius et iure verius existimant, fructus eius
» anni, quo beneficiarius moitem obierit, indistincte pro rata
» temporis ad defuncti haeredes pertinere. »

Exponens autem rationes fundamentales huius suae opinionis, eamque a contrariis oppositionibus defendens concludit: « Cum fructus agrorum et praediorum ipsius Ecclesiastici
» beneficii, eiusque reditus constituti ac designati sint a Ca-
» nonibus pro sustentatione Clerici beneficium habentis, ac
» eidem integri dentur ob ministerium quod Ecclesiae exhibet
» in eius regimine, . . . aequum non est, ut aliunde aut non
» habita ratione praedictorum solutio fiat modo praedicto, nec
» integre pro rata temporis fructus praebeantur ei qui bene-
» ficio inservivit, prouti fieri debere ratio ipsa servitiorum,
» atque beneficiorum institutio et totum postulat. Quapropter
» superiorem opinionem, ut fructus pro rata dividantur, omni-
» no observandam existimamus, et saepe observatam vidi—
» mus, nec contrariam aequam aut rationi consentaneam ar-
» bitramur. »

Tandem observatum est, ipsam S. Congregationem Concilii hanc regulam fuisse secutam *in Signina Constitutionum Capitularium* 24 ianuarii 1829. Interpellala enim utrum confirmanda foret Constitutio Capitularis Ecclesiae Collegiatae Montisfortini Signinae Dioecesis, quae statuerat divisionem fructuum pro rata servitii faciendam esse, re mature discussa respondit: *Affirmative facto verbo cum SSmo.* Praestat huius decreti rationes recolere: « minime despicienda, imo proba-
» tione digna videtur peculiaris Constitutio Capituli Montis-

» **foi** tini ab Episcopo in sacra visitatione firmata. Eo enim » primum spectat, ut lites, quae inter (lefun.ti haeredem et » Canonicatus successorem saepe oriuntur facile dirimantur , » et evitentur. Dein aequitati non solum, sed etiam iustitiae » consonum est, ut, quo tempore beneficii quisque sui onera » tulit, per id ipse debeat eiusdem beneficii commoda sentire. » Quamvis enim praescriptionibus quae de usufructuario tra- » duntur inhaerendum sit, ubi agitur de possessoribus bene- » ficiorum simplicium , qui usufructuario sine onere compa- » rantur , aliter tamen sentiendum videtur de rectoribus be- » neficiorum curam animarum , administrationem , aut resi- » dentiam cum officio adnexam habentium ; postremo siquidem » eam fructus dicuntur onerum praemium , et laboris remu- » ne r c itio.....Quapropter nonnulli antistites in S'\ nodis Dioe- » cesanis . . . sanxerunt, ut fructuum partitio in dies, quibus » quisque pro temporis diuturnitate operam Ecclesiae navavit, » accurate conficeretur... » Quibus apprime consideratis S. Congregatio Concilii ad duo proposita dubia, quorum

I. « An consuetudo dividendi beneficiorum fmctu; susti- » neatur in casu. »

Et quatenus negative

II. « An et quomodo huiusmodi fructus dividendi sint in » casu, » respondit

Ad I. « I\ovidebitur in secundo. »

Ad II. « Fructus omnes beneficii, de quo agitur , a die » 30 Iunii ad 1. Iulii anni sequentis, detractis oneribus, di- » videndos ( sse pro rata temporis, quo quis beneficium pos- » sedit, facto verbo cum SSmo. »

Ex **QUIBUS COLLIGAS VELIM.**

I. Ecclesiam sive contractus sive consuetudines particulares, ni tamen apertis iuribus contradicant, non improbare , aliquando tolerare et permittere ; velle tamen ut habeatur ratio laborum et onerum , quae quisque sustinuit.

II. Qua de causa cum iura clament *beneficium propter officium. Dignus est operarius mercede sua. Qui altari ser-*

*vit de altari vivere debet ;* beneficii fructus aequis partibus sunt dividendi inter eos qui eodem anno beneficium possident, et eius onera sustinent.

III. Contrarias consuetudines, quae huic aequae fructuum, pro rata servitii et onerum , partitioni contradicunt, esse e medio tollendas.

# ADMINISTRATIONIS SACRAMENTORUM

ET

# EMOLUMENTORUM FUNERUM

*Die 24 Martii ÎS73*

**Compendium facti.** Anno 1834 cum naturae debitum reddidisset A. F. Episcopus C., sibique sepulturam in Sacello Seminarii episcopalis elegisset, Parochus S. Andreae sibi emolumenta funeris vindicare contendebat, quia Palatium Episcopale intra suae Paroeciae fines situm erat; e contra Capitulum affirmabat sibi ea funeraria emolumenta competere. Qua de causa an. 1861. Parochus capitulum in ius vocavit apud Curiam Metropolitanam, coram qua sistere Capitulum renuit, fori incompetentiam excipiens. Hinc ad tribunal Episcopale recursum Parochus habuit. Sed cum interea mortuus esset Episcopus, et Capitulum ad S. C. Concilii contigisset, duo dubia proponens, S. C Concilii causam advocavit, et die 19 Februarii 1872 decretum edidit: *Vicario capitulari pro informatione et voto, audito praesertim Capitulo et Parocho seorsim, referat de bono iure Oratorii transmissa copia conventionis an. 1787, aliisque ad rem facientibus.*

Vicarius Capitularis sub die 18 Martii 1872 respondit, partes a se auditas, Capitulum lites nolle, et idcirco humiliter postulare, ut remota omni contentione, causa finiatur auctoritate S. Congregationis Concilii ; Parochum vero appellasse ad Metropolitanum.

Interea novus Episcopus creatus est, qui et auditus fuit, votumque ad S. Congregationem transmisit Capitulo favorabile. Qua de causa monitae partes fuere, eorum causam disceptandam esse in plenis S. C. Concilii Comitiis, ut si vellent ulteriora sua iura deducere, intra praefixum terminum deducerent. Omnibus impletis, die 24 Maii 1873 causa disceptata est.

*Haec sed vero pro Parocho dicta et exposita fuere.*

1. Eius ius sartum tectumque videri, ex quo Ecclesia Paroecialis S. Andreae iam Paroecialis esset antequam ad eam Capitulum accederet, et nihil ob ejusmodi accessionem immutatum fuerit.

2. Ex ipsa conventione inita infer Capitulum et Communitatem P. die 4. Septembris 1787 ; in qua sub § 10 haec leguntur « *Peracta unione (Capitali scilicet < t E'vIesiae Paroecialis S. Andreae) vel Ven. Capitulum C. officia peragat in Ecclesia S. Andreae, vel, dum haec necessariis reparationibus resarcitur, ea peragat una cum Clero S. Andreae in Ecclesia S. Francisci, Ven. Capitulum Parocho concedit liberum exercitium iurium suorum Paroecialium.»* Quis autem ita in iure canonico hospes qui nesciat inter iura Parochi illud praecipue recenseri. Sacramenta infirmis conferendi, et mortuorum cadavera sepeliendi ?

3. Hanc vero Parochi iurisdictionem nullos alios agnoscere limites nisi quos Paroecia agnoscit, scribit Scarfantoni in Ceccoperium p. 2. decis. 60 N. 2. inquiens: *Parochus habet intentionem fundatam et iuris communis adsistentiam ad exercendam iurisdictionem per totum suae Paroeciae ambitum;* eamque supra, fideles omnes indistincte exercere posse definivisse ipsam S. C. Concilii in Forolivien. *iuris funerandi* 16. Septembris 1871. his verbis: *Parochi iurisdictio ad universae Panchine territorium extenditur, eaque indistincte exercetur supra fideles omnes, qui in eadem Parochia habita-*

*tionem habent, sive laici ii sint, sive ecclesiastici.* Huic vero assentitur tum Amostaz Cap. 8. N. 16. affirmans, *ad Parochum spectare ius Sacramenta ministrandi omnibus Christi fidelibus qui in sua degunt Paroecia, eosque sepeliendi. Parochiali* (Ecclesiae) *competit ius sepeliendi quoslibet defunctos inventos intra limites illius;* tum praeter alios Rota in Romana *iuris tumulandi* 20 Febraiarii 1702 coram Priolo relata per Pitonium in discept. Eccl. 51. n. 19. *Incontrovertibiliter Exlesiae Parochiali assistit regula, quod omnes Christi fideles, qui intra illius fines decesserint in eadem Ecclesia sint sepeliendi.* Quod et definitum fuit a S. C. Concilii in *Camerinen Sepulturae* 20 Nov. 1,819. Hanc vero ecclesiasticam regulam tantam habere vim, ut videatur ipsum complecti Episcopum. Qua de causa Simuel de sepulturis disput.5. controversia 11. conci. 16. dicit: *Antistites, si intra Dioecesim decedant coniecturae intrant, quarum optima est si in altera Parochiarum moriantur, ita ut videatur ibi elegisse ex quo aliud non expresserunt,* c. *Cum quis de sepulturis* in 6.

Sed dato etiam quod quaestio ex iure dirimi non possit, certum esse tamen ex cit. conventione, funerum emolumenta ad Parochum spectare; Articulo enim VI. haec habentur: *Reservantur Parocho et successoribus omnia emolumenta sive certa sive incerta, obvenientia ex mortuis, (umulationibus, funeralibus, anniversariis et exequiis, ei ex quolibet alio capite, itaut haec eius sint, quomodo erant antequam Rmum Capitulum ad Ecclesiam S. Andreae accederet.* Quod et in aliis locis eiusdem Conventionis repetitur.

Neque alium iis verbis sensum, aut diversam datam fuisse interpretationem ab ipsis iisdem adhuc viventibus, qui conventionem illam ini vere. Etenim vita functo Rmo B., quo Episcopo celebrata conventio est, funeris emolumenta Parocho data sunt; et licet Capitulum ea sibi vindicare praesumeret, tamen nihil ei concessum nisi quarta pars, quae devota fuit Sacristiae Cathedralis C. atque alia quarta pars Sacristiae S.A. ex mera Parochi largitate ; quomodo constat ex attestatione Sacristae D. P. qui ex tabulari'- mortuorum praedictum documentum excerpsit.

Insequentibus vero temporibus semper Parochum percepisse, nemine resistente, emolumenta ex funeribus Episcoporum, rem esse exploratissimam. Consuetudinem vero optimam esse legum interpretem.

Ceterum, ipsum Capitulum, licet sero, ius Parochi agnovisse. Quandoquidem cuti) anno 1872 defunctus esset Episcopus F. de funerum emolumentis nequaquam cum Parocho contendit: imo .cum funebre officium et exequias Episcopo persolvere cuperet, a Parocho veniam postulavit, qui benigne annuit, ea tamen lege, ut nullum ex hac Concessione Capitulo ius obveniret, vel id cum aliquo iurisdictionis Parochialis praeiudicio fieret.

Qua de causa sive ius inspiciatur, sive conventio inita, sive consuetudo, sive Capituli agendi ratio, videtur sententia favore Parochi ferenda.

*Quae pro Capitulo disputata sunt.*

Haec vero multo solidiori rationum pondere exclusa a defensore Capituli fuere. Observavit enim 1. scitissimum in iure esse, Episcopos et Archiepiscopos in generalibus dispositionibus minime comprehendi, sed speciali opus esse mentione ut iisdem subiiciantur ; ut decrevit Rota in rec. decis. 90. in aduot. num. 248. et 49. Incongruum enim esse Parochum Parochorum, Parochum totius Dioecesis, ut est Episcopus, iis subesse iuribus, quibus simplices Paroeciani subsunt, eumque qui aliis iurisdictionem communicat ab iis dependere, quibus iurisdictionem impertitur.

Iura deinde honori Episcoporum optime consuluisse. Caeremoniale enim Episcoporum cuncta digerit tum quoad Sacramenta Episcopis aegrotantibus ministranda, tum quoad parentalia ipsis vita functis persolvenda. Circa S. Viaticum cap. 38. § 3. et seq. haec praescribit: *Episcopus aegrotum____cum extremum diem suum appropinquare cognoverit, primo peccata sua Confessario diligentissime confiteatur, deinde tempore congruo Sacrum petat Viaticum.... tum maiori qua poterit devotione et humilitate Sacrum sumat Viaticum, quod illi deferat prima dignitas, comitante Capitulo, et toto Clero Cathedralis Ecclesiae in habitu Ecclesiastico et cum*

*cana dis accensis.* Quae verba ita com ni emantur a Catalani in commentariis ad Caeremoniale Episcoporum. *Spedare ad primam dignitatem ministrare Sacramenta Episcopo decumbentis eoque defuncto, offic* **t** *a celebrare, una cum Rubrica nostri Caeremonialis conveniunt passim doctores, quos citat Suxrfantonus in Ceccoperium, p. 3. additione 7. ubi inter alia scite notat, id quidem procedere etiamsi in Ecclesia Cathedrali adesset Canonicus exercens curam animarum, quique solitus esset administrare Sacramenta Canonicis decumbentibus in propriis domibus, quia, scilicet hoc non procederet respectu Episcopi, licet, sit Caput Capituli, et cum eo unicum corpus constituat. Sed neque suffragari posse contrariam consuetudinem, attenta Caeremonialis clausula, quae irritat contrarias consuetudines, idem Scarfantonius notat.*

Ex Caeremoniali igitur Episcoporum diserte patet, non pertinere ad Parochum Eucharistiam infirmo Episcopo deferre. Sed neque extrema unctione eundem inungere. Caeremoniale enim loc. cit. §. 4. pergit. *Post acceptum viaticum monere tandem Episcopus debet Sacristani seu curatum, ut cum tempus erit, Extremae Unctionis Sacramentum sibi administret.* In quae verba ita cit. Catalani *ibid. Quod dicitur hic de Sacrista, acceptum plane ei illud est ex Caeremoniali Papae, auctore Patricio, ubi de aegrotatione Papae agens, diserte edicit, ut Sacrista in tempore extremam unctionem, et commendationem animae faciat. Puto equidem, licet proprium sit Curati extremam unctionem moriendi praebere, cum tamen utriusque et quidem disiunctive in nostro § fiat mentio, Sacristae scilicet seu Curati, idcirco esse in arbitrio Episcopi ab uno vel ab altero Unctionem extremam accipere.* Quae libertas eligendi vel Sacristain vel Parochum fit etiam Episcopo quoad animae commendationem. *Moneatque Episcopus Sacristam seu Parochum, ut cum tempus erit,sibi animae commendationem faciat.* Ibid. §. 4. Imo neque in extremis momentis Parochus ius habet adsistendi Episcopo; sed *viri pii et religiosi continuo assistant Episcopo animam agenti, cui Crucem inspiciendam, oscu-*

*landa inque crebro offerant____Nec desint religiosi e' Sacerdotes, qui continuo, dum adhuc expirat, Psalmi s, Passionem Christi Domini, et alias devotas orationes legant.* Ibid. § 7. Huiusmodi unfern conditio Parochi non immutatur aut melior efficitur postquam K iscopus extremum exhalaverit sphitum; subdit enim Caeremoniale: *Postquam Episcopus spiritum Creatori reddiderit, Canonici qui aderunt, singuli super eum versiculum a poiia inferi* etc. *cum oratione* Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes etc. *recitabunt.* Quid vero de associatione cadaveris in qua primo loco numerantur Canonici, nullaque fit de Parocho mentio? *Ponatur corpus Episcopi defuncti supei' feretrum, et praecedentibus omnibus Religiosis, et Clero, ordine suo, ad E'• desiarti deducatur.... Canonici feretrum immediate praecedant.* Postquam autem cadaver ad Ecclesiam pervenerit, prima Capituli dignitas officium facit et Missam canit... *Praedictum feretrum collocetur in medio Ecclesiae, et ibidem Prior, seu dignior Canonicorum, vel prima dignitas si adsit, indutus pluviali faciet off cium, hoc est, dicet ad pedes feretri* Pater noster, *imponet thus, asperget et thurifcabit, et demum cantabit versículos et orationem praedictam. Quo facto cantet ar Missa pro eius anima... et in fine solitae absolutiones habeantur.* Quae postrema verba *cantetur Missa pro eius anima* favore Capituli exponit cit. Catalani docens, ad digniorem Canonicum, seu primam dignitatem spectare pro defuncto Episcopo officium facere et Missam solemniter celebrare.

Ex Caeremoniali igitur Episcoporum liquido manifestum est, non ad Parochum, sed ad Capitulum pertinere sive Sacramenta ministrare, sive defuncto Episcopo funera persolvere. Caeremonialis vero Episcoporum auctoritatem legem facere, ai que pro leg-[1] habendam esse pluries Rota firmavit, praesertim in Bixien. *thurifcationis* 16 Martii 1626, et Calaritana *Primatus* 14 Junii et 10 Decembris 1638. decis. 60. et 92; cum Rota vero omnes propemodum Canonistae conveniunt, inter quos honoris gratia nominamus Card. de Luca lib. 3. p. 2. de praeeminentiis disc. 29. §. 9. et seqq.

Cou veni ionem vero initam inter Parochum atque Capitu-

lum nullimode Parocho favere, neque ius aliquod ei in Episcopi funera tribuere: siquidem in ea art. 1. legitur *Capitulo conservari suas immunitafes, exemptiones, libertates, potestates, rationes, iurisdictiones et privilegia omnia, prout haec antea obtinebat;* in art. vero Vi. Capitulo conservantur, atque confirmantur *anniversaria omnia, quae celebrare solebat in Ecclesia S. Francisci antequam ad Ecclesiam S. Andreae sese conferret.* At ex demonstrat!* competebat Capitulo ius Sacramenta Episcopo infirmo ministrandi, eique funus peragendi.

Qua de causa nullam difficultatem facessi t quod in eadem conventione dicatur, *Parocho reservari iura omnia, quae habebat ante unionem:* quia per haec verba nihil de novo fuisse tributum tum ex subiecta materia patet, tum ex apposita clausola salvo etc. *quae tanquam mere praeservativa nihil de novo* concedere valet.

Addatur, quod Canonici etsi voluissent, non potuissent praedictis iuribus renuntiare; primo quidem quia dispositionibus Caeremonialis consultum est Episcoporum dignitati, non praerogativa aliqua Canonicis concessa; qua de causa alienis iuribus renuntiassent; secundo vero quia dispositiones Caeremonialis habent vim legis universalis, a qua supremus tantummodo legislator dispensare potest. Ad rem Pignatelli tom. 2. consult. 30. N. 13. *Sententiae contra statutum ritum ecclesiasticum ab Episcopi* prolatae non attendantur,* (multo ergo minus sunt attendendae conventiones Canonicorum initae contra statutum Ecclesiasticum). *Quia sicut Constitutio Clementis VIII. pro observatione Caeremonialis sustulit omnes contrarias consuetudines, ita non videntur attendendae sententiae, ut plurimum ex facilitate vel imp"-ritia iudicum emissae* (1).

Quod adeo verum est, ut contra Caeremoniale nullimode praescriptio valeat, eodem Pignatelli docente tit. 4. Consult. 98. N. 6. *Non obstat consuetudo quia est irrationalis,*

(1) Concordat ins civile quod statuit: *Leges generales debent nb omnibus observari, h. leges* Cod. de *legibus.* AUjue hinc: *Quae contra leges fiunt, pro infe-etis habenda sunt.* L. *Iubemus.* Cod. d<¿ *Sacros. Eccles.*

*ac proinde non potest de illa dari praescriptio, atque adeo non est serranda, etsi esset immemorialis. Cum id neque ratione dignitatis, neque ratione officii contingat, sed po Pius est abusus, qui ex ambitionis radice erumpit.*

De cetero hanc controversiam novam non esse, et alias a S. C. Concilii definitam; siquidem cum in Faventina *Praeeminentiarum et Funerum* 7 Iunii 1760 octavo loco quaesitum fuisset: *an Capitalo, eiusque primae dignitati competat ius administrandi Episcopo aegrotanti Sacramenta SS. Eucharistiae et extremae unctionis, seu p,,tuis* an et in quibus casibus idem ius competat Parocho:* responsum fuit: *servetur Caeremoniale.*

Ex solutione vero huius primae quaestionis, vel dubii, solutio alterius prono alveo fluit. Si enim ad Canonicos cathedralis spectat Episcopo infirmo Sacramenta administrare, eique defuncto officium facere, iam liquido constat, ad Capitulum funeris emolumenta pertinere, non ad Parochum. Ius enim Parochi ad Paroecianorum funera et ad funeris oblationes exigendas ipsi tribuitur tanquam spiritualis laboris emolumentum iuxta illud: *ab eis temporalia non exigant quibus spiritualia non ministrant;* cum ergo Parochus nullimode ius habeat administrandi Spiritualia Episcopis nec vivis neque mortuis; ab iis temporalia exigere neque possunt neque debent. Qua de causa Ursaya discept, eccl. tom. 5. discept. 21. num. 59. et seqq. scribit: *A Sacramentis emolumenta funerum commensurantur, ita ut sicut Parochi in vita fuerunt socii passionis fidelium eis Sacramenta ministrando, sic eliam in morte fierent comparticipes consolationis iuxta dictum Apostoli.* Quam sententiam non semel S. Rota Romana firmavit.

Quibus examinatis ad proposita dubia, quorum

I. An Capitulum vel Parochus ius habeat administrandi Sacramenta Episcopo infirmo, eoque demortuo, eius funus effe rendi, Missam solemnem pro eius anima celebrandi et exequias persolvendi in casu.

IL An emolumenta causo, funerum Episcopi ad Capitulum perfine mt, vel potius Parocho tribuenda sint in casu.

S. Congregatio respondit.

Ad 1. *Servetur Caeremoniale Episcoporum, et amplili*..*

Ad 2. *Affirmative favore Capituli.*

Ex QUIBUS COLLIGES.

1. Iura Sacramenta administrandi Episcopo infirmo, tum ei defuncto funera persolvendi, Missam et Officium faciendi, ad Canonicos pertinere, non ad Parochum.

2. Canonicos non posse huic iuri renuntiare, quippe tum quod inductum sit ut consulatur dignitati et honori Episcoporum, tum quod sit lex universalis a qua dispensare non potest nisi Summus Pontifex.

3. Emolumenta sequi ex oficio; ideoque ad illo; spectare qui officia ius habent persolvendi atque persolverint.

4. Statuta Caeremonialia Episcoporum vim legis habere, eaque ab omnibus esse servanda.

# INHIBITIONE MATRIMONII

*Die 2G Iulii Í873.*

**Compendium facti.** Iosephus B. Dioecesis V. in insulis D, sponsalia contraxerat cum Vicentia T. ejiisdem Dioecesis. **Ad** tertiam matrimonii proclamationem, quidam Vicentiae amasius, qui ei copulari matrimonio volebat, literas ad Parochum dedit, in quibus nedum mutuos amores, promissionesque de futuro matrimonio ineundo revelabat, sed, quod gravissimum erat, Iosephum futurum Vicentiae maritum carnaliter cognovisse Antoniam Vicentiae matrem affirmabat.

His acceptis epistolis, primo Parochus Iosephum vocavit, eique quid ineundo a se matrimonio obstaret aperuit, rogavitque ut illi matrimonio valediceret, vel opportuna dispensatione sibi consuleret. At vero Iosephus omnino negavit se cum matre sponsae suae rem habuisse , ideoque nulla se egere dispensatione contendebat. Aceita sed vero Vicentia, haec in scriptis adfìrmavit, et se Iosepho nubere nolle easque nuptias respuere, illaque sponsalia se ini visse a matre compulsarli; confessa insuper est, se vidisse propriis oculis copulam carnalem matris suae cum Iosepho sponso, quod iuramento confirmare, quatenus esset opus, se promptam exhibebat. Haec Parochus audiens, etsi trina iam peracta publicatione, e re sua putavit huiusmodi nuptias inhibere, prout inhibuit. Quod aegre tulit Iosephus; et pravorum hominum consilio tum ipse tum sponsa inducti matrimonium proprie dictum clandestinum (id est sine Parocho) contraxere, et liberorum procreationi operam dedere. Id vero Vicentiae Patri valde displicuit; qua de causa Curiam Episcopalem V. adivit ut matrimonii inhibitio tolleretur. Haec testium examini locum dedit, et die 7 Iulii 1857 inhibitionem Parochi de non contrahendo matrimonio ratam habuit, iudicialique sententia confirmavit,

iudicio Curiae Episcopalis -Sponsi minime acquiescenfes ad Metropolitanum appellavere, qui Episcopalem sententiam rafain habuit firmavitque die 28 Januarii 1858, eo vel magis quod aliud impedimentum a Tribunali Episcopi ad Metiopoliticum deductum fuerit, primi scilicet consanguinitatis gradus, quasi nempe Vicenfia ex turpi commercio Iosephi sponsi cum matre sua habito prognata fuerit.

Duplex eiusmodi interdictum Iosephus et Vicenfia speinentes in concubinatu turpissime persistebanf, pluresque liberos susceperunt, quorum legitimationem omnimodis procurabat, non excluso matrimonio mere civili.

Episcopus sed vero eiusmodi scandalum e medio tollere cupiens, et rem componere, mense Februario an. 1871 supplicem libellum ad Romanum Pontificem porrexit, exorans ut dignaretur auferre duplex interdictum Curiae Episcopalis appositum iudiciali sententia die 7 Iulii 1857 et Metropoliticum Curiae G. diei 30 Ianuarii 1858 ne contraheretur matrimonium Iosephi B. cum Vicentia T., illud insuper- petens ut sibi incultus daretur dispensandi ad cautelam a praedicto affinitatis impedimento cum facultate etiam subdelegandi.

S. Congregatio Concilii sub die 18 Martii decretum edidit: *Eidem Episcopo, qui referat utram Curia Episcopalis aliquid egerit pro separatione, praesertim post sententiam nullitatis ab eadem Curia prolatam.*

Episcopus man atis Sacrae Congregationis obtemperans respondit, post prolatam sententiam nullitatis, maximopere ex paite Curiae adlaboratum fuisse ut separationi locus fieret; at frustra, tum ex quo sponsus domicilium mutaverat, tum ob supervenías politicas procellas. Accepto eiusmodi responso , S. C. iterum sub die 22 Aprilis 1871 hoc alterum decretum edidit: *Eidem Episcopo qui transmittat sententias et alia documenta ad rem facientia:* inter quae curavit ut tum Iosephi tum Vicentiae nativitatis fides haberetur.

Omnibus habitis decretum editum fuit sub die 20 Aprilis 1873: *Ponatur in folio, ct notificetur Episcopo causam disceptandum esse in plenis Comitiis S. Congregationis; ideoque moneat partes, eisdem congruum praef gal termi-*

*num ad deducendum quatenus velint ulteriora iura sua coram S. Congregatione, et de resultantibus certior et.*

**Disceptatio synoptica.**

Post haec diligenter inquisitum fuit ex documentis extantibus utrum iure celebratio matrimonii Iosephi cum Vicentia in facie Ecclesiae prohiberi potuerit sive ex uno sive ex altero ex supradictis impedimentis, *primi,* scilicet, *gradus affinitatis orti ex supposita, copula carnali Iosephi cum matre Vicentiae Sponsae suae, et primi consanguinitatis gradus orti ex quo ex eiusmodi turpissimo commercio Vicentia originem habuisse diceretur,* ita ut hoc in casu Pater in uxorem filiam suam duceret (1).

Ad expungendum consanguinitatis impedimentum observatum est,

1. Iosephum vix quintum decimum attigisse annum cum mater Vicentiae die 1 Novembris an. 1838 nupsit A. atque vix matrimonio secuto, eam cum *n* arito domicilium suum transtulisse F. ibique die 4 Iulii 1839 pepeiisse Vicentiam (2). Haec autem constare et fide Parochorum et testium fide dignorum.

**2.** Constaret relatione testium, familiaritatem inter familiam Vicentiae et Iosephi tunc incepisse affirmandum cum illius parentes ex novo domicilio, quod extra patriam elegerant, in patriam reversi sunt, quo tempore Vicentia iam habebat duos annos aetatis, et cum domum elegissent prope Iosephi domum, illa Scholas frequenta ref infantiles, quas soror quaedam Io-

(1) Omittimus referre animadversiones pro im.iedi meritorum existentia; quia cum innitantur documentis, quae aut falsa aut dubia probata sunt in altera parte disceptationis , in ea referuntur.

(2) Vix revera credi potest mulierem concubere voluisse cum iuvenculo, dum alios experiretur amores, et quidem ad matri monitun contrahendum, vel vix a contractis nuptiis maritali fidei valedixisse. Hoc insuper expungitur ex domici Iii translatione. Neque difficultatem facessit, quod mater pepererit Vicentiam ante 9 menses completos; dcerant enim dies 26 ad complendus noves menses, id enim ex causa aliqua morbosa contingere potuit; potuit etiam oriri ex concubitu cum viro suo, vel alio, et et iam Iosepho; at quomodo id probatur?

sephi moderabatur. Exinde initium habuit amicitia inter has; duas familias, ergo et amicitia suspecta Iosephi cum Antonia Vicentiae matre exinde initium habuisse dicenda est, cum Vicentia scilicet iam in bimatu versaretur; haec igitur Iosephi filia nec erat, nec dici poterat.

3. Ex depositione testium de certa scientia super factis publicis, et cum iuramento excludendum carnale iosephi commercium cum Antonia ante Vicentiae nativitatem; testes enim interrogati an Vicentia haberi debeat veluti Iosephi filia, hic iuramento respondit *negative, et se interne convictum esse de eiusmodi accusationis falsitate;* ille: *se nunquam id audivisse, neque alios sommasse, cum talis accusatio omni fundamento destituatur;* alius: *miror de eiusmodi interrogatione, cum haee suppositio stare non possit.*

4. Iosephum et Antoniam perpetuo et omni animi contentione exclusisse notam turpis inter se commercii non modo ante Vicentiae nativitatem, sed etiam postea, scilicet usque ad annum 1857, quo Vicentia adhaesit Iosepho (1).

5. Nullum facessere negotium rumores sparsos, scandalumque inde exoriturum quasi nempe verum haberetur Patrem in uxorem propriam filiam duxisse: haec enim scandala illico e medio auferri vix sparsum in vulgus per sententiam iudicialem fuisset, nullimode extitisse inter Iosephum et Vicentiae matrem commercium; qua de causa neque esse necessariam purgationem canonicam per iuramentum.

6. Tandem tum Parochum tum Episcopum idipsum confirmare verbis adeo claris ut nullam omnino relinquant dubitationem; scilicet *Iosephum, cum Vicentia conciperetur, vix fuisse pubertatem egressum, nullam relationem cum*

**(1) Postremum hoc argumentum gravissimum erit si consideretur, patres generice refugere a contrahendis nuptiis cum propriis filiabus; ad hoc enim necessaria fore concupiscentia diabolica et quid peius; neque quis dicat Iosephum id nescire potuisse; etenim si verum fuit eius assiduum carnale commercium cum Matre Vicentiae, non omisisset haec ei revelare filiam a se natam ex eius semine fuisse procreatami. Eiusmodi enim revelationes inter huius farinae personas semper et fere necessario contingunt. Mater vero, nisi obsessa aliquo ditemone fuisset, nuptias illas respuisset et Iosephum ab iis contrahendis compescuisset**

*eius matre nec habuisse tunc nec habere potuisse; eius inibisse amicitiam, cum Vicentia Scholas adirei, neminem de eiusmodi paternitate nec cogitasse, nec sommasse, nec verba fecisse:* qua de causa inquiebat Episcopus anno 1856: *si occasione bannorum matrimonii aliquis adfirmaverit, patrem in uxorem f liam ducere, id esse intelligendum de notabili aetatis differentia quae intercedebat inter sponsum et sponsam; aut de turpi commercio quod asserebatur inter Josephum et sponsae matrem, attamen post eius generationem.*

Ex iis vero enervari argumenta contra adducta atque desumpta tum ex verbis ipsius Josephi testantis *se a teneris annis amicitiam cum familia T. contraxisse,* licet nihil inhoneste a se patratum adfirmet; haec enim intelligi optime possunt de aetate 15 annorum, respectu habito ad aetatem qua Vicentiam duxit uxorem (1) ; nec enim Josephi verba ad trutinam sunt revocanda, cum quid ipse asserere per illa verba voluerit ex aliorum testium depositione constet (2); tum ex illis verbis vulgo sparsis: *P ain" ducit in uxorem fdiam,* quibus quinam sit sensus applicandis edixit Episcopus.

Difficilior vero alia quaestio erat, de còpula carnali umquam habita a Josepho cum Vicentiae matre.

Verum 1. observatum est, eos nec in facto fuisse deprehensus, nec ullas recitari facti consequentias, nec iudicium aliquod hac super re habitum umquam fuisse, nec accusationem ex parte cuiuspiam intercessisse; imo nec denunciatione m sive ad Curiam, sive etiam ad Parochum (quod difficillimum ne dicam impossibile fuisset, si reapse relatio inter Antoniam et Josephum extitisset adeo frequens; ad Parochos enim haec facinora et a piis et a scelestis plerumque, licet diversa de causa, referuntur); neque ullam hac super re monitionem ex officio sive illis, sive aliis factam umquam fuisse.

2. Observatum est etiam, nec Josephum nec Antöniam quidquam de re eiusmodi in foro externo manifestasse ; de

**(1) Excessus erat 16 annorum.**

**(2) Id melius intelligitur si consideremus nos Italos solere ad eiusmodi interrogationes respondere: *Eh fin da ragazzo! era un ragazzo! era per così dire una creatura! fin da creatura!* intelligendo per haec aetatem 14, 15, 16, et etiam 17 annorum.**

.Iosepho res est adeo manifesta ut etiamsi semel et iterum rogatus fuisset de dispensatione ab impedimento affinitatis petenda, numquam acquiescere voluerit, constanter affirmans se nulla indigere dispensatione (1); eo quod etsi Antoniaé domum frequentasset, etsi ab ea Epistolas, non tamen amatorias, accepisset, etsi domi eius et coenasset et pransus esset, sive absente sive praesente marito, numquam tamen sese inhoneste cum ea gesserat ; quod ipsum testabatur Antonia affirmans, Josephum numquam esse ausum verbum proferre quod honestati suae dedecus inferret.

3. Testes qui contrarium deponere videntur loqui vel de rumoribus, -vel nimis generice, vel non sine exaggeratione: dicunt enim se id audivisse *a mundo, a voce publica;* loquuntur de *illicita amicitia,* de *signis amoris ten errimi,* de *infami amicitia,* de *illicito affectu,* hisque similibus, quae nec statim, nec necessario copulam carnalem significant, quae ad inducendum impedimentum requiritur proprie dicta (2). Ad haec unus testabatur de *propria suspicione ('$),* alter *de dicto alieno,* tertius affirmat *quod nihil videre potuerit, quod propria uxor sibi in faciem ostium clauserit;* at hunc tertium testem favere potius, non nocere acute observavit Advocatus; non enim duo in cubiculo animo coeundi convenire dicendi sunt, qui ultro se dant conspiciendos ex adversis domibus.

4. Hos vero testes elidi per alios testes probatissimus ; et formiter interrogans; unus enim deponit, *in familiaritate Josephi cum Antonia nil mali intercessisse;* alii *familiaritatem illam amicitiae, non peccati causa fuisse initam;* at ubi testimonia convenientia non sunt, crimen non probatur ; *actore vero non probante reus absolvitur.*

(1) **Eiusmodi vero constantia in fa cto aliquo negando, ex quo sequatur nedum matrimonii nullitas, sed et perpetua damnatio tam ipsius, tum sponsae, cuique silentio occurri poterat dispensationem petendo, pondus in re habet maximum.**

(2) **Haec vero vim habent ex illo iuris axiomate : *eopula non probatur de visu:* ergo vel ex confessione, vel ex consequentiis copulae; in facto vero deest utrumque; vulgi vero rumores, et vociferationes res sunt admodum incertae.**

(3) **Et. haec suspicio apud nonnullos populos, praesertim insulanos, est fundamentum maximaruui accusationum, et calumniarum.**

Equidem duo testes contraria omnino deponere visi sunt; mulier scilicet quae Iam, de qua ipsa Episcopalis Curia V. asseruit *incapacem esse peierandi,* testata est, *se vidisse Josephum frequenter adire Antoniae domum ; animadvertisse illicitam inter eos relationem; sibi ab Antonia preces porrectas, ut ad Josephum scriberet, tener rimasque amoris expressiones epistolae inseverei, sibi insuper ab ea annulum donatum, ut taceret ; se ab ipsa coenatum invitatum ; coena vero durante animado er t isse tactus jarum honestos inter eos, qui et post coenam repetiti sunt; se insuper conspexisse Antonium indecentissime amicta m in cubiculo ingressum cum praedicto Josepho, in eoque clauso hora circiter mansisse.* Alia vero, seu ipsa Vicentia Antoniae filia et Josephi sponsa coram Parochi Coadiutore die 20 Octobri* 1856 deposuerat: *Testor ego infrascripta, me propriis oculis vidisse copulam carnale m Josephi cum matre mea; idque iureiurando, si opus erit, confirmare sum parata.* Verum utriusque testimonium diserte Advocatus exclusit; Vicentiae quidem quod haec 1. ad contestationem vocata ante judicialem sententiam a Curia Episcopali non fuerit, etsi prudenter.

2. Quod ipsamet deinceps adfirmaverit, violentiam quamdam moralem a Parochi coadiutore passam fuisse, eaque scripsisse quae sibi dictabantur, quin tamen sensus perciperet.

3. Quod illa adfirmaverit, eo quod Josephum tunc odio quodammodo haberet, et e contra nubere vellet J. F. qui primus Parocho detulit eiusmodi impedimenta. Puellam vero in amore coarctatam ad omnia mendacia praesto esse.

4. Demum quia ipsa Vicentia publico testimonio retractavit apud Curiam V. ea quae contra matrem et Josephum deposuerat, documentis exhibitis. Haec igitur quin certos Iudices Ecclesiasticos redderet de impedimenti existentia, eos de contrario certos reddebat

Testem vero M. de cuius integritate ipsa Curia V. adfirmaverat *incapacem esse omnino peierandi* exclusit Advocatus, animadvertens,

1. In contestatione cum Antonia, hanc omnino ea quae testis dixerat negasse, et in capillos involasse.

2. Ipsam Curiam opportunum iudicasse alia praetermittere ne aliquod gravius occurreret.

3. In depositione eius talia haberi quae cum veritate non adeo facile componuntur. Quomodo enim verum esse poterat, Antoniam coenatum invitasse testem M. si cum Josepho concubere volebat, et cum, absente viro, posset omnia pro libidine agere, uno Deo teste? et illud aliud, se voluisse domo Antoniae egredi, quod Josephus inciperet tactus parum honestos et cum ipsa habere, Antoniam vero M non permisisse: scilicet Antonia adeo impudens erat, ut sui sceleris vellet testem evidentem; quod vix publicae meretrices patiuntur (1).

4. Neque adeo castam fuisse.

Nam vocata in contestatione cum Josepho, hic nedum ea quae illa deposuerat negavit ; sed imo adfirmavit se fuisse in cubiculo semiaperto non cum Antonia Vicentiae Matre, sed cum ipsa teste M.

2. Cum hac tactus impúdicos habuisse, non cum Antonia (2).

3. Haec autem imprudenter narrasse quibusdam amicis suis, de quibus quatuor nominat, inter quos ipsum tunc testis virum. Qui ad examen vocati non fuere. Qua de causa testimonium M. suspectum valde esse debet, cum fortasse Antoniae per calumniam impigere voluerit, quae ipsamet cum Josepho admiserat.

4. Tandem testem M. non loqui de carnali copula, sed de factibus in pectore; atque corrigens superiorem depositionem affirmat, ostium cubiculi semiapertum fuisse, non omnino clausum; at incredibile esse, dato quod fuerit vera eius depositio, Antoniam cpmmercium carnale cum Josepho habuisse cubiculo semiaperto, ut scilicet M. esset testis sui sceleris.

**(1) De cetero iura clamant-** ***Testes deponentes non verisimilia, non probant, imo sunt de falso suspecti.*** **L. fin. ff. quod met. caus. Et:** ***Testis in parte verus et in parte falsus, in totum reputatur faisus.*** **Et recte. In teste enim', ut admittatur, duo requiruntur, scientia et probitas; at in teste in parte vero et in parte falso utrumque desideratur.**

**(2) Tactus autem impudici Iosephi cum teste N. vidente Antonia, excludunt, nisi me fallit opinio, eorum commercium carnaie. Mulieres enim zelotipia abripiuntur; nullimode ergo Antonia illos tactus permisisset, tum Iosephum redarguisset, tum testem M. eiecisset: haec autem affirmat,** ***ab Antonii se domi retentam,*** **quod est contra id u nod in similibus circumstantiis contingere solet.**

Cum itaque nulla adsit rei evidentia, nam zelus Parochi exarsit post acceptas ab F. primo Vicentiae Amasio epistolas, et post factas futuri matrimonii proclamationes , testes vero nec sint contestes, nec concordes, vagis verbis utantur, nec sibi cohaereant, parum sint sibi constantes et cohaerentes, eorum testimonium vel ab aliis vel a seipsis elidatur, et ad nihilum reducatur ita ut nec unus supersit testis qui sit simul explicitus et fide dignus, fama et vulgi rumor cui commercium carnale Josephi cum Antonia innititur, cum pro testibus non sufficiant (1), atque de cetero nulla habeatur jurídica confessio, et econtra perfecta et absoluta negatio rationibus suis non destituta, iure merito concludit advocatus, nullimode probari carnalem copulam Josephum inter et Antoniam, proindeque ex ea nullum enasci posse impedimentum in foro externo ad inhibendum matrimonium.

Haec autem valere etiam pro casu quo testes et de copula deposuerint, et vera deposuerint, sed fidem facere non valuerint; cum hisce in terminis eorum scientia sibi ipsis remaneat, ita ut factum, de quo testimonium ferunt, nullimode per eorum depositionem aut probetur aut publicum fiat. Quandoquidem Fagnanus vir hac in re magnae auctoritatis, quique a Lambertinio affertur in Inst. Eccl. 87. § 44. diserte affirmat, et ostendit, *illud occultum impedimentum dici, quod nullo pacto demonstrari potest, et Dei solum iudicio permittitur* (2); impedimentum vero quasi occultum illud esse, quod solum duobus, tribus aut quinque testibus comprobatur: *dicimus impedimentum vel crimen occultum, I iret aliquibus sit notum, puta quatuor, aut quinque, et hanc opinionem servat S. Poenitentiaria.*

His vero non obesse quod ea testimonia recepta fuerint tum ab Episcopali Curia V., tum a Metropolitica G.; ideoque

(1) Cap. Tua nos 8 de cohabit. Cleric.

(2) Et recte. Si enim satis esset ad impedimentum inducendum alicuius tantummodo testimonium quin necessaria foret testimonii probatio ad faciendam fidem, nescio an humana societas subsistere posset. Testimonium vero non probatum nullum reputandum esse patet. Hinc iura clamant: *Testis causam sui testimonii dicere debet.* L. 1. ff. de transact., *et h. Solam* 3 Cod. de testibus.

impedimenta opposita publica omnino facta esse ; nam hoc ipsum est de quo quaeritur; scilicet, an utriusque Curiae sententiae sint confirmandae vel rejiciendae aut cassandae (T) ; nec nos versari in materia Simoniae, in qua sufficit diffamatio, ne conferatur diffamato beneficium, quia scilicet vix tutius caveri potest ne beneficium indigno conferatur, sed versari in materia matrimonii, in qua praeter remedium publicae dispensationis , habetur recursus ad forum internum , per quod remedium famae simul et conscientiae consulitur. De cetero non deesse qui affirment,- utriusque Curiae sententias iudiciales non adeo evidentes fuisse , ut certum iudicium in quaestione exhibeant ; qua de causa concludendum esse, neque Vicentiam neque Iosephum posse sive petere , sive acceptare in foro externo dispensationem absque insigni et infando dedecore tum Iosephi, tum Vicentiae, tum huius matris.

Quibus visis et consideratis ad duo proposita dubia, quorum

1. An inhibitio Curiae V. et G. sustineatur in casu?

Et quatenus affirmative.

2. An et quomodo providendum in casu ?

Respondit S. C. Concilii. *Providendum iuxta preces Episcopi, scilicet pro facultate eidem Episcopio dispensandi ad cautelam super impedimento affinitatis ex copula illicita, ad effectum ut Ioseph et Vincenti a seu Vicentia contrahere valeant matrimonium in faciem Ecclesiae , facto verbo cum Sanctissimo.*

Scilicet S. Congregatio Concilii diserte exclusit impedimentum primi gradus consanguinitatis , quod ad illud asserendum nullum esse! argumentum nullaque probatio; stante autem eo impedimento, inutile fuisset de hoc matrimonio loqui.

Dispensandum tamen ad cautelam censuit ab^ affinitatis impedimento, ex quo ad inhibendum (non tamen ad solvendum) matrimonium non requiruntur probationes de rigore iuris,

(1) Non obsunt certe eiusmodi utriusque Curiae iudiciales sententiae: nam si demum cassentur, iam manifestum fit impedimenta apposita non subsistere, falsasque fuisse, aut saltem non probatas factas criminum dennnciationes ; ideoque impedimentum obiectum nedum remanere occultum, sed et destrui Hoc autem valet pro alio quocumque crimine obiecto, sed iuridice noa probato.

sed satis est unius personae testimonium vel etiam publica fama. in Cap. 2. de conscinguineis, et in cap. 21, et 27 de testibus.

EXINDE COLLIGES :

I. Ad inhibendum matrimonium satis esse famam vel vulgi rumorem de aliquo existente impedimento ad Curiam Episcopalem vel ad Parochum deducto.

II. Attamen in iuridica inquisitione debere certo constare de impedimenti producti existentia ; documenta et testes esse cribrandos iuxta legitimas criticae regulas ; ex quibus nisi de impedimenti existentia constet, matrimonium non esse inhibendum.

III. Si tamen adsint suspicione-! gravissimae, ad S. Sedem pro dispensatione ad cautelam esse recurrendum.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## MISSAE CONVENTUALIS

*Die 24 Maii* 1**873.**

**Compendium facti.** Ignatius L. Canonicus Collegiatae Ecclesiae M. Dioecesis C. anno 1701 cum aere proprio redditus sui Canonicatus auxisse!, voluit ut in posterum ad Primiceriatum eveheretur *cum omnibus honoribus, praerogativis et praeeminentiis ad similes dignitates primiceriales quomodolibet spectantibus.*

Voti compos factus per Capituli acceptationem, canonicatus ille ad Primiceriatum, qui est in eo Capitulo secunda dignitas, Episcopi decreto evectus fuit.

Cum vero in ea Dioecesi consuetudo invaluerit, ut Dignitates ad turnum Missae Conventualis adstrictae non essent, vertente anno 1741 aeris axarsit quaesiio inter Primicerium D. R. et Capitulum. Primicerius enim se ad Missam conventualem per turnum celebrandam non teneri contendebat ex sui Canonicatus institutione; e contra Capitulum. Hinc ne in lites abirent die 7 Decembris 1744 quaestio composita est huiuscemodi; ut scilicet Primicerius praedictus teneretur ad omnia Canonicatus munera obeunda ad instar aliorum canonicorum, qui sacro Presbyteratus . ordine essent insigniti, praeterquam ad Missam Conventualem sine cantu, seu lectam ; pro qua tamen concessione ipse adstringeretur Missam solemnem celebrare in diebus secunda et tertia Paschatis, et Pentecostes, S. Ianuarii Ep. ei mart., dedicationis Ecclesiae, et iis duobus diebus quibu ; solemnis SS. Sacramenti expositio haberetur; in iis insuper diebus teneretur officium Hebdomadam persolvere more solito, sicut et in diebus paschalibus,

ni tamen Archipresbyter vellet ipse officia solemniter peragere. Et haec quidem ab omnibus acceptata sunt una voce, nemine discrepante, atque ipso Primicerio assentiente.

Verum eiusmodi conventio cum scripta utique manserit, observata tamen non admodum fuerit, hinc quaestio iterum exarsit, eamque Episcopo componere non valente, ad S. Congregationem Concilii deducta fuit, ibique utriusque partis rationes expositae.

### Disceptatio »optica.

Ea quae pro Primicerio militare videntur.

Quadruplici ex capite Primicerius se ab onere turni missae conventualis exemptum putabat; *fundatione, conventione, consuetudine, et praescriptione.*

Et quidem ex *fundationis* capite aiebat, indnbium esse fundatorem voluisse ut ex canonicatu, quem ipse possidebat, dignitas primicerialis institueretur « cum omnibus honoribus, » praerogativis, et praeeminentiis ad similes dignitates primi- » ceriales quomodolibet spectantibus. » Ad determinandas autem praerogativas Dignitatis cuiuslibet, attendendas esse consuetudines vicinarum Ecclesiarum tradit Innocentius III. Lib. 1. Decret, cap. 6: « statuentes ut Praecentor taliter institutus » in sessionibus et processionibus et aliis, illam haberet in » Londinensi Ecclesia dignitatem, quam habent alii praecen- » tores in aliis Ecclesiis Anglicanis. »

Ex qua dispositione hanc regulam deducit Gonzalez Tom.l. in Decret, *pag. 135.* « In tribuendis honoribus novae Di- » gnitati, consuetudo vicinarum Ecclesiarum attenditur; nam » in dubiis, si non apparet quod actum est, erit consequens » ut id sequamur quod in regione, in qua actum est, fre- » quentatur. » At exploratum est omnibus, sive in illa Ecclesia Collegiata, sive in vicinis Ecclesiis, Primicerium eximi ab turno missae Conventualis.

Neque opponi posse canonicatum evectum ad dignitatem Primiceriatus fuisse honoris tantum causa, non vero praerog itivarum; has enim fundator potius comprehendere voluisse

dicendus est ex iis fundationis verbis : *quomodolibet spectantes ad alias dignitates;* quod adverbium quomodolibet exceptionem non pati docet Vivianus *de hwep. ¡jar.* 2. lib. 13. cap. 18. n. 198. *Haec clausula incluait omnem modum, et est universalis et distributiva, et ostendit plenam et exuberantem voluntatem disponentis.*

Neque hi» difficultatem facessere principium quod dignitas superveniens non aufert praecedemes obligationes canonicatui adnexas a fundatione; nam status canonicatus primitivus omnino mutatus est, novamque formam assumpsit et naturam ex nova erectione, novis Bullis, nova canonica institutione; quibus novae obligationes proinde substitutae, veteribus extinctis. lis autem tum doctores, tum Tribunalia, tum iuris principia favere videntur; principia enim iuris clamant: *Dignitas superveniens solvat praecedentem obligationem.*

Pignatelli vero 'Tom. 1. Cons. 103. n. 6. Ptota in Compostali ma diei 17 Martii 1596 coram Litta ait: « Fuit dictum » quod quando una Dignitas minus principalis unitur alteri » principaliori, vel quando unio fit per incorporationem, Di» guitas minus principalis vel illa, quae alteri incorporatur, re» manet suppressa, extinctus titulus, ac facta praedium illius » magis principalis. »

Garzias insuper de Benef. part. 12. Cap. 2. n. 13. et in Burberi. Servitii Decani 12. ian. 1594. coram eodem: « Do» mini resol verunt, Decanum non teneri servire tanquam por> ti marium, quia portio eo ipso quod unita fuit in perpe» tuum Dignitati Decanatus per viam incorporationis desiit » es e portio, illiusque nomen et effectus extinctus fuit; nam » alias quod inductum fuit, mediante unione in honorem Di> gn i latis et augmentum eius, retorqueatur in diminutionem > honoris et Dignitatis illius mediante servitio suae Dignitati » minime condigno, contra omnem rationem. Debet omnis » disputatio sano modo interpretari ut omnis contrarietas evi> tetur. » Garzias part. 3. cap. 2. n. 510.

2. Ex inita insuper *conventione* 1744 semet Primicerius putat exemptum ab onere missie Conventualis ; in ea enim legitur Primicerium uti ujlero; canonicos teneri ad omnia

munera obeunda, *exclusa tantummodo Missa conventuali lecta.* Per quam transactionem partium iura cassari definivere Pontifices lib. 1. Decret, tit. 36, ubi sic legitur. « Ut omnis » instrumenta, vel quidquid est aliud quod partibus, quod » absit, ad invicem contra se venire cupientibus quoquo modo, » vel ex temporis praescriptione, seu aliter opem de lege, » aut quocum privilegio poterat ministrare, sit sicut vacuum » et omni virtute cassatum, et sola pactorum inter vos nunc » habitorum pagina validum, perpetuumque robur obtineat... » unde ea quae religioso studio provide ac pacifice terminata » sunt quocumque tempore, quidquid dubietatis incurrant, » omnia quae in eisdem pactis tenentur adscripta, firma, il- » libata, et sine aliqua refragatione persistant ; hinc si ob » pacem et concordiam inita fuit aliqua transactio, ipsa habet » vim sententiae, et rei iudicatae; et ita paratam habet exe- » quutionem, et impedit quemlibet litis ingressum ; dicitur » enim exceptio litis finitae, cum ex sopita causa non debeat » iurgium suscitari. » Neminem vero latet transactionem anni 1744 initam fuisse inter Capitulares et Primicerium ad litem praecavendam ; qua de causa omnino esse servandam manifestum est, etiam ex eo quod eodem anno Canonici contendentes illam iterum agnoverunt et approbarunt, cum nemine reclamante Archipresbyter Missam celebravit Feria 2ª et 3ª Paschatis, ad Transactionis formam.

Male sed vero obiiceretur concordiam illam utpote auctoritate Ordinarii destitutam successores non adstringere, ideoque a nova Capitulari resolutione abrogari posse ; quando enim per aliquod statutum est ius alteri collatum, nequit illud absque huius consensu tolli quin notissima illa offendatur regula iuris *mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.* Reg. 23 in 6. Ad rem Bartolus in L. *omnes populi* § circa secundum ff. de iustitia et iure statuit. « Quando » statuto cavetur ut qui venit ad habitandum in tali castro, » habeat immunitatem perpetuo, et quidam venerunt, si nunc » civitas cupiat revocare statutum, et velit ne illi gaudeant » immunitate, certe in praeiudicium eorum qui iam venerunt, » non potest revocari. Idem ergo dicendum in aliis similibus. »

Quod melius in casu nostro posset urgeri, cum hic non agatur de statuto, sed de concordia per immemorabilem consuetudinem observata, quam successores obligare, quin interveniat Superioris confirmatio, certum videtur. Id enim docet Pignatelli Tom. V. Cons. 12. n. 83. *Cum concordia,* scribit, *fiat pro bono pacis, praesertim inter ecclesiasticos, super huiusmodi praeeminentiis, servari omnino debet, ut tradunt Lotarius* de re benef. lib. 1. q. 16. n. 33. et semel ac iterum firmavit Rota apud Seraph, decis. 22. et 8.1. *Qua obligantur etiam successores, quando apparet, initam fuisse bona fide super re quam maxime dubia, et ad, extinguendas lites, ut docet-in his terminis* Gratianus discept. 476, et discept. 867, *ubi quod Canonici et dignitates successores ligantur concordia inita per antecessores, quamvis confirmatio Papae non intervenerit. Quod etiam firmavit Rota* in Cosentina *praecedentiae* 6 Iunii 1618 coram Qunozetto. *Praesertim si fuerit longo tempore observata, ut in specie concordiae observatae per spatium viginti trium annorum. Per observantiam enim inducitur approbatio, ex qua vel dicitur praescriptum ius alterius, vel saltem per spatium decem annorum inducta consuetudo.* Rota in Cordubensi decimarum 28 Iunii 1628.

3. *Consuetudinem* pariter sibi favere arbitratus est Primicerius, ex quo ipsa sit omnino servanda, dummodo a legibus ecclesiasticis non sit reprobata, ne iurgia oriantur. Id enim Auctores diserte tradunt. S. Augustinus Ep. 128 scribit : *Ipsa mutatio consuetudinis, etiam quae adiuvat utilitate, novitate perturbat.*

Dioassi in lib. 52 : *optimum esse inimicitias omnes, et ambitiosa certamina prorsus scindere, atque adeo nec nomina nova, nec aliquid quid permittere, ex quo possit oriri discordia.*

Elianus in lib 5. de varia Historia: *Saepenumero etiam mutatio in melius maiorum malorum solet esse principium* (1). Unde Honorius Papa III. in sua Epistola ad Ca-

(1) His concordant Tacitus in lib. 5j Caesar in lib. 6. de Bello gallico; Patricius in lib. 1. de .Republica.

pitulum Parisiense ita scribebat: « Cum consuetudinis, nsus-
» que non levis sit auctoritas, et plerumque discordiam pa-
» riant novitates, auctoritate praesentium inhibemus, ne abs-
» que venerabilis Fratris nostri Episcopi consilio et consensu
* immutatis Ecclesiae constitutiones et consuetudines vestras
» approbatas, vel novas inducatis, irritas decernentes si quas
» forsan fecistis. »

Consuetudinem vero innixam conventioni anni 1744 Primicerio favere demonstrari et ex lignea Tabella pro Hebdomadario Chori designando, quae Dignitates in Missa Conventuali celebranda non comprehendit, et ex consuetudine vicinarum Ecclesiarum, in quibus Dignitates ad turnum Missae conventualis non adstringuntur.

4. Tandem *quoad praescriptionem* notavit Primicerius quod *praescriptio centenaria pro lege habetur;* hancque sibi contendit suffragari. Nullibi enim apparet Primicerium oneri Missae conventualis satisfecisse. Quod autem ex Missarum Regesto eruatur , ipsum , praesertim postremis temporibus, saepius Missam celebrasse, difficultatem non facessere. Canonici enim Collegiatae M. quotannis tenentur ad celebrationem mille et centum missarum, quarum tres quotidie celebrantur; inter has vero et Conventuales numerari ; qua de causa et ipse Primicerius has missas celebrabat ; vel etiam id contingebat quod commutata intentione cum alio Canonico, ipse in libro Missarum eas missas notabat veluti si Conventualem celebrasset.

Contendit insuper quod ad desumendam praescriptionem, constanter et evidenter ex Missarum codice demonstrari deberet, Primicerium Missam Conventualem semper pro se celebrasse in sua hebdomada, non vero pro aliis; quod demonstrari non potest; illae enim Missae quae a se celebratae reperiuntur vel sunt Missae aliis resti tutae, vel pro Benefactoribus.

Quod si aliquando haec consuetudo interrupta fuerit, subdit id contigisse tempore recentiori, neque hos actus praescriptionem centenariam evertere posse, scribente Pitonio alleg. 100. n. 285. *nihil obstante interruptione de dicto an-*

*no 1642 et Herum de anno 167 i, quia observatio centenaria semel completa non destruitur per actus subsequentes, ut dixit Rota in Maior icen,* beneficii 28 Novembris 1704, *sed alia in contrarium centenaria requiritur,* ut inquit Rota coram Emerix Iun. decis. 1195 n. 11.

Difficultatem pariter non parere dicit Primicerius, quod Canonici allègent substitutionem peractam ab aliis Primiceriis, qui Missam Conventualem diebus feriatis celebrarunt ; id enim potius urbanitatis causa, quam obligationis vinculo factum est.

Demum adesse nonnullos Capitulares asserentes, Primicerium N. a turno Missae Conventualis fuisse exemptum quamvis antea contrarium deposuerint. De officio vero additum est, fieri posse ut aliquis ex Capitularibus a tali onere ita exemptus evadat, ut illud in totum Canonicorum corpus refundatur; ad tollendam enim aliquam obligationem longi temporis observantia, quae praescriptionem inducit, plurimum valet. In casu vero nostro praescriptio legitima esse videtur, cum non desit titulus ortus ex conventione, nec bona fides descendens a patientia Capituli, nec tempus praestitutum, cum videatur adesse observantia plusquam centenaria. Praescriptione autem obligationes extingui. Adest praeterea transactio quae parit exceptionem litis finitae : eaque cum facta fuisse videtur ad lites praecavendas, vim habet. Quod vero destituta apostolico beneplacito fuerit, ideoque successores ligare non valeat, difficultatem non parit, approbatio enim apostolica est solemnitas extrinseca, quae praesumitur post lapsum triginta annorum : quin imo quando adest observantia centenaria, beneplacitum apostolicum semper praesumitur quamvis non fuerit prolatum, ut definivit Rota decis. 624. n. 8. coram Oli vatio : *Spatio enim centenario, cursuque aetatis tam prolixo_____beneplacitum Apostolicum inducitur, et intercessisse praesumi debet, quamvis non prolatum.*

*Quae pro Capitulo militant.*

Canonici autem tum ius tum factum pro se stare contendunt : ius quidem, cum Benedictus XIV in Constit. *Cum semper oblatas* statuat: « Quicumque in eadem Ecclesia sive di-

» gnitates, sive Canonicatus, sive Mansionariatu s, sive Bene-
» ficia choralia obtinent, et Missam conventualem in suis
» respective vicibus celebrant. *Addit:* Missa conventualis
» quamquam non veniat nomine horarum canonicarum, venit
» tamen nomine divini officii; quare si Cathedralis et Colle-
» giatarum canonici tenentur ad quotidianum officium diur-
» num, tenentur etiam ad quotidianam celebrationem eiusdem
> Missae (1). »

5. Insuper Concilii Congregatio requisita ad quem onus missae Conventualis celebrandae spectaret, referente Spiridione Talu pag 18. n. 128. respondit : *Missa Conventualis pertinet ad Cantorem et Canonicos Ecclesiae Collegiatae, non autem ad Vicarium, quando ipse habet tantum curam animarum Parochianorum,* nomine autem Cantori? Primicerium venire probare satagunt ex sententia Talu pag. 8. n. 43. *Archipresbyter seu alia dignitas non debet se intromittere in regimine Chori, quod ad solum Cantorem seu Primicerium pertinet.*

Quoad factum vero asserunt Canonici, Primicerium et ante transactionem an. 1744 et in posterum semper hoc onere fuisse detentum; primum probant ex verbis ipsis transactionis in qua habetur, Primicerium ad turnum Missae Conventualis teneri, *vigore observantiae et possessionis in qua stat nostra insignis Collegiata;* alterum vero demonstrare conantur libris et testibus. Testes enim deponunt: *Primicerium semper obstrictam fuisse turno Missae conventualis, exceptis Sabbato et Dominica, pro quibus aliis anni diebus celebrat.* Transactionem insuper praedictam fuisse favorem personalem Primicerio R. concessum, quod non transit ad successorem (2), eo vel amplius quod illa prima praebenda primicerialis in aham commutata fuerit, et est haec actualis praebenda quae gravatur onere 100 Missarum.

**(1) Id confirmant Ligorius in Epitome Theologiae moralis, et Crispinus in Tractatu Delia Visita Pastorale pag. 131. §. 3.**

**(2) Clamant enim iura: *Privilegium, personale personam sequitur, et eum persona extinguitur.* Cap privilegium de reg. inris in 6. *Privilegium personale non transit ad eohaeredem.* L. 28. ff. de Legat. 2.**

His vero ex officio additum- est, consuetudinem et praescriptionem Primicerio non suffragari, 1. Quia adsunt in casu actus contrarii, cum ipsum missas conventuales saepius celebrasse appareat; 2. quia Constitutio Benedicti XIV omnem consuetudinem respuit.

Ad transactionem quod attinet, animadverti posse, ipsam nonnisi de re dubia et lite incerta esse ineundam: neque de re certa et clara aliquid valere (1); etiamsi facta appareat ad vitandas expensas et litium incommoda. Transactionem vero anni 1744 initam fuisse ad lites praecavendas, attamen super certo, patet ex verbis transactionis, in qua habetur, « Primicerium -ad omnia onera teneri prout ceteros Canonicos » tum vigore observantiarum quae vigent in nostra insigni » Collegiata, tum vigore Decretorum S. Congregationis Con- » cilii in quibus constituitur, quod Dignitates in Collegiatis » tenentur exercere officium hebdomadarii et alia munia sub- » ire sicut ceteri canonici. » Ex quibus ipse Primicerius cognovit ius suum consistere non posse; quare cum super certo transactio facta sit, ea nullius valoris est censenda. At dato quod transactio illa subsistat, tamen eam successores non obligare certissimum est, utpote beneplacito apostolico destituta quod in hisce causis requiri *necessario, speciatim, ex certa scientia, cum causae cognitione, et non in forma communi* tradunt doctores.

Audiatur Pignatelli Tom. 4. Consult. 27. n. 9. *Neque videtur his obstare, quod eorum praedecessores hanc rem ad concordiam adduxerint, si non fuerit confirmata auctoritate Summi Pontificis, quia non ligat successores.* Concil. Trid. sess. 6. cap. 4. de Reform. Extravag. Ambitiosae *de reb. Ecclesiae non alienancl.* Rota apud Gregorium XV decis. 152. ubi Add. litt. A. Buratt. Decis. 132 ex c. *veniens* de transact. « ubi disponitur, non sufficere quod trans- » actio inter personas ecclesiasticas sit confirmata in forma » communi generaliter a S. Sede Apostolica in iudicio con- » tradictarum, sed necesse est quod speciatim confirmata sit

(1) *Transactio debet fieri de re dubia. Transactio non potest fieri super aer'to.* L. 1. ff. de transact.

> ex certa scientia Summi Pontificis, cum causae cognitione, » alias autem facta non tenet, fueruntque sublatae a Conci- » lio Tridentino concordiae non confirmatae ex certa scien- > tia (1). >

Qua de causa cum ius et conventio inita Capitulo faveant, consuetudo et praescriptio pro Primicerio allegari non possint, in favorem Capituli sententia ferenda videtur.

Omnibus ab utraque parte momentis adductis mature consideratis, S. Congregatio Concilii ad dubium « An Primice- » rius Ecclesiae Collegiatae M. teneatur ad celebrationem » Missae Conventualis per turnum prout caeteri Canonici in » casu. »

Respondit:

*Servetur concordia diei 7 Decembris 1744.*

Ex **QUIBUS COLLIGES**

1. Celebrationem Missae conventualis sequi ex quotidiano officio diurno ad quod Canonici tenentur, eiusque esse partem.
2. Singulos proinde Canonicos, etiam dignitates teneri ad Missae Conventualis per turnum celebrationem.
3. Nullum habere robur conventiones initas a Capitularibus aliisque viris Ecclesiasticis circa iurium seu statutorum alicuius Ecclesiae dispensationem seu abrogationem sine Romani Pontificis consensu.
4. Has tamen conventiones, bona fide et cum titulo initas valere etiam sine apostolica approbatione, si diuturno tempore sint praescriptae.

(1) **Huic concinunt Fagnanus lib. 1. Decret, de transact. in Cap. *Veniens* n 2. et 3. Reiffenstnel ad eundem loc. %. III. n. 64 et 65. De Luca De Benef. Discept. 32 n. 13. Rota Decis. 306. n. 10. part 10. recent. S. Congregatio O. in Viterbien. 19 Sept. 1767. et alias.**

# EX SACRA CONGREGATIONE INDICIS

## DECRETUM

**FERIA VI. DIE** IO **IULII** 1874.

*Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, a* SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX *Sanctoque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae , eorum* denique proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio apostolico Vaticano die 10 Iulii 1874, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum, prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.*

Drei Gewissensfragen über die Maigesetze. *Latine vero :* Tria quaesita conscientiae relate ad Leges Maii. — Moguntiae 1873. *Pon ee corrigatur.*

Ehrerbietige Vorstellung und Bitte an den hochwlirdigsten Episcopat in Preussen : ein Wort zur Verständigung von Vincentius Sincerus. *Latine vero :* Reverens expositio et supplicatio Rmo Episcopatui Borussico. Verbum pro conciliatione a Vincentio Sincero. — Monachii 1774.

Ormanian M. — Le Vatican et les Arméniens. — Rome 1873. Imprimerie Romaine de C. Bartoli. Decr. S. O. fer. IV die 11 Martii 1874.

*Auctor Operis cui titulus :* Union generale dans le clergé séculier du sacerdoce et du mariage par l'abbé Caillet. — Meulan 1873. Prohib. Decr. 5. Febr. 1874, *laudabiliter se subiecit et Opus reprobava.*

*Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, ei quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.*

*Quibus.* SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX *per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis,* SANCTITAS SUA *Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

*Datum, Romae die 11 Iulii 1874.*

ANTONIUS CARD. DE LUCA Praefectus.

Fr. Hieronymus Pius Saccheri Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis.

Loco ^ Sigilli.

*Die 20 Iulii 1874 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum affxum ei publicatum fuisse in Urbe.*

Philippus Ossani Mag. Curs,

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

## DECRETUM

**Divionen. Beatificationis et Canonizationis ven. servae Dei Sor.Margaritae a SS. Sacramento monialis professae Ordinis Carmelitarum exealeeatorum.**

Instante R. D. Gustavo Canonico Gallot, Cubiculario honorario Sanctissimi Domini Nostri PII PAPAE IX et hujus Causae Postulatore, Emus et Rmus D. Card. Joannes Baptista Pitra, Causae Ponens, sequens proposuit Dubium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis « *An sententia Iudicis a Rmo D. Episcopo Divùxnen. delegati super Cultu praedictae Ven. Servae Dei non exhibito y seu super paritione Decretis sa: me: Urbani Papae VIII. sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* » Emi porro ac Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus accurate perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati, Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt « *Affirmative,* seu *sententiam esse confirmandam.* » Die 28 Novembris 1874.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio PAPAE IX. per infrascriptum Sacrorum Rituum Congregationis Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis in omnibus ratum habere ac confirmare dignata est. Die 3 Decembris anno eodem.

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERNO CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEF.

Loco ^ Sigilli.

*D. Bartolini S. R. C. Secretarius.*

# DECRETUM

**Toletana Beatificationis et Canonizationis ven. servi Dei Fr. Alphonsi de Orozco Sacerdotis Professi Ordinis Eremitarum sancti Augustini Provinciae Hispanicae, super Dubio: an et de quibus Miraculis constet in casu, et ad effectum de quo agitur?**

Inter sodales summi Augustini filios nova emicat sanctimoniae luce Venerabilis Alphonsus de Orozco Hispanus, qui veluti lucerna usque adhuc sub modio posita, nunc, temporum caligine circumquaque diffusa, super candelabrum collocatur ut omnibus luceat fidelibus, qui in domo Dei sunt. Hic dum vitam degeret in terris, Hispaniam verbi Dei praedicatione, piis lucubrationibus conscriptis, et virtutum omnium fulgore illuminaverat; praesertim effusae in pauperes charitatis exempla relinquens, quibus Sancti Thomae de Villanova consodalis sui praeclarissimus extitit imitator. Vita functo, sepulchrum haud famam sanctitatis eius simul contexerat. Siquidem instructis Ordinariorum et Apostolicae Sedis auctoritate Processibus, Virtutes eius penes Sacrorum Rituum Congregationem ad examen vocatae sunt. Quo feliciter absoluto, Summus Pontifex Clemens XII sa: me: decimonono Kalendas Septembris anni MDCCXXXII solemni decreto eas heroicas declaravit. Deinde Causa haec divinae, uti videtur, providentiae consilio siluit: ut hisce nostris diebus in maxima Hispaniae perturbatione, et Ecclesiae Catholicae ubique locorum persecutione ad exitum perduceretur. Quapropter instante Causae Postulatore de Miraculis quae a Dei virtute Venerabilis Alphonsi interventu post eius obitum patrata dicebantur instauratum est iudicium triplici experimento. Primo in Antepraeparatorio conventu apud Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Ostiensem et Veliternensem, Sacri Collegii Decanum, Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum Causaeque Relatorem coacto tertio Kalendas Septembris anni MDCCCLXX: secundo in Praeparatorio coetu quem Vaticanae exceperunt aedes pridie Idus Augusti anni MDCCCLXXIII; tertio in Generalibus Comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro Pio IX Pontifice Maximo in iisdem Vaticanis Pontifica-

libus Aedibus habitis decimosexto Kalendas Augusti anni vef tentis. Cum ibi Reverendissimus Cardinalis Constantinus Pa trizi Causae Relator proposuisset dubium : « *An et de quibu Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur i* singuli Reverendissimi Cardinales et Patres Consultores su protulere sententias. Verum Sanctissimus Dominus suam di tulit aperire mentem, omnesque exhortatus est ut secum prec funderent ad impetrandam ex alto virtutem Spiritus Sanet Adfuit quidem Patri Beatissimo divina haec virtus, proindeque Dominica XXV post Pentecosten voluit suum proferre iudicium. Quapropter oblatis prius sacris Mysteriis in privato suo Sacello, nobiliorem Palatii Vaticani aulam ingressus et in solio considens ad se accivit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Sacrorum Rituum Congregationi Praefectum et Causae Relatorem una cum R. P. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore et me infrascripto Secretario, iisdemque adstantibus solemniter edixit : « *Constare de duobus Miraculis, quae Deus Omnipotens Venerabili Alphonso de Orozco adprecante operatus est :* scilicet de primo : *Instantaneae, perfectaeque sanationis Paidi de Arleaga, Clerici Professi Ordinis Eremitarum S. Augustini ab arthrite acuta gravissimis stipata symptomatibus;* de altero: *Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Aloisiae Luzi Monialis a lethali concretione polyposa in dextera thoracis parte.* »

Huiusmodi Decretum in vulgus edi, et in Acta Sacrorum Rituum Congregationis referri mandavit. Decimoséptimo Kalendas Decembris Anni MDCCCLXXIV.

CONSTANTINUS EP. OSTIEN. ET VELIT. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEFECTUS.

Loco )J Sigilli.

*Dominicus Bartolini S. B. C. Secretarius**

# DE IUBILAEI EXTENSIONE
# A i J UNIVERSUM CATHOLICUM GREGEM
## PlhTOLA ENCYCLICA
## LEONIS PAPAE XII.

LEO PAPA XII.

*Venerabiles Fratres*
*Salutem ei Apostolicam Benedictionem.*

Caritate Christi urgente Nos, ut fructus passionis eius in omnes, quantum divinitus concessa Nobis, licet indignis, potestate possumus, derivandos curemus; insignibus fidei, pietatis, omnisque virtutis exemplis tum incolarum huius Urbis, tum advenarum , qui frequentissimi pro conditione temporum huc universalis Iubilaei causa convenerunt, magnam in spem erecti fore, ut ubique studia eadem Fidelium ad utilitatem animarum suarum , ad Dei et eius Ecclesiae gloriam excitentur ; votis Stem vestris obsecundantes, Venerabiles Fratres, et Principum Catholicorum, quibus vera felicitas cordi est gentium sibi subditarum, quemadmodum a fel. rec. Praedecessoribus nostris Benedicto XIV et Pio VI iactum est, Ecclesiae thesauros , uti Romae elapso anno sacro , ita in universis orbis terrae, regionibus aperiendos in Domino putavimus. Proinde Constitutionem ad universos Christifideles edidimus, qua Iubilaei eiusdem Indulgentiam extendimus, et quae pia opera, quoque temporis spatio ad eam consequendam praestari debeant, item permissas arbitrio vestro facultates iniuncta opera commutandi , aut redigendi , eorum commodo qui impediti legitime fuerint, indicamus, eamque, ut per Vos cognosci ab omnibus possit, Vobis mittimus. In re autem huiusmodi quam necessaria opera vestra sit, quantaque Vobis contentione sit labolandum, ut felices consiliis nostris exitus respondeant, nihil necesse est dicere. Tantum enim boni ex solemni hac anni sacri celebratione perceptum sunt populi, quantum diligentiae

st u d iique ad se , uti par est, praeparandos adhibuerint ; ut autem plurimum adhibeant, id ex curis pendet, quas in id, pro munere officii vestri pastoralis, impenderitis. Agnoscant igitur per Vos quid et quantum illud sit quod eis tribuitur. Ostendite thesauri pretium quem reseramus, et quam facile omnes possint eius divitiarum esse participes, tum ob amplissimas, quas ministris Poenitentiae concedimus facultates peccata remittendi , tum ob ipsam operum naturam , quae imponuntur peccatis expiandis. Scitis quanta fuerit ea in re disciplinae severitas in Ecclesia ante saeculum quartum decimum. Quicumque pro sola devotione, ait fel. rec. Praedecessor noster Urbanus II in' Concilio Claromontano, « non pro honoris, vel » pecuniae adeptione, ad liberandam Ecclesiam Dei ierusalem » profectus fuerit, iter illud pro omni poenitentia repute» tur. » Neque sane aliter tunc concedi plenariam indulgentiam solitám fuisse novimus, quemadmodum verba illa referens doctissimus ac piissimus Dei servus Beatus Iosephus Maria Thomasius Cardinalis animadvertit. « Hanc, inquit, plenariam » indulgentiam, in qua opus iniunctum gravissimum erat sum» ptibus, incommodis, laboriosissimis itineribus, et imminenT> tibus vitae periculis, ut potius videri possit immutatio poe» nitentiae, quam huius absoluta relaxatio ... hanc, inquam, » plenariam indulgentiam pro terra sancta alii postea Summi » Pontifices semper confirmarunt. » Lenitatem piae matris Ecclesiae imbecillitatem miserantis filiorum suorum, quae nunc onera tanto leviora ac faciliora pro bonis pretium omne excedentibus imponit, Fidelium considerationi proponentes , illud certe assequernini , ut nemo tam mollis et negligens reperiatur, quin bona illa velit tam parvo sibi comparare. Cavendum tamen est diligenter, ne inde occasione accepta, ut verbis utamur Sanctae Synodi Tridentinae , « peccata ipsa leviora » putantes, velut iniurii, et contumeliosi Spiritui Sancto, in » graviora labantur, thesaurizantes sibi iram in die irae. » Quare Ecclesiae quidem ea in re ostendatur liberalitas , sed nihil omnino diligentiae, atque industriae negligatur, quo redigant homines in memoriam quaecumque contra Dei legem (.oaimiserunt, eaque dolentes ex animo, ac detestantes integra

ac sincere confiteantur ; atque inde magis ad admirandam amandamque Dei benignitatem excitentur, qui se Iam facilem ac placabilem praebeat iis, qui nunquam satis plectenda impietate « semel a peccati, et Daemonis servitute per Bapti-
» smum liberati . et accepto Spiritus Sancti dono , scienter
» templum Dei violare, et Spiritum Sanctum contristare non
» formidaverint. »

Eam ob causam exemplum secuti Praedecessorum nostrorum, solemni indicto Iubilaeo, divinum auxilium ad prosperum tanti operis exitum publice implorari iussimus, sine quo nihil eiusmodi humana potest imbecillitas, et frangi populo panem verbi Domini tum in templis, tum in plateis , quo ministrorum ope salutis animarum zelo flagrantium, et catholicam de Indulgentiis, ac Iubilaeo doctrinam duceretur diligenter , et de omni Christiani instituti admoneretur officio, et ad sinceram poenitentiam gravissima oratione excitaretur.

Sibi igitur unusquisque vestrum, Venerabiles Fratres, hoc potissimum in tempore illud Prophetae dictum putet : « clama, ne cesses : quasi tuba exalta vocem tuam, et annuntia populo meo scelera eorum, et domui Iacob peccata eorum ; » et ipsi per Vos, quoad poteritis, et monitu vestro sacri oratores, quos elegeritis verbis ac vita ad movendos animos maxime idoneos, mculcent auribus omnium, quod omnibus comminatus est Christus: « nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. » Doceant, idipsum , nos ut poeniteat, petere supplici prece oportere, quod implorabat verbis illis Propheta : « converte nos Domine ad Te, et convertemur : » ostendant, quanta in Deum iniuria sit peccatum: incutiant salutarem animis terrorem severitate proposita divini iudicii, ac suppliciorum acerbitate quae parata sunt morientibus in peccato suo ; excitent vero spem in omnibus ab infinita Dei bonitate impetrandae misericordiae, qui se expectare affirmat, ut misereatur, cuius sunt voces illae durissimae : « convertimini, et agite poenitentiam ab
» omnibus inquinamentis vestris, et non erit vobis in ruinam
» iniquitas. Proiicite a vobis omnes praevaricationes vestras,
» in quibus praevaricati estis , et facite vobis cor novum et
> spiritum novum . . . . Quia nolo mortem morientis, dicit De-

» minus Deus : revertimini et vivite. » Ex quo illud facile consequetur, ut agnoscatur, quam dignus amore sit pater adeo bonus ac misericors, indeque subeat consideratio, quam indigna tanta bonitate ratio sit eum offendere; dolor denique intimus oriatur, ac detestatio peccatorum , certaque ac deliberata voluntas vitam et mores emendandi.

Ita internae ostensa poenitentiae necessitate , ad eamque comparatis Fidelium animis, de eadem quatenus sacramentum est, diligenter doceantur. Admoneant eos ministri verbi Domini , aeque necessarium esse illud degenerantibus post Baptismum, quam Baptismum ipsum nondum regeneratis, merito proinde dictum « secundam tabulam post naufragium , » qua una in aeternae salutis portum liceat pervenire: ostendant quo sensu doloris et humilitatis, qua fide, qua integritate confiteri peccata sua debeant; neque illud docere praetermittant, confessionem generalem persaepe utilem esse, certis autem in casibus omnino necessariam : abluta vero per absolutionem culpa, aeternaque poena condonata, temporalem plerumque superesse; ira omnino divina exigente iustitia, ut poenis saltem tempore definitis puniantur ii, quorum sceleribus nec ipsa nullis definita temporis finibus supplicia satis digna fuissent. Sic praeparatis animis, Fideles sancti Iubilaei fructus adipisci poterunt; sed ut opera qua par est pietate fiduciaque suscipiant, per quae hoc tantum boni sint adepturi, vestrum erit efficere, ut intelligant, ac certum et persuasum habeant, relictum esse Ecclesiae a mediatore Dei et hominum Christo Iesu inexhaustum meritorum suorum thesaurum, quibus et merita accedunt Beatissimae Virginis Genitricis eius , Sanctorumque omnium vi copiosae apud Dominum redemptionis eo dignitatis evecta, cuius divitias hominibus dividere, in eius esset potestate, quem Christus ipse visibile pro se invisibili in eadem Ecclesia caput constituisset ; eius nempe prudenti arbitrio merita illa modo amplius modo arctius applicari vivis ad modum absolutionis, mortuis ad modum suffragii posse, si quidem illi per Sacramentum poenitentiae culpam eluissent, aeternaque poena essent absoluti, hi vero si cum Deo caritate coniuncti migrassent c vita ; in ea vero meritorum illorum applicatione indulgen-

fiam esse positam, per quam temporales poenae apud divinam iustitiam peccatis debitae plus minusve relaxantur, pro modo applicationis a dispensatore thesauri illius Romano Pontifice constitutae, et quam Fideles ad eam afferant, praeparationis: ideoque plenariam esse indulgentiam Iubilaei, et ab aliis etiam plenariis indulgentiis distinctam, quae in modum Iubilaei conceduntur, propterea quod anno solemnis remissionis, qui Iubilaeus dicitur, amplior poenitentiae ministris ad hoc ipsum constitutis tribuitur facultas a peccatis absolvendi, et vincula atque impedimenta relaxandi, quibus non raro confitentium conscientia implicatur: dum autem universi Christiani populi in coelum ascendit deprecatio, certior in omnes ampliorque placati poenitentia Domini descendit miseratio.

Atque haec quidem, Venerabiles Fratres, docendi sunt populi; sed ut, quae docti fuerint, efficere cum fructu possint, quam necessaria sit apta et opportuna Sacerdotum opera, apud quos confiteri peccata sua' debeant, probe intelligitis. Quamobrem curandum sedulo Vobis est, ut ii, quos ad confessiones audiendas deligetis, ea meminerint ac pmestent, quae de ministro Poenitentiae praecipit Praedecessor noster Innocentius III., ut scilicet « sit discretus et cautus, ut more pe-
» riti medici similiter infundat vinum et oleum vulneribus
» sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et
» peccati, per quas prudenter intelligat, quale illi debeat con-
» silium praebere, et eiusmodi remedium adhibere diversis ex-
» peri mentis utendo ad sanandum aegrotum; » habeatque prae oculis documenta illa Ritualis Romani: « videat diligenter Sa-
» cerdos, quando et quibus conferenda, vel neganda, vel di-
» ferenda sit absolutio, ne absolvat eos, qui talis beneficii sunt
» incapaces, quales sunt qui nulla dant signa doloris, qui odia
» et inimicitias deponere, aut aliena, si possunt, restituere,
» aut proximam peccandi occasionem deserere, aut alio modo
» peccata derelinquere, et vitam in melius emendare nolunt;
» aut qui publicum scandalum dederunt, nisi publice satisfa-
» ciant, et scandalum tollant. » Quae quidem nemo non viderit quam longe ab eorum ratione distent, qui, ut gravius aliquod audiunt peccatum, aut aliquem sentiunt multiplici pec-

catorum genere infectum, statim pronuntiant se non poso disolvere, iis nempe ipsis mederi recusant, quibus maxima curandis ab eo sunt constituti qui ait : *non est opus valentibus medico , sed male habentibus ;* aut quibus vix ulla scrutandae conscientiae diligentia , aut doloris ac propositi satis videtur significatio, ut absolvere se posse existiment ; ac tum demum tutum se cepisse consilium putant, si homines in aliud tempus absolvendos dimiserint. Si enim ulla in re servanda est mediocritas, in hac potissimum servetur necesse est, ne vel nimia facilitas absolvendi facilitatem afferat peccandi, vel nimia difficultas alienet animos a confessione, et in desperationem salutis».adducat. Sistunt se quidem multi Sacramenti Poenitentiae ministris prorsus imparati, sed persaepe tamen huiusmodi, ut ex imparatis parati fieri possint, si modo Sacerdos viscera indutus misericordiae Christi Iesu, qui *non venit vocare iustos sed peccatores,* sciat studiose, patienter, et mansuete cum ipsis agere. Quod si praestare praetermittat., profecto non magis ipse dicendus est paratus ad audiendum, quam caeteri ad confitendum accedere. Imparati enim illi tantummodo sunt iudicandi , non qui vel gravissima admiserint fiagitia, vel qui plurimos etiam annos abnuerint a confessione ; *misericordiae* enim Domini *non est numerus, et bonitatis infinitus est thesaurus;* vel qui rudes conditione, aut tardi ingenio non satis in se ipsos inquisierint, nulla fere industria sua id sine Sacerdotis ipsius opera assecuturi ; sed qui, adhibita ab eo necessaria, non qua praeter modum graventur, in iis interrogandis diligentia, omnique in iisdem ad detestationem peccatorum excitandis , non sine fusis ex intimo corde ad Deum precibus, exhausta caritatis industria, sensu tamen doloris ac poenitentiae, quo saltem ad Dei gratiam in Sacramento impetrandam disponantur, carere prudenter iudicentur. Quocumque autem animo sint qui accedant ad ministrum Poe nitentiae , nihil ei magis cavendum est, quam ne sua culpa diffisus quispiam Dei bollitati, aut Sacramento reconciliationis infensus discedat. Quare si iusta sit causa, cur differenda sit absolutio, verhis, quoad poterit, humanissimis persuadeat confessis necesse est, id et munus < tiiciumque suum , et eorum

ipsorum salutem omnino postulare, eosque ad redeundum quamprimum blandissime alliciat, ut, iis fideliter peractis, quae salubriter praescripta fuerint, vinculis soluti peccatorum gratiae coelestis dulcedine reficiantur. Aptissimo eius caritatis exemplo inter ceteros esse potest S. Raymundus de Pennafort, quem insignem Sacramenti Poenitentiae ministrum appellat Ecclesia « Cognitis peccatis, inquit, adsit (confessarius) benevolus, » paratus erigere et secum onus portare ; habeat dulcedinem » in affectione, pietatem in alterius crimine, discretionem in » varietate, adiuvet confitentem orando, eleemosynas et caetera » bona pro eo faciendo, semper eum iuvet leniendo, consolando, » spem promittendo, et, cum opus fuerit, etiam increpando. »

Huiusmodi vero accepti patientia, ac benignitate caritatis peccatores aequiore etiam animo poenae se subiicient, quae sibi satisfactionis nomine irrogabitur. Animadvertant enim necesse est, non eam esse vim ac naturam Iubilaei, ut per eius indulgentiam omni solvantur homines obligatione offensae peccatis Dei iustitiae satisfaciendi, quasi vero quae poenitentibus eius rei causa a Sacerdotibus Sacramenti ministris per id tempus iniunguntur, praestare necesse non sit. Nam ad Sacra.-menti integritatem pertinet satisfactio illa, neque profecto alia Nobis mens esse potest, dum permissa a Christo potestate de severitate debitae peccatis poenae per indulgentiam remittimus, nisi ut illi dumtaxat tanto fruantur beneficio, qui omnia impleverint, quibus, eodem Ecclesiam suam docente Christo, didici mus velle iustitiae suae Deum per infinita ipsius Filii sui Redemptoris nostri merita satisfieri. Revocanda igitur vobis sunt in memoriam Poenitentiae ministris verba illa S. Concilii Tridentini : « debent Sacerdotes, quanlum prudentia suggesse» rit, pro qualitate criminum, et poenitentium facultate, salu» tares et convenientes satisfactiones iniungere; » et quod docet Catechismus eiusdem S. Concilii, in irroganda scilicet satisfactionis poena nihil sibi suo arbitratu statuendum esse , sed omnia iustitia, prudentia et pietate dirigenda ; qua ut regula peccata metiri videantur, et poenitentes suorum scelerum gravitatem agnoscant, operae pretium esse eis interdum significare quae poenae quibusdam delictis ex veterum canonum praescri-

pio, qui poenitentiae vocantur, constitutae sint; universaeque satisfactionis modum culpae ratione temperandum.

Quam in rem illud etiam hoc praesertim tempore misericordiae et remissionis opportune admonebuntur Sacerdotes, quod ait Doctor Angelicus : « Melius est quod Sacerdos poe- » nitenti indicet quanta poenitentia esset sibi pro peccatis in- » iungenda, et iniungat nihilominus aliquid, quod poenitens » tolerabiliter ferat. » Quod ipsum antea docuerat Chrysostomus: « Si nulla ex parte, inquit, parcere volens debitam adhi- » bueris sectionem, fiet saepe, ut animum ille doloris impa- » tientia despondens, atque adeo omnia simul detrectans cum » pharmacunvtum vinculum, se ipse praecipitem ferat, con- » trito iugo, et confracto laqueo. Equidem complures recensere » possim, quos constat in extrema mala adactos non ob aliud, » nisi quod digna ab eis poena, et quae peccatis perpetratis » par esset, exigeretur. »

Huc vero cum pertineat saluberrima haec, quae nobis divinitus facta est, potestas merita Dei et Hominis Christi Domini, et Sanctorum eius dispensandi, ut partibus omnibus impletis Sacramenti Poenitentiae, quidquid poenae adhuc sibi luendum supersit peccatorum supplere Fideles possint; date operam, ut intelligant, qua ratione, quo ordine, qua pietate, quae ad id iniuncta fuerint, sint exequenda. Discant supplicationes hasce, quae ad certas sacras aedes faciendae praescribuntur, instar esse quoddam stationum illarum, quae priscis Ecclesiae temporibus fieri solebant, cum mos fuit fidelium, ut certis diebus includerent se in sacris aedibus, ibique ieiuni orantesque, et annos suos recogitantes in amaritudine animae suae usque ad vesperam perseverarent.

Quod si nunc temporis Ecclesia tanto minus requirit a filiis suis ad hoc etiam, ut plenariam consequi indulgentiam possint, id non ita sane est interpretandum, quasi minorem existimet nunc, quam antea, delrvo nos D>o compensationem pro peccatis; sed dum laboriosa opera mitigat misericordia, quantum de asperitate remittit exterioris satisfactionis, tantum conari vult homines , ut interioris vi contritionis, piique ardore studii exsequendorum, quae imperaverit, operum interiori profectui afferant animorum.

Atque ad hoc illud refertur, quod inter iniuncta opera Sanctissimae Eucharistiae perceptio numeretur, qua, cum ipse in ea fons coelestium omnium charismatum ac donorum Christus Dominus contineatur, nulla profecto efficacior res est ad ignem excitandum perfectae caritatis : ex quo liquet quantopere in eam curam incumbendum Vobis sit, ut fidelis populus tanti Sacramenti vim et naturam doceatur, et optime affecto ac praeparato ' animo ad illud accedat.

Habetis, Venerabiles Fratres, quae velimus potissimum, quod ad sacrum pertinet Iubilaeum , fideles populos praemonere Freti studio vestro salutis commissarum Vobis animarum non modo Vos confidimus operam daturos, ut omnes ea studiose peragendo, quae indicavimus, plenariam, quam omnibus de inaestimabili Ecclesiae thesauro offerimus, consequantur indulgentiam ; sed ita consequantur, ut eius fructus etiam in posterum permaneat. Eo enim pro sollicitudine nostra omnium Ecclesiarum spectant vota nostra, dum beneficium huius nodi ad universos orbis Catholicos extendimos, ut omnis, si fieri potest, corruptela a moribus Christiani populi in perpetuum removeatur. In vestro quique grege , quae potissimum vitia dominentur, probe nostis. In ea igitur radicitus evellenda toto animo incumbere nunquam zeli vestri pastoralis desistat industria. Immane illud flagitium contumeliose in Deum loquendi quis credidissef fieri unquam posse, ut au .iretur inter Christianos? Atqui tamen nulla iam pene regio est, in qua non temere iuretur, ac sanctum et terribile nomen Domini usurpetur irreverenter, atque adeo non desint (horrescimus cogitantes, pudetque dicere) qui ei, quem Angeli gloriti ant, non vereantur maledicere. In huiusmodi impietatem , qua nulla maior Divinae Maiestati afferri potest iniuria, exardescat zelus vester, summaque ope in venatur....

Vestrum potissimum est decorem diligere domus Dei : at illud maximae curae Vobis esse debet, ne illa adeuntium cultu habituque minus decente, aut quavis irreligiositate violetur, quibus sane nihil eam magis dedecorai ; neve unquam excidant fidelibus monita illa Christi Domini: *Domus mea domus orationis est,* et: *zelus domus tuae comedit me.*

Meminerint admoniti per Vos populi praeceptum, quod ipse Dominus imposuit verbis illis: *memento, ut Sabbata sanctifices,* et horrendam illam in violatores sententiam: *Sabbata mea violaverunt vehementer: dioot ergo ut effunderem furorem meum super eos , ct consumerem eos :* in quo tamen tanta est multorum perversitas, ut vel non dubitent servilia exercere , vel quae immunitas ab huiusmodi operibus ad vacandum Deo praecepta est, ea ipsi ad vacandum Diabolo abutantur; ita se diebus festis ad comissationes, ad ebrietatem, ad libidinem, ad omnia Diaboli opera proiiciunt. Tollatur in perpetuum, quoad per Vos fieri poterit^ scandalum huiusmodi, succed itque Hii orandi studium , audiendique verbi Dornini, neque modo pie assistendo augustissimo Missae sacrificio, sed ipso sumendo Christi Corpore, saluberrima sacrificii ipsius participatio.

Quid vero de Ecclesiae praeceptis, quid nominatim de abstinentiae ac ieiunii observantia dicemus? Quotus enim iam quisque est qui praeceptum illud praesertim vel, ut par est, curet, vel etiam non omnino contemnat ? In hoc etiam intelligitis, quam necesse sit, Vos animum intendere, ut cognoscant Fideles quo praecepta Ecclesiae pertineant, quantaque tantae parentis auctoritatem veneratione prosequi debeant, de qua sponsus ipse eius Christus pronuntiavit : « si» quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus, et pu» blicanus. »

Omnis quidem aetas curas vestras, sibi vindicat, sed ea potissimum, ex qua futurus pendet Ecclesiae status et humanae societatis, quamque ideo coni u rata in utriusque perniciem omni ope ad suas partes adducere conatur impietas. Educationis eius ac disciplinae vel negligentiam vel perversitatem inde magna ex parte repetendam esse probe cognoscitis , ac nobiscum deploratis, quod iam homines Matrimonii sanctitatis et officiorum cepisse videatur oblivio; adeo crebro contractus, ut vocant, civilis, qui tot in regionibus usurpatur, occasione, sanctissimae Sacramenti illius leges violantur, quod, Paulo Apostolo auctore, *magnum est in Christo et in Ecclesia;* adeo invaluit iniquissima illa inter catholicos et haereticos

coniuges conventio, ut vel tota proles patris, vel mascula patris, femina matris religionem sequatur. Videtis igitur quanta Vobis suscipienda sit sollicitudo, ut fideles catholicam de Sacramento illo teneant doctrinam, et ad parendum adducantur Ecclesiae legibus, funestaque illa Christianae educationis pernicies, quantum eniti hortatu et auctoritate possitis, a Christiano populo amoveatur : generai im vero ut catholicis moribus atque institutis imbuantur adolescentes, et eisdem ipsis instando, et parentibus, et praeceptoribus, contendite.; praesertim vero ut caveant a seductoribus, ut adeo propagatam miserrima temporum conditione opinionum sententiam inque pravitatem, et unde teterrima malorum omnium seges orta est, libros religioni, moribus , quieti publicae infestos perhorrescant. Quae ut pestis prohibeatur a fideli populo, eum identidem admonendum curate, quam iuste ac salubriter et a Praedecessoribus nostris, et a Christianis Principibus cautum sit, ne libri huiusmodi retineantur, nullamque ea in re nimiam vigilantiam curamque existimate. Omnis autem aetatis, sexus, conditionis mortalibus consultum fuerit, si salutari pabulo assidue nutriantur verbi Domini . si frequens foveatur usus Sacramentorum, si pii coetus, quibus utrumque sit in primis propositum, vel provehantur quicumque sint, vel novi etiam instituantur.

Sed ad haec efficienda adiutoribus Vobis opus est, quos vocavit Dominus operarios in vineam suam. Quare admonete eos assidue quam non ipsis liceat esse otiosis. quamque necesse sit, ut operam suam conferant ad mores populi moderandos. Inquirite sedulo in eorum vitam, sermones, convictus, consuetudines: « manus enim sordida, ut ait S. Gregorius M., » aliam non lavat, et oculus plenus pulvere maculam non con» siderat; ita mundus debet esse qui vult aliena corrigere. » Ad cultus praeterea eorum exterioris gravitatem ac modestiam diligenter attendite. Ut autem docendis Fidelibus, et ecclesiasticis ministeriis recte riteque obeundis sint idonei, ne sitis experimento contenti, quod dederint antequam Ordinibus initiaivntur; sed curate, ut initiati nunquam desinant in rerum sacrarum studiis impigre se exercere. Quo spectat quod Con-

cilium Romanum habitura a Benedicto Xlii anno iubilaei 1725 de congregationibus decrevit Ecclesiasticorum « semel in una-» quaque hebdomada habendis, in quibus alternatim et rituum » et conscientiae casus proponantur, discutiantur, et practice » exerceantur ; » quodque proinde Vobis maiorem in modum volumus commendatum.

Ceteris vero Ecclesiasticis eos aequum est in omnibus excellere, qui excedunt dignitate. Eorum idcirco a Vobis ratio est habenda diligenter, ut nihil in eis reprehendendum populus animadvertat, quos maxime intuetur; sed ita Vobiscum consilio atque opera conspirent in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi, ut merito cum Concil. Trid. Ecclesiae Senatus dici possint. Parochorum praesertim curas et industriam acuite, ut ex praescripto eiusdem Sanctae Synodi « ple-» bem per se incessanter instruant, et Sacramentis reficiant, » quotidianas pro populo ad Deum preces et orationes effun-» dant, et laudabili vitae et conversationis exemplo , virtutibus , et morum disciplina omnibus praeluceant, viamque » salutis praemonstrent, » ceteris denique fungantur officiis, quae ibidem praescripta sunt.

Seminarium custodite ut pupillam oculi, et quicumque in spem Ecclesiae adolescunt. Clericorum institutio summae Vobis curae sit, acriterque vigilate ne quis, nisi indole, virtute, scientia vere se vocatum praeseferat in sortem Domini, sacris Ordinibus initietur. Neque eo minus religiosarum familiarum observantiae prospicite facultatibus utentes, quae Vobis a S. Concilio Tridentino vel tamquam Ordinariis, vel tamquam Sedis Apostolicae delegatis tribuuntur. Scholas et collegia adolescentium crebro in visite ad venena prohi benda praesentis aevi corruptelarum, omniaque ad normam dirigenda sanctissimae disciplinae. Instate, ut Moniales quae Deo voverunt religiose praestent, « et quas (uti monet Concilium Romanum) educan-» das ac formandas susceperis puellas convictrices, pie illas » et catholice instruant, incuaibantque, ne ipsarum ornatus et > vestes puellis inter sponsas Christi versantibus disconveniant.» Quae de celebratione synodorum, quae de visitatione dioecesium praecipiuntur a Concilio Tridentino partes ducite muneris

vestri gravissimas. Ea ut praescriptis ab eo temporibus mo~ doque religiose impleantur, Vobis etiam atque etiam commendamus. Inde enim et cognoscetis oves vestras, et quibus earum malis medendum sit, quibus commodis consulendum intelligitis. Omnium ordinum cura Vobis commissa est, sed praecipue pauperum, quibus ad evangelizandum se missum a Patre professus est Christus, in quos adeo praeclara singularis praebuit argumenta voluntatis. Probe autem intelligitis quam facile sit, ut, egestate impellente, omnes praesentis Dei beneficentiae fructum amittant. Bonis igitur Ecclesiae ita utimini, ut praeceptum Domini in exemplum impleatis : *quod superest date eleemosynam,* eaque fideliter praestetis, quae de bonorum illorum usu Episcopis praescribit Ecclesia: aditum h «beant ad Vos facilem egentium gemitus; divitum opem, eleemosynae praecepto quam saepissime proposito, pro eis implorate; eosque ab omni oppressione atque iniuria pro virili parte defendite. Contra foeneratorum iniquitatem, qui, ut ait Oalechis. Rom., miseram plebem compilant et trucidant usuris, inter cetera vehementer invehatur zelus vester, quod malum adeo miseris hisce temporibus invaluit... (1).

Inter pauperes autem eos praesertim caritati vestrae commendamus, quorum egestati vel orbitas, vel aegritudo veluti cumulus accedit, ut domus utriusque sexus adolescentibus alendis educandisque, invalidis aegrisque recipiendis tum quod ad corpus remque familiarem pertinet, tum quod ad animum , quam diligentissime accurentur.

Ne multa: pastores Vos estis ac magistri populorum. Vestrum idcirco est, Venerabiles Fratres, non modo vigilare, ne quos crediti Vobis greges *spiritualium bestia)-um patiantur incursus,* sed eos coelestis doctrinae pabulo nutrire monitis quidem legibusque salutaribus, at exemplo potissimum ; quo spectant quae et Vobis dicta sunt a Domino: « Vos estis lux » mundi... sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant » opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in » coelis est ; » quod unum maxime valet tum ad movendos

(1) Idem graviter agatur contra furti scelus quod tot modis totano damnis societatem conturbat.

Huimos, tum ad obstruendum os loquentium iniqua, secundum illud Apostoli : « In omnibus te ipsum praebe exemplum bo-
» nurum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate,
» verbum sanum irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est,
» vereatur nihil habens malum dicere de vobis. » Ita fiet, ut non modo quid agendum sit videant populi, sed ut agant re-ipsa, ac tamquam Apostoli, sic et Vos sal terrae sitis ; hoc est, putore adempto peccatorum , qua semel imbuti per Vos fuerint homines, vitae morumque integritas diutissime incor-rupta servetur. Haec; sunt vota nostra, hoc freti virtute stu-diisque vestris, Deo adiuvante, confidimus consecuturos, ut erroribus vitiisque profligatis, pietate corroborata, induant fideles, ut hortatur Apostolus, « sicut electi Dei sancti et di-
» lecti, viscera misericordiae, benignitatem, humilitatem, mo-
> destiam, patientiam, supportantes invicem, et donantes sibi-
» metipsis, sicut et Dominus donavit nobis: super omnia autem
» caritatem habeant, quod est vinculum perfectionis , » quod scilicet Christianas omnes simul iunctas secum fert, et con-servat virtutes, atque hominem Deo coniungit, in quo tota hominis perfectio est. Hunc fructum sacri Iubilaei maximum ex Christi Iesu Dei ac Redemptoris nostri meritis, Sanctorum-que omnium ut capere Vobis contingat laborum vestrorum ; huius ut Nos voti compotes faciat misericordiarum Pater et Deus totius consolationis per eumdem Filium suum Redem-ptorem nostrum, cuius eadem fuit precatio cum ait : *rogo, Pater, ut unum sint sicut et nos* , quanta possumus animi contentione obsecrantes Apostolicam Benedictionem Vobis, et commissis curae vestrae gregibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanet uni Petrum Octavo Kal. Ianuarii Armo Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vice-simo quinto, Pontificatus Nostri Anno tertio.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

# PII

DIVINA PROVIDENTIA

# PAPAE IX.

## EPISTOLA ENCYCLICA

## AD ARCHIEPISCOPOS ET EPISCOPOS REGNI BORVSS1CÍ

**VENBRABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS**
**ET EPISCOPIS REGNI BO'<VS*ICI.**

PIVS PP. IX.

*Venerabiles Fratres*
*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Quod nunquam eventurum arbitrati sumus, animo repu-
tantes ea, quae ab hac Apostolica Sede communi consilio cum
suprema Borussiae Potestate anno huius saeculi vicesimo \v. i-
mo pro rei catholicae incolumitate et bono constituta fuerant,
id infeliciter his temporibus factum esse perspeximus, Vene-
rabiles Fratres, in istis regionibus vestris, ubi tranquillitati,
qua fruebatur Ecclesia Dei, saeva et inopinata successit tem-
pestas. Legibus enim, quae non ita pridem adversus Ecclesiae
iura latae fuerant, quaeque perculerunt complures e Clero et
e fidelibus strenue officio perfunctos, aliae additae sunt, quae
divinam Ecclesiae constitutionem penitus subvertunt, et omni-
no sacra Episcoporum iura pessumdant.

Ac sane his legibus facta potestas laicis iudicibus, ut Epi-
scopos aliosque animarum curationi praepositos, e dignitate
et muneris exercitio deiicerent ; multa et gravia impedimenta
iis obiecta, qui pro Pastoribus absentibus ad legitimam iuris-
dictionem exercendam essent constituti ; indictum Capitulis Ca-
thedralibus, ut Vicarios eligerent, nondum vacante,, iuxta ca-
non's, Episcopali Sede; denique, ut alia omittamus, deman-
dala facultas provinciarum Praefectis, ut viros etiam acatbo-

lieos deputarent, qui Episcopis soffèrti eorum vice parique iure in Dioecesibus administrationi bonorum temporalium praeessent, sive sacris personis, sive usui ecclesiastico eadem sint destinata. Probe scitis, Venerabiles Fratres, quae damna, et vexationes ex his omnibus legibus, et aspera earumdem exequutione fuerint insequnta Consulto haec praeterimus, ne communem dolorem luctuosa recolendo augeamus ; at reticere non possumus calamitatem Dioecesium Gnesnensis et Posnaniensis, ac Dioecesis Paderbonensis ; traditis enim in custodiam Venerabilibus Fratribus Miecislao Gnesnensi et Posnaniensi Anti stite, ac Conrado Episcopo Paderbonensi, ac in eos sententia lata, qua ab Episcopali sua Sede et auctoritate per summam iniuriam deiecti declarantur, memoratae Dioeceses subsidio cgregiorum Pastorum suorum orbatae in gravium difficultatum et aerumnarum molem misere coniectae sunt. Atque ipsi quidem praedicti Venerabiles Fratres non deplorandi Nobis, sed suspiciendi et gratulatone prosequendi videntur , quippe qui divini memores effati « *Beati eritis cum vos oderint homines, et cum separaverint vos et exprobraverint, et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis* » (1) non solum detenuti non sunt impendenti periculo et legum animadversione, quin pro ministerii sui gravitate Ecclesiae iura et mandata custodirent, verum etiam decori sibi duxerunt et gloriae, sicut et alii istius regionis speditissimi Episcopi, quod damnationem immeritam et nocentium poenas propter iustitiam subirent, egregiam exhibentes virtutem in aedificationem totius Ecclesiae redundantem. At quamquam ipsis laudis ornamenta potius quam miserantis lacrymae debeantur; contemptus tamen Episcopalis dignitatis, violatio libertatis et iurium Ecclesiae, vexationes, quae non modo supramemoratas illas, sed et alias Borussici Regni Dioeceses premunt, a Nobis flagitant, ut pro Apostolico munere, quod Nobis , quamvis immerentibus, concredidit Deus, querelas Nostras contra leges illa-;, unde tot mala parta sunt et adhuc plura timenda, offeramus, et libertatem Ecclesiae iniqua vi depressam , ea qua possumus ratione et saoeta divini iuris auctoritate vindicemus.

(lj Luo. Vi, 22.

Ad Ii o s enimvero partes Nostri muneris implendas intendimus pei' _iasee literas aperta testatione denunciantes omnibus, ad quos ea res pertinet, et universo Catholico Orbi leges illas irritas esse, utpote quae divinae Ecclesiae constitutioni prorsus adversantur. Non enim potentes huius saeculi praefecit Dominus sacrorum Antistitibus in iis , quae ad sanctum ministerium attinent ; sed Beatum Petrum, cui non modo agnos, sed et oves suas pascendas commendavit (1), proindeque a nulla quantumvis sublimi saeculi potestate episcopali officio privari possunt ii, *quos Spiritus Sanctus,posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei (2).*

illud p rro accedit indignum illustri gente, idque ab acatholicis ipsis, partium studio haud obnoxiis, perspectum iri arbitramur, quod eae leges, severis munitae sanctionibus, acres animadversiones non obtemperantibus comminantes, et militarem manum paratam habentes ad executionem, pacatos atque inermes cives, merito ab iis aversos propter conscientiae dict amen, quod neque ignorare, neque contemnere ipsarum legum latores poterant, in ea ferme conditione saepe constituant, in qua sunt miseri afflictique homines, quos premit atque urget vis maior, quam nequeant avertere. Quare eae leges non liberis civibus indictae videntur ad rationabile obsequium exigendum ; sed quasi servis impositae, ut coactam obedientiam vi terroris extorqueant.

Haec tamen non ita volumus accipi, quasi iusta excusatione purgatos eos censeamus , qui propter metum hominibus obedire maluerunt, quam Deo: multoque minus quasi impune habituri sint a Divino. Iudice improbi homines, siqui sunt, qui unius civilis auctoritatis praesidio suffulti, paroeciales Ecclesias temere occuparunt, et sacrum ministerium in iis capessere «nisi sunt. Imo perditos istos et quotquot in posterum sese in Ecclesiarum regimen simili crimine intruserint, in maiorem excommunicationem iuxta sacros canones incidisse, et incidere ipso iure et facto declaramus ; monentes pios fideles, ut ad eorum sacra haud accedant, neque ab iis sacramenta

(1) Ioann. XXI. IO. 17. — S. August, de iund. ^ap. 4.
(2) Act. XX. 28.

suscipiant, atque ita ab eorum commercio consortioque prudenter abstineant, ne malum fermentum massam intaminataro corrumpat.

Has inter calamitates valuit ad leniendum dolorem Nostrum fortitudo et constantia Vestra, quam profecto, Venerabiles Fratres, in aspera dimicatione obeunda certatim aemulati sunt reliquus Clerus et fideles, quorum tanta fuit animarum firmitas in catholicis servandis officiis, tanta cuiusque in suo genere laus, ut omnium, vel alienissimorum, oculos et admirationem in se converterint. Nec secus fieri poterat: nam « *quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina* praepositi, *in tantum contra utile est et salutare cum se Episcopus per firmamentum, fidei fratribus praebet imitandum, P* **(1).**

Utinam levamen aliquod in hisce rerum angustiis Vobis afferte valeremus! Firma interim hac Nostra protestatione quoad ea omnia, quae divinae Ecclesiae Constitutioni, eiusque legibus opponuntur, nec non quoad vim, quae iniuste vobis infertur ; consilio certe, opportunisque monitis pro rerum circumstantiis Vobis non deerimus.

Illud autem sciant qui Vobis infesti sunt, quod renuentes vos praestare Caesari, quae Dei sunt, nullam Regiae auctoritati iniuriam allaturi estis, et nihil ex ea detracturi ; scriptum est enim « *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus* » (2); ac simul noverint, unumquemque vestrum tributum et obsequium Caesari dare paratum esse, non propter iram, sed propter conscientiam in iis, quae civili subsunt imperio et potestati.

Sic utraque officia rite obeuntes, Deique ordinationi obsequentes, alacri estote animo, atque uti coepistis, sic pergite. Non enim modica lucrati estis, quod patientiam habetis et sustiniustis propter nomen Iesu et non defecistis (3). Ipsum suspicite, qui vos graviora patiendo praecessit, et « *poenam probrosae mortis oppetiit, ut membra Eius videlicet discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate*

**(1)** S. Cypr. Epist. 4.
(2) Act. V. 29.
**(3) Apoc.** II. **3.**

*adversa diligere, prospera formidando declinare* » (1). Ipse, qui vos in hac acie constituit, pares cert imini vires praebebit. *In illo spes est, ei nos subdamus et misericordiam precemur* (2). iam illud, quod ipse praenuntiavit evenisse, cernitis : quod igitur Ipse promisit, indubie ab Eo praestandum esse confidite. *In mundo,* ait, *pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum* (3).

Huic itaque victoriae confisi pacem interea et gratiam a Spiritu **Si** ncto suppliciter adprecamur, et praecipuae dilectionis Nostrae testem Apostolicam Benedictioneai Vobis , universo Clero, et Fidelibus vigilantiae Vestrae commissis peramanter impertimus.

Datum Romae apud **S.** Petrum die 5. Februarii Anno 1875. Pontificatus Nosti! An. XXIX.

PIVS PP. IX.

(1) S. Gregor. M. Reg. Pa>(. p. I. c. 3.

(2) S. Aug. ser m. 55.

(3) Ioan n. XVI. 33.

# EX S. CONGREGAIIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## CONTRIBUTIONIS ONERUM

***Die 16 Augusti i872.***

**Compendium facti.** Alexander VII in Constitutione *Pastoralis officii* die P Aprilis 1657 agens de Patriarchalibus Urbis Basilicis haec inter cetera statuit: *Ut ipsi* (Cardinales) *in ecclesiis "sive Basilicis huiusmodi, in quibus Archipresbyteri dignitatem respective obtinent vel* **pro** *tempore obtinebunt divinis officiis interesse studeant et Vicarios deputent Praelatos graves et probos, congruo per Archipresbyteros praedictos eisdem constituto salario, quod non sit minus dimidia portione Archipresbyterali per Carnerarios et Depositariam Capituli, singulis mensibus, statutisque temporibus, praedictis Vicariis integre et sine diminutione solvendo,* onere tamen iniuncto *ut divinis officiis diebus de praecepto, et aliis earumdem Basilicarum* respective *solemnioribus interesse ac munus Praefecti in choro exercere omnino teneantur. Quod si praedictis diebus officio divino non interfuerint, puncletur portio eisdem Vicariis ut supra assignata in duplum eius quo mulctaretur quilibet Canonicus et muleta interessentibus eo ipso acer es eat.*

Constitutiones Capituli pati iarchalis Liberianae adprobatae per litteras Apostolicas in forma Brevis diei 22 Decembris 1854 haec fere repetunt: legitur enim in cap. 1. §. 2. *Vicarium praeterea congruo cum Salario a Capitulo statis temporibus persolvendo deputare debet (Archipresby ter y Item §. 4. legitur. < Eiusdem autem Vicarii Salarium minus esse nequit dimidii portione archipresbyterali ex Bulla Alexandri VII Pastoralis officii die 9 Apjrilis 1657. »*

Quaenam autem sit in praesentia eiusmodi portio ex iisdem capitularibus constitutionibus deprehenditur: in capite enim 2. 5, 6, 7 ita statuitur: *Nulla inter canonicales*

*Praebendas distinctio et differentia est* ex Bulla *Pauli V 29 Novembris 1609; omnes communiter administrantur ei viginti cadi s nus ti constant, qui ex responsionibus vinearum quotannis habentur. Portio huiusmodi cuilibet Canonico attribuitur, qui adhuc in Canonicorum numero III Idus Novembris recenseatur. Redditus mensae canonicalis, qui quotidianis distributionibus aequivalent ex Bulla Pii IV 20 Novembris 1561, unoquoque mense partiuntur* (idest scutata 25 pro unoquoque) *et instante festo paschalis Resurrectionis, nec non mense Septembri, ac recurrente pervigilio Nativitatis Domini, praeter menstruam portionem, et distributiones percipiant Canonici; ad has vero distributiones* (extraordinarias) *faciendas fructibus solummodo uti permissum est iam perceptis et maturatis, qui ex redditibus eius anni, subductis omnibus oneribus et expensis, supersint.*

Quare in Capitulo Liberiano distinguendae sunt Praebendae quae consistunt in determinata m usti quantitate quotannis mense Novembris distribuenda ; fructus canonicales, qui distribuuntur singulis mensibus ; et distributiones extraordinariae, quae ex redditibus, qui quotannis supersunt, constant.

Cardinalis Archipresbyter percipit solummodo Praebendas et fructus menstruos canonicales, non autem distributiones; idque derivare ex immemorabili consuetudine Canonici affirmant; ex qua pariter derivare dicunt quod Praebenda Archipresbyteralis non comprehendatur inter Praebendas canonicales quae sunt decem et septem ; et quod in constitutionibus Capitularibus determinentur Archipresbyteri emolumenta, nulla de distributionibus facta mentione. Etenim cap. 1. §. 4. legitur: *quae* (portio Archipresbyteri) *in Ecclesia nostra annuis scutati s nummis tercentis ultra praebendam cadorum viginti musti ex firmata iamdiu consuetudinis observantia constat.*

Facta itaque praecisione ab eiusmodi distributionibus, certum est, portionem Archipresbyteralem partem esse mensae capitularis, eamque aequare portionem cuiusque Canonici in scutati* annuis 300; quam tamen Cardinales Archipresbyteri

integram relinquere consueverunt proprio Vicario dum ex relata Constitutione Alexandri VII satis esset ut Vicario relinquerent dimidiam portionem; eaque numquam fuit imminuta ad tramites dictae Constitutionis.

Supervenientibus ex Subalpino Gubernio gravissimis taxarum oneribus mensam capitularem gravantibus, quaesierunt Canonici, a pro rata onerum impositorum dicta portio Archipresbyteralis imminuenda esset. Cum in diversa abirent, communi suffragio convenerunt rem dirimendam proponere S. Congregationi Episc, et Reg.

### Disceptatio synoptic».

#### EA QUAE PRO ARCHIPRESBYTERO SUNT DEDUCTA

Est itaque animadversum, eiusmodi archipresbyteralem portionem, quam in facto tamquam Salarium percipit Vicarius, non posse considerari veluti pensionem ; ideoque non posse invocari Decretum *Cum nuperrimis,* quod de pensionibus tantum agit. Quinimo quum in praedicta Bulla Alexandri VII nulla distinctio fiat; emolumentum Archipresbyterale Liberianae Basilicae haud censendum videtur natura diversum ab emolumentis Archipresbyterorum Basilicarum Lateranensis et Vaticanae; qui integram percipiunt Praebendam ut alius quivis canonicus. Attamen evenit quod Basilicae Liberianae Archipresbyter a distributionibus ordinariis eliminetur, quorum cumulus ni superet, indubie tamen aequa t dictam assignationem scutatorum 25 in singulis mensibus. Ex ea vero exceptione, quae brevitatis causa at iuris tramites non discutitur, inferri posse videtur 1. quod cum Archipresbyteri praebenda sit portio massae communis, non debeat omnia oneri sustinere eo quod omnia emolumenta non percipiat; 2. quod cum Basilicae Liberianae Capitulum lucretur distributiones extraordinarias, Archipresbytero ab iis excluso, praeter id quod contingit in aliis patriarchalibus Basilicis, nil mirum si onus supportare debeat praestandi Vicario Salarium.

Quae exclusio ab Emo Archipresbytero verus censetur abusus ad propriam favenda n i utilitatem. Observantia enim,

cui ÎLiLii ti lui' eiusmodi exclusio , adversus rationem et leges inducta videtur. Nam si Archipresbyter , vi Alexandrinae Bullae , est caput et prima Capituli dignitas , participare certe debet, sicut caeteri Canonici, de communi Massa; cum recta ratio omnino improbet quod caput Praebendam obtineat aliis inferiorem. Neque observantia quaevis adversus Decretalium titulum « *ut beneficia sine diminutione conferantur* » sufficiens videtur ad reddendam legalem quamlibet Praebendae imminutionem; quae cum ad Massam communem pertineat natura sua aliis par esse deberet; observantia autem contra rationem et ius attendi nequit S. Rota dec. 319. n. 39. part. 11. rec.

Quum praeterea ad quamlibet observantiam inducendam necessarius sit concursus scientiae et patientiae quorum interest, qui ab ea praeiudicari possunt Rota decis. 406. n. 7. part. 1. dec. 328. n. 6. part. 4. tom. 1. haud videtur in casu solidum deduci posse argumentum in contrarium, stante iure quod praedecessorum acquiescentia, et conniventia praeiudicium nequeant successoribus inferre Sperell. decis. 67. n. 20 et seq. Piton, discept, eccles. 50. n. 42. Rota dec. 454. n. 4. part. 3, rec.

Verum si pure et simpliciter actualis rerum status accepto habeatur, observantia praedicta est factum quod scindi nequit in proprium commodum, sed necessario admitti debet sicuti est. Card. De Luca de decim. disc. 17. n. 6 et 9. Probrosum enim summopere esset observantiam invocare in eo quod proprium commodum respicit, reu cere in eo quod incommodum infert. Indubium autem est Archipresbytero portionem traditam fuisse constanter in specifica et integra quantitate Scut. 300. et quamvis fundi capitulares passi sint, variis temporibus, augmentum taxarum vulgo *dativae* et taxae ecclesiasticae, Capitulum nihil unquam huic summae detraxit.

Igitur sicuti observantia titulus censetur legitimus ad excludendum Emum Archipresbyterum a distributionum quotidianarum participatione, ita efficax et sufficiens esse debet ad eximendam eius assignationem a quacumque imminutione, etiam intuitu onerum recentium. Neque aliter forsan esse

posset. Constitutiones enim capitulares clare determinant unde distributiones extraordinariae desumi debeant. *Ad has vero distributiones faciendas fructibus solummodo uti permissum est iam perceptis et maturatis, qui eoe reditibus eius anni, subductis omnibus oneribus et expensis supersint.*

Hae distributiones ergo sunt id quod superest de communi Massa deductis expensis; ita ut si nihil superesset distributiones hiusmodi locum non haberent; at dici non posset Capitularis Massa ab omnibus expurgata expensis et oneribus nisi deductis oneribus (di ricchezza mobile e di mano morta) relate etiam ad portionem Archipresbyteralem ; tum quia, cum ista sit ..aequalis aliorum canonicorum portionibus, integra servanda videtur impensis Massae communis; tum quia citatae constitutiones onera et expensas non distinguunt, sed exigunt ut expensae omnes praeleventur. *Subductis omnibus oneribus et expensis.* Ita ut sicuti ex praedictis redditibus solvuntur praediales taxae, canones, census et quaevis expensa fixa aut eventualis Massam communem gravantes in genere, ideoque in specie etiam pro Archipresbyteri portione ; sic ex iisdem reditibus satisfieri debet oneribus specialibus (di ricchezza mobile e di mano morta). Praetensa igitur et postulatio gravandi his oneribus portionem Archipresbyteralem omnino contrariae videntur Constitutionibus capitularibus, quae distributionem tantum admittunt ex communis massae reditibus ; qui *subductis omnibus oneribus et expensis supersint.*

### EA QUAE FAVORE CAPITULI SUNT DEDUCTA

Verum ex adverso haud dubitari posse videtur assignationem favore Vicarii praestari debere ab Emo Archipresbytero; dum expresse legatur in Bulla Alexandri VII *congruo per Archipresbyter os praedictos eisdem* (Vicariis) *constituto salario* quod verbum *constituere* haud significare videtur simplex officium determinandi salarii quantitatem ; sed onus assignandi illudque praestandi propius impensis; talis enim est vocabuli eiusmodi significatio in iure Romano in formulis *constituere pignus L. ex iure §. 1. ff. ex quib. caus. pi g n*

*vel itypoth. tav. cont. L. un. Cod. de rei uxor. act. consti/aere pecuniam lib. 13. tit. 5. ff. depecun. constit, constituere dotem.*

Et eo sensu praedictam Bullam interpretantur Capitula Patriarchalium Basilicarum Lateranensis et Vaticanae et etiam Liberianae, quae nullum adhuc salarium rependere, nec Vicarius illud a Capitulo unquam expostulavit. Proindeque Camerarii et Uepositarius dictorum Capitulorum designati videntur veluti personae *adiectae solutionis gratia;* quae non praestant Vicario stipendium *iure et nomme proprio,* sed nomine et vice Emi Archipresbyteri.

Quapropter controversia, in qua quaeritur an Vicarii assignatio subiici debeat nec ne alicui imminutioni, referenda non videtur ad Capitulum; quod tantum proprias rationes experiri vult super assignationem ab eo praestandam Emo Archipresbytero, nullimode curans iura eventualia tertii cuiusdam, cui rependere debeat eandem portionem.

Ponderanda insuper veniunt adiuncta aliqua eiusmodi controversiae. Etenim Emus Archipresbyter strictam, aequalemque societatem habet, et ut ita dicam, perfectam bonorum communionem ; ergo sicuti communia sunt commoda ita et onera communia esse debent ; neque naturalis aequitas concedit ut detrimenta emergentia aliquos impetant, non omnes e societate...

Incassum autem obiiceretur, Emum Archipresbyterum gravari non posse his oneribus, nisi prius et ipse ad percipiendae extraordinarias distributiones admittatur: hae enim exclusivum emolumentum Canonicorum constituunt per observantiam immemorabilem ; ad quam revocandam in dubium separatum iudicium institui deberet. Sed Capituli Camerarii censent introspicere eiusmodi observantiae fundamentum legitimum in differentia quae intercedit inter Emos Archipresbyter trium Patriarchalium relate ad beneficiorum minorum et capellaniarum collationem ; de qua differentia agitur a Riganti §. 3. ad Regulam secundam Cancellariae Apostolicae a N. 166 ad 305. In Lateranensi enim: *proprietas et substantia iuris conferenti e i · indivisa inter Capi'n'um. et Cardinalem Archi-*

*presbyterum, el per alternas hebdomadas dividitur exercitium collationis.* In Vaticana: *proprietas et exercitium collationis beneficiorum est divisum per singulas hebdomadas inter Capitulum et Cardinalem Archipresbyterum.* In Liberiana autem quamvis aeque divisum sit *ius et exercitium conferendi beneficia ita ut Capitulum et Archipresbyter sint duo corpora diversa, quae nihil commune habent in hebdomada alterius,* tamen exercitium eiusmodi ibi constituit specialitatem, quae non habetur in Lateranensi et Vaticana; quoniam turnus inter Emum Archipresbyterum, et Capitulum locum non habet *in alternas hebdomadas* sed devolvitur joro *duabus hebdomadis ad Eniti m Archipresbyterum et pro una ad Capitulum* ex Brevi Pii IV diei 21. Dec. 1561.

Praeterea notum est in iure *collatio et ius turnandi est in fructu.* Rota Dec. 603. N. 2. part. 4. divers. Romana clericatus 13. Maii 1695 cor. Priolo. Quinimo esse fructum pretiosiorem omni pecuniario emolumento docet Lagunez in tractatu de fructib. part. 1. cap. 31. §. 1. N. 21. « Magni » lucri et fructus collationes istae et praesentationes sunt ae- » stimandae; nam cum eis non solum voluntas in personarum » electione simpliciter adimpletur, sed etiam consanguineorum, » familiarium et amicorum obligationes remunerantur ; unde > e contra voluntatem in iis electionibus et aliis actibus im- > plere suoque desiderio satisfacere si quis impediatur, grave » damnum sentire notarunt Bartolus. » Proindeque si Emus Archipresbyter S. Mariae Maioris haud lucratur quotidianas distribui iones, quas lucrantur Archipresbyteri aliarum praedictarum Patriarchalium, habet tamen duplum turnum in collationibus, quod censendum est correspectivum quod nobilitate et abundantioribus fructibus praestat.

Nihil autem obstat portionem Archipresbyteris tempore praeterito non fuisse decurtatam neque onere illo quod vulgo dicebatur la tassa del Clero ; namque eiusmodi laciUtas est merum ^«merariorum factum quavis approbatione Capituli destitutum, neque per capitularem resolutionem unquam probatum; quod proinde neque iura neque obligationes inducere potest. Praetere;!, oniu tum Clero impositum vix summam

attinge bat soufatorum 15; quod ab administratoribus Massae capitularis negligi poterat, quia *parum pro nihilo reputatur.* Sed aequitas haud sineret ut indulgentia habita pro oner parvo sit causa gravandi Capitulum pro portione Archipro-sbjteri omnibus oneribus gravissimis quae ab actuali Gubernio imposita sunt, et in posterum imponentur.

His aliisque praenotatis propositum fuit eno'andum

**B) n foi u m**

« An portio canonica Emi Archipresbyteri pro tempore » pati debeat decurtationem pro oneribus superadiunctis (di » niano morta e di ricchezza mobile) in casu ? »

RESOLUTIO. S. Congregatio EE. et RR. die 16 Aug. 1872, ciusa cognita respomhr; censuit:

*Negative.*

EXINDE COLLIGES

I. Emi Archipresbyteri portionem de communi Massa, quam in facto percipit tamquam salarium, non posse considerari veluti pensionem, pro qua invocare liceat Decretum *Cum nuperrimis,* quod ad pensiones proprie dictas tantum refertur.

II. Consuetudinem, propter quam Emus Archipresbyter excluditur a distributionibus extraordinariis, quas ceteri Canonici percipiunt, constituere emolumentum Emi Archipresbyteri in tali conditione, qua incapax fit cuiusvis augmenti ; proindeque, dum conino lis non giudei, nec onera sentire debere.

# EX S. CO GREGATIDNc iNuULGENfiARUM

## SEXIO INEUNTE CENTENARIO S. BONAVENTURAE

### ECCLESIAE DOCTORIS

A PIA QUADAM PERSONA SUPPLICES PRECES PORRECTAE SUNT
SS. D. N. PIO PAPAE IX UT INDULGENTIAM ALIQUAM CONCEDERE DIGNARETUR
OMNIBUS QUOCUMQUE IDIOMATE RECITANTIBUS SEQUENTEM ORATIONEM.

*Devotissima oratio S. Bonaventurae Episcopi Card. Doct. ex Opusculo - Stimuli amoris - deprompta.*

Domine Sancte, Pater Omnipotens, aeterne Deus, ¡propter tuam largitatem, et Filii tui, qui pro me sustinuit passionem et mortem, et Matris eius excellentissimum sancti taten], atque Beati Francisci, et omnium Sanctorum merita, concede mihi peccatori, et omni tuo beneficio indigno, ut te solum diligam, tuo amore semper sitiam, beneficium passionis continuo in corde habea u, meam miseriam recognoscant et ab omnibus conculcali et contemni cupiam : nihil me contristet nisi culpa. Amen.

Die 11 Aprilis 1874

Summus Pontifex Pius Papa IX propria manu rescripsit: *Benedicat vos Deus in bonis operibus, et concedat vobis centum dies de vera indulgentia, semel m die lucrandos ab omnibus Christifidelibus supradictam precem devote recitantibus* .

PIUS PAPA IX.

Praesens Rescriptum manu SSmi exaratum exhibitum fuit in Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae hac die *22* Aprilis 1874 ad formam Decreti eiusdem Sac. Congregationis diei 14 Aprilis 1856. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria -die et anno ut supra.

*Dominicus Sarrn Substituí* ***iis.***

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

## DECRETUM

**Unionen. Beatineitionis et Canonizationis Ven. Servi Dei Aloisii Mariae Baudouin Institutoris Congregitionis Filiorum Mariae Immaculatae, et Società ir? TJrsulinarum a Iesu nuncupatarum, vulgo De Chavagnes.**

Quum Idibus Novembris anni 1873 Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX benigne induisent ut de Fama sanctitatis Vitae, Virtutum, et Miraculorum in genere Ven. Servi Dei Aloisii Mariae Baudouin praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et Voto Consultorum, instante R. D. Gustavo Canonico Gallot, Cubiculario Honorario eiusdem Sanctissimi Domini Nostri et Causae Postulatore. Emus et Rmus D. Card. Joannes Baptista Pitra sequens Dubium dis utiendum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum subsignata die habitis, nimirum « *An constet de Validitate et Relevantia Processus Apostolica Auctoritate Lucionii constructi super Fama Sanctitatis Vitae, Virtutum et Miraculorum in genere praedicti Ven. Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur?* » Emi et Rmi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati, Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt « *Affirmative* ». Die 28 Novembris 1874.

Quibus per infrascriptum Secretarium fideliter relatis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit.

Die 3 Decembris Anno eodem.

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERNO CARD. PATRIZI

S. R. C. PRAEF.

I **oct**-^Sigilli.

*D. Bartolini S. R. C. S<'<-rttarius,*

# EX S. POENITENTIARIA 'APOSTOLICA

## SUPER DUBIIS

*n >>nnlV. indictum Iubilaeum r espi. ìen.'ibus.*

DECLARATIONES.

Certum est perspicuis fuisse conceptam verbis Literam Encyclicam (1) Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae IX sub die 24 Decembris 1874; ita ut nullum ambigen« Ii locum-esse videretur. Attamen aliqua exorta sunt dubia quae a variis locorum Ordinariis S. Poenitentiariae Tribunali solvenda fuerunt proposita. S. hoc Tribunal semper de bono animarum spirituali sollicitum libenter de more excepit proposita dubia et sub die 25 Ianuarii 1875 has quae sequuntur dabat Literas.

Sacra Poenitentiaria, mandatis obsequens Sanctissimi Dñi PII PAPAE IX, super petitionibus a nonnullis locorum Ordinariis Sanctae Sedi oblatis, occasione Iubilaei anno proxime elapso, die 24 Decembris indicti, haec, quae sequuntur, ex Apostolica auctoritate declarat.

1. Ne quis fidelium ob Ecclesiarum visitandarum defectum a lucrando Iubilaeo impediatur, Sanctitas Sua locorum Ordinariis facultatem concedit, in iis locis, in quibus praedictus Ecclesiarum defectus verificetur, designandi minorem Ecclesiarum numerum, seu etiam unam, si unica tantum adsit Ecclesia, in quibus, seu in qua, fideles aliarum Ecclesiarum visii u iones peragere possint, eas vel eam visitando iteratis ac disi i nctis vicibus, eodem die naturali vel ecclesiastico, usque ad integrum numerum in Apostolicis Litteris praescriptum.

2. Indulget insuper eadem Sanctitas Sua, ut, durante Iubilaeo , fideles rite dispositi absolvi possint etiam a crimine

(1) Relata fuit pag. 18i. Voluminis huius.

haeresis ; firma tamen obligatione abiurandi errores seu haeresim, reparandi scandala etc. prout de iure.

3. Declarat vero, vi praesentis Iubilaei una tantum vice absolvi posse a censuris et casibus reservatis, et similiter semel tantum acquiri posse ipsius Iubilaei indulgentiam ; manere tamen in suo vigore indulgentias a Sancta Sede concessas et expresse non suspensas aut revocatas.

4. JJeclarat, unica Confessione et Communione non posse satisfieri praecepto paschali et simul acquiri Iubilaeum.

5. Non posse autem absolvi Confessarios, qui complicem absolvere r;usi fuerint.

6. Qenique Ordinariis Italiae declarat, in praesenti etiam Iubilaeo locum habere resolutiones dubiorum, ab ipsa S. Poenitentiaria editas sub die 1 Iunii 1869 (1) excepta resolutione dubii sub n. 14; semel enim tantum, prout dictum est, praesentis Iubilaei Indulgentia acquiri potest.

Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae in S. Poenitentiaria die 25 Ianuarii 1875.

ANTONIUS M. CARD. PANEBIANCO M. P.

*Laurentius Canonicus Peirano S. P. Secr.*

Verum iis ad Episcopos vix expeditis nonnulla alia per varios locorum Ordinarios eidem S. Tribunali exhibita fuere enodanda dubia, quae prouti sese habent cum suis resolutionibus referuntur.

I. An inter Ecclesias visitandas recenseri possint Oratoria publica *i*

R. *Affirmative dummodo ipsa Oratoria sint publico cultui addicta et in iis soleat Missa celebrari.*

II. An ad distinguendas numero visitationes necesse sit, et sufficiat, ut fideles egrediantur, et rursus in eamdem statutam Ecclesiam ingrediantur?

R. *Affirmative.*

III. An Ordinarius loco Ecclesiarum visitandarum possit designare diversa eiusdem Ecclesiae Altaria aut Cruces per agros erectas, sive erigendas ?

(1) Vide, si vis, huiusmodi resolutiones relatas **in Volumine V. pag. *?S. hai** um **Ephemeridum.**

R. *Standum esse Encyclicae « Gravibus Ecclesie » et Liens Poenitentiariae diei 25 Ianuarii 1875.*

IV. An tempore *paschali* unica Communio et unica Confessio sufficiat pro lucrando Iubilaeo?

R. *Ad lucrandum Iubilaeum requiri confessionem et communionem distinctam a confessione et communione paschali.*

V. An fideles qui comitantur aut sequuntur Capitula, Congregationes et Confraternitates processionaliter pro lucrando Iubilaeo Ecclesias visitantes gaudeant indulto eisdem Capitulis et Congregationibus concesso?

R. *S. Poenitentiaria, consideratis expositis, de speciali et expressa Apostolica Auctoritate respondet: Fidelibus cum Capitulis, Confraternitatibus, Congregationibus etc. seu cum proprio Parocho aut alio Sacerdote ab eo deputato Ecclesias, pro lucrando Iubilaeo, processionaliter visitantibus applicari posse ab Ordinariis Indultum in Literis Apostolicis eisdem Congregationibus et Capitulis concessum.*

VI. Aliis in lubilaeis concedi solet facultas commutandi vota *dispensando;* in praesenti vero conceditur tantum facultas ea commutandi; intelligi ne potest etiam in hoc casu concessam fuisse facultatem vota commutandi *dispensando ?*

R. *Negative.*

VII. In Literis Apostolicis conceditur facultas dispensandi super praescriptis ad Ecclesias visitationibus peragendis cum infirmis, in carcere aut captivitate existentibus, vel aliqua corporis infirmitate, seu alio quocumque impedimento detentis; quaeritur num ad hunc effectum legitimo impedimento dei enti habendi sint ruricolae, quorum viculi procul a quacumque Ecclesia distant?

R. *Satis provisum per Encyclicam.*

VIII. Quatenus quatuor in die visitationes praescriptae in Ecclesia eadem peragi debeant; quaeritur num ad huiusmodi visitationes inter se distinguendas necesse sit post unamquamque Ecclesia egredi; an vero sufficiat, in eadem Ecclesia manendo, de uno in alium locum transire, aut etiam tantummodo assurgere uti pro Stationibus S. Viae Crucis vulgo usuvenit?

R. *Necesse esse egredi ab Ecclesia*

# a S. CONGREGATIONE S. R. U. INQUISII.

## DF.**rir**/iTJM

Feria IV. Die J3 Ianuar ii J8J5.

Suprema Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium io iota Republica Christiana contra haereticam pravitatem Inquisitorum Generalium in Feria IV. die 13 Ianuarii 1875 damnavit et proscripsit, sicuti damnat et proscribit atque in indicem librorum prohibitorum referri mandavit libros qui sequuntur.

I. Del Sangue purissimo e verginale della Madre di Dio Maria SS. - Operetta Dommatico-Ascetica. Napoli 1863.

Auctor laudabiliter se subiecit et opus improbavit.

II. Del Sangue Sacratissimo di Maria - Studii per ottenere la festività del medesimo - Perusia 1874.

Auctor laudabiliter se subiecit et opus reprobavit.

Eadem die et Feria.

Sanctissimus Dominus Noster PIUS Divina Providentia PAPA IX, audita super praemissis relatione, una cum voto, EE. DD. Cardinalium in soina audientia R. P. D. Adsessori impertita Decretum confirmavit et promulgari mandavit.

Mandavit praeterea Eadem Sanctitas Sua per huiusmodi promulgationem monendus esse alios etiam scriptores, qui ingenia sua acuunt super iis aliisque id genus argumentis, quae novitatem sapiunt, ac sub pietatis specie insuetos cultus titulos etiam per ephemerides promovere student, ut ab eorum proposito desistant, ac perpendant periculum quod subesl pertrahenda fideles in errorem etiam circa Fidei dogmata, et an-

sara praebendi Religionis osoribus. ad detrahendum puritati doctrinae catholicae ac verae pietati.

Datum Romae die 28 Ianuarii 1.875.

Fr. Vincentius Leo Sallua Ord. Praedic. Commissarium Generalis S. R. et Univ. inquisitionis.

Iuvenalis Pelami S. Rom. et Univ. Inquis. Notarius.

Loco >g Sigilli

Die 29 Ianuarii 1875 ego infrascriptus magist er Cursorum testor ^upradictum Decretum affixum et publicatum fuisse in Uroe.

*Philippus Ossani Mag. Cur s*

# EX S. CONGREGATIONE CONCIL f I

## EXISTENTIAE CONFRATERNITATIS.

***D i e l o* Augusti** *1873.*

**ComiiemiBuiia facti.** Anno 1749 Vincentius quidam Alossandrello Sacerdos fundavit in Ecclesia S. Blasii civitatis C. Dioecesis S. Congregationem Charitatis ad sepelienda inopum cadavera, statutaque condidit ad rem opportuna, inter quae *ut omnes et singuli qui societati nomen essent daturi sepelire gratis tenerentur pauperum cadavera, vestes ad instar aliarum, Confraternitatum deferendo* ( vulgo il sacco col cappuccio ) ; *qui vero iis carerent, in pectore deferrent imaginem B. M. Virginis a Septem doloribus nuncupatae.* In aliis vero capitibus cultum Deiparae Septem dolorum commendabat, solemnem diem festum constituebat, processiones et publicam eleemosynarum collectionem praescribebat.

Eiusmodi statuta in decursu S. Visitationis Episcopus probavit his verbis: *Die 12 Septembris 1750. Stante praemisso consensu Reverendi Archipresbyteri, confirmamus supr aser ipta Capitula Congregationis Charitatis ad sepelienda inopum cadavera; quam quidem institui ac peragi volumus tvi aliqua Capella matricis Ebclesiae* ( licet alibi legatur Ecclesiae S. Blasii) *ab ipsomet Archipresbytero designanda; reservantes nobis et successoribus nostris iura visitandi, addendi, demendi, de novo efformandi, glossandi.*

Contigit autem quosdam de Ecclesia Collegiata SS. Annuntiatae eiusdem civitatis die 10 Iunii 1751 obtinuisse a Priori generali Servorum Mariae literas pro erectione Confraternitatis Septem dolorum B. M. Virginis de consensu tamen Ordinarii, et dummodo alia similis in ipso vel alio loco ad tria passuum millia hactenus erecta non fuisset.

*Nos qui generalem eiusdem Ordinis curam gerimus sperantes fore ut ex hac spirituali gratiarum et indulgentiarum participatione, Christifideles ad devotionem ac pietatem magis magisque excitentur, auctoritate Nobis a Summis Pontificibus concessa, praesentium tenore , licentiam et facultatem, accedente tamen consensu Ordinarii, erigendi dictam Confraternitatem in supra memorato loco et Ecclesia Collegiata eiusdem loci sub titulo SS. Annuntiatae in Domino impertimur, dummodo tamen alia similis in ipso vel alio loco ad tria milliaria propinquo hactenus erecta non fuerit.*

Has literas" Regius Consiliarius Fisci patronus mandavit exequi quoad participationem indulgentiarum tantum. Archiepiscopus vero, auditis interesse habentibus, id est Parocho et Praefecto Congregationis charitatis, rescriptum edidit, quo facultas fiebat, ut ad normam diplomatis a Generali Servorum Mariae benigne concessi, in Ecclesia Collegiata SS. Annuntiata utriusque sexus Christifideles po sent sese inscribere culiui Virginis Septem dolorum, facta Decano et successoribus eius pro tempore potestate benedicendi Scapularia et coronas cum indulgentiarum applicatione, erigendi in dicta Ecclesia altare B. M. Virginis sub titulo septem dolorum, in quo vel die veneris cuiuslibet hebdomadae, vel omnibus diebus Festis, Dominicis praesertim, recitaretur Rosarium B. Mariae dolentis, exclusa tamen facultate peragendi processionem, aut aliam functionem sacram.

Ex duplici hac institutione magnus aemulationis exarsit ignis inter Congregationem charitatis et SS. Annuntiatae, cum utriusque societatis confratres dicerent se ad veram Confraternitatem Septem dolorum pertinere, atque hinc ad invicem iura et privilegia cum nomine sibi usurparent. Querelae inde non semel tum in Curia Episcopali expositae, tum in Tribunali civili, in quo sententia lata est pro Congregatione charitatis.

At post varios eventus, tandem Curia Archiepiscopalis utramque Congregationem, lata sententia, probavit, denegata tamen Societati SS. Annuntiatae facultate processiones aliasti u e publicas functiones peragendi.

Iudicio non acquiescontes sodales SS. Annuntiatae causam detulerunt ad S. Concilii Congregationem; atque haec ab utriusque partis advocatis exposita.

QUAE PRO CONFRATERNITATE SS. ANNUNTIATAE DICTA SUNT.

Duo demonstrare aggressus est huius Societatis defensor: 1. Congregationem charitatis existentem in Ecclesia matrice non esse veram Confraternitatem B. M. Virginis perdolentis. 2. Hanc esse vere et proprie piam Societatem existentem in Ecclesia Collegiata SS. Annuntiatae.

Primum quaestionis caput probare contendit ex quo, talis erit quaelibet pia Societas qualem nomen indicat denotatque, et decretum auctoritatis ecclesiasticae eam instituit, atque esse volui!; non enim credibile est, Societatem quandam appellari nomine diverso ab fine quem sibi praefixit, vel decretum ecclesiasticum, quod est vel princeps vel unica causa coefficiens, ex quo proprium esse, propriamque formam piae Societates induunt, respexisse finem potius extrinsecum quam intrinsecum Societatis, et ab eo hanc voluerit appellari. At certum est, sodalitium Ecclesiae matri* fuisse erectum sub proprio et singulari titulo Congregationis Charitatis. Si igitur contigit illud appellatum fuisse septem dolorum, id non de proprio titulo intelligendum est. sed lato improprioque sensu ; quatenus scilicet Congregatio instituta fuerat sub patrocinio Dolentes Virginis.

At ex proprio fine, propriisque legibus melius dignosci sodalitiorum naturam. Manifestum autem esse ex fundationis lege, sodalitium charitatis fuisse institutum in aliqua Capella S. Blasii; pro Congregatione vero SS. Annuntiatae erigi debuisse, atque fuisse erectum altare sub titulo septem dolorum ; hanc coalescere ex utriusque sexus fidelibus, illud viris solummodo ; primae onus incumbere qualibet sexta feria, et quolibet festo die, praesertim Dominico, recitandi coronam septem dolorum, et quolibet anno, vel Dominica tertia Septembris, vel Dominica passionis celebrandi Festum Septem dolorum; fratres vero charitatis debere quolibet mense confessionem peragere, et recitare coronam septem dolorum tantum prima die veneris

cuiuslibet mensis, atque die Festo Beatae Mariae Virginis Septem dolorum communionem peragere. Potiora vero esse quae peraguntur in honorem Virginis dolentis in Societate SS. Annuntiatae, quam quae fiunt in sodalitio charitatis; illa ergo, non istud vocanda est vera Septem Dolorum Confraternitas.

Quem vero latet, veram Confraternitatem septem dolorum erigi non posse absque auctoritate Prioris generalis Servoium Mariae? (1) at sodalitium charitatis auctoritatem eiusmodi nec habuit, nec petiit ; quanam ergo de causa dicendum erit Virginis dolentis Confraternitas? Neque huius auctoritatis defectus suppleri aut sanari potuit per eas apostolicas literas, quibus illi indulgentiae concessae sunt ; Pontifex enim ideo indulgentias concessit, quia supponebat verae Confraternitatis existentiam ; quae cum de facto non existeret, tota ' dispositio corruebat; de cetero Pontificum intentio in indulgentiarum concessione nihil influit in erectionem alicuius piae societatis quae tota stat ex legitima fundatione, non vero ex privilegiis vel specialibus gratiis a R. Pontifice obtentis (2).

Ut vero adstruat secundum quaestionis-caput, quod scilicet sodalitium existens in Ecclesia SS. Annuntiatae non sit

**(1) Advocatus citat Ferraris Biblioth. canon. verb. Confraternitas Art. 1 N.26. At in eo loco auctor non loquitur de Confraternitate Septem dolorum, sed de Confraternitatibus SS Rosarii, de quibus dicit:**

**1. Innocentium XI in Constitut.** ***Exponi Nobis*** **confirmasse et validasse omnes et singulas Confraternitates sub titulo SS. Rosarii in quibusvis locis posi tas et existentes, licet de earum canonica ab initio erectione et institutione non appareat.**

**2. Ad duo sequentia dubia: 1. An si inscio Patre Generali Ord. Praedicatorum, per Ordinarium erigatur Confraternitas SS. Rosarii, Confratres reipsa fruantur indulgentiis in Brevi Apostolico per eosdem obtento expressis. 2. An fruantur etiam aliis indulgentiis in dicto Brevi Apostolico obtento non expressis quas tamen aliis Confratribus SS.. Rosarii a diversis Summis Pontificibus concessas esse constat? S. Congreg. Indulgentiarum ad utrumque respondisse negative**

**3. In posterum tamen decrevisse quod non aliter Confraternitates SS.Rosarii erigerentur, nisi requisitis prius et obtentis a Generali Ord. Praedicatorum litteris facultativis.**

**(2) Hae enim gratiae tunc tantummodo in erectionem influèrent, si erectionis invaliditas in supplici libello exponatur, et rogetur Pontifex pro sanatione quorumcumque defectuum, et simul pro indulgentiarum concessione. Hoc enim in casu, si Pontifex indulgentias concedit, quamvis de defectuum sanatione mentionem non faciat sanasse censetur cum non pi aestimatur gratias speciales concedute societati non existenti.**

nuda pia societas, sed germana et unica Confraternitas Virginis perdolentis (1) primo loco producit literas Generalis Servorum Mariae, in quibus facultatem concedit *erigendi Confraternitatem in Ecclesia, Collegiata SS. Annuntiatae;* Generalem autem facultatem concessisse ad mentem postulantem, qui confraternitatem proprie dictam, non nudam societatem rogabant; atque de cetero *verba intelligi debere secundum communem usum loquendi.* L. Librorum ff. de legat.

Ordinarium vero in exeeutoriali decreto diei 4. Ianuarii 1752 nihil huiusmodi literis abstulisse, immo eas plenissime exequi mandasse. Ad haec statuta illico prodivisse , in quibus methodus praescribitur recitandi coronam Septem Dolorum, atque perdolenti Virgini altare erectum, statis diebus coronam recitatam, atque festum celebratum ab ipso sodalitio; qua de causa nihil eorum defuisse quae in erectione alicuius Confraternitatis substantialia sunt.

Neque se moveri affirmat difficultatibus ab adversa societate propositis, quod scilicet Confraternitas SS. Annuntiatae et Statutis careat, et a laica potestate probata, non fuerit. Statuta enim non deesse: quod autem approbatione Ordinarii destituantur non nocere cum ea praesumi debeat ex plus quam centenaria huius confraternitatis existentia, hanc vero praesumptionem validissimam esse, ex quo Episcopus aggressionibus contrariae Congregationis obstiterit, et Confraternitatem SS. Annuntiatae protexerit. Consensum insuper praesumi posse ex centenaria observantia probat auctoritatibus Cardinalis De Luca de *aliénât,* discept. 2. n. 2-3 et Pitonii discept.

**(1) Ursa v a Tom. VIII Part. 1. Discept. XIII, n. 9. inter Confraternitatem et Congregationem hoc ponit discrimen: Confraternitates sunt illae, quarum confratres habent specialia vexilla, et propria insignia, tenentur induere se saccis , et intervenire in processionibus , ac aliis sacris functionibus propriae Confraternitatis Congregationes vero e contra sunt privatae quaedam hominum aduuantiae, qui privatim, de licentia tamen Ordinarii, congregantur in aliquo particulari et determinato loco , qui non sit Ecclesia publica, ibique certis temporibus sua peccata confiteri , et Eucharistiae Sacramento refici solent, nec non audire exhortationes et admonitiones alicuius patris spiritualis, qui eos in rebus spiritualitatem concernentibus instruat; numquam varo hi figuram faciunt in processionibus publicis, nec saccis seu specialibus indumentis utuntur.**

eccl. 115. n. 22. (1). Dato vero quod praedicta Confraternitas statutis oareat, nihil id obesse, quia ex carentia statutorum non licet ad inexistentiam Confraternitatis arguere, teste Lucidi *De Visitat. SS. LL.* vol. 2. pag. 448. §. 140. (2).

Quid vero est quod allegetur defectus approbationis 'laicae potestatis, cum haec nihil conferat in rebus canonicis . et dato quod aliquid conferat, praesumi omnino de' eat ex observantia plusquam centenaria?

Adversa itaque Congregatio non est neque esse potest vera germanaque Confraternitas Septem Dolorum, tum quia erecta fuit sub titulo Congregationis charitatis ad sepelienda inopum cadavera, tum quia erecta non fuit a Praelato regulari ad id potestatem habente ; eam e contra, quam tuetur, esse veram Confraternitatem Septem dolorum, quia et erecta fuit a legitimo Praelato, et ab Ordinario confirmata, quia regulas sibi condidit, et opera sui propria instituti exercuit, possessionem sui iuris servavit, et a perturbatoribus protexit.

**(1) Cardinalis enim de Luca loc. cit loquens de Constitutione Urbani VIII tollente beneplacitum praesumptum ex lapsu temporis longissimi, praeservante autem centenariam inquit: Primo aspectu attendendum videretur tempus editae Constitutionis, adeo ut. tunc existeret centenaria per eam praeservata, ex regula, quod praeservativae naturae est ni hii dare vel tollere, sed conservare id quod invenit in suo statu.... et consequenter praesupponit subiectum iam existens conservabile, quod dici non potest, ubi tunc dictum centenarium tempus lapsum non esset, quoniam quod non existit, praeservari non potest.**

**Pitonius vero loc. cit.Quod consensus Episcopi praesumatur ex observantia, maxime in negotiis propriae Ecclesiae cathedralis et. sui Capituli , cum quo assidue versatur et unicum corpus efformat traduntMascardus, Lambertinius etc Immo cum agatur de observantia centenaria non suium praesumitur Statutum fuisse ab omnibus pro tempore episcopis ratificatum et approbatum, sed etiam inducitur praesumptio beneplaciti apostolici, cum Centenaria praesumat meliorem titulum de mundo, et per consequens confirmationem Statuti factam in forma specifica per Sedem Apostolicam, ut saepe firmavit Rota.**

**(2) En verba Unius auctoris loc. cit. Si quando contingat, ut S. C. Ep. et Reg. intelligat, statuta in sodalitio, de quo agitur, vel non extare, vel ea quae extant, aliquo gravi defectu laborare, praecipere nqn omittit, ut eadem iuxta allatam Ecclesiae disciplinam conficiantur, vel corrigantur, et emendentur , quod pluribus in casibus praescriptum fuisse vidi.**

EA QUAK PRO CONGREGATIONIS CHARITATIS DICTA SUNT.

Defensor Congregationis Charitatis matricis Ecclesiae bipartitalo disceptationem proposuit; et pro clientibus quidem locutus est 1" de chiedo praesentis quaestionis, 2° de iure exi stendi Confraternitatis sub titulo dolentis Virginis, vulgo dell'Addolorata. Contra adversarios vero conatus e*t ostendere I° defectum erectionis, 2° impossibilitatem existendi, 3° possessionem illis non opitulari.

Ad 1um itaque ait, obiectum praesentis quaestionis aliud esse nequire quam existentiam alterutrius e contendentibus confraternitatibus; impossibile enim esse ut ambae simul existant, cum utraque documenta ad se trahere studeat ad suipsius existentiam evincendas, quae necessario, una admissa, alteram excludunt. Quapropter etiamsi Confratres SS. Annuntiatae coexistentiae contentos sese dechrarent, coexistentia tamen huiusmodi semper impossibilis maneret, cum in eodem loco duae confraternitates Septem dolorum tum ex dispositionibus iuris pontificii, tum Generalis Servorum Mariae esse non possint. Pleno autem iure subsistere Congregationem Charitatis evidentissime demonstrat ex Bulla Clementis VIII quae incipit *Quaecumque a Sede Apostolica* in qua Pontifex, ut Confraternitas aliqua legitime subsistat duo requirit: I° Ordinarii consensum, 2" ut nulla alia eodem nomine, titulo vel invocatione similis eodem in loco habeatur (1). Al exploratum

**(1)** ***En partes ¡ r neci nunc Bullae a Clemente VIII editae die 7 Decembris 1604 Pontificatus an, XIII.***

§. 2. Quibus (id est pravis consuetudinibus in ipsis Confraternitatibus ob negligentiam praepositorum vel alias causas introductis) nos, pro commisso nobis apostolicae sollicitudinis officio, paternaque erga omnes Christifideles charitate prospicere volentes, hac nostra Constitutione perpetuo valitura decernimus, ut imposterum, tam huius almae urbis nostrae, quam aliarum civitatum et locorum totius Christiani orbis, regularium Ordinum, religionum et institutorum (quibus ia

esse Congregationi charitatis Ordinarii consensum accessisse, nullamque aliam similem tunc in loco extitisse; legitime ergo fuit instituta, ct iure pleno extitit, et existere debet.

eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis Confraternitates Saecularium erigendi et instituendi facultas concessa est) nec non etiam Archiconfraternitatum et congregationum cuiusvis nationis, nominis et instituti illae sint, et in quibuscumque ecclesiis, domibus et oratoriis, tam saecularium, quam, ut praefertur, quorumcumque, etiam mendicantium ordinum, religionum, et institutorum regularium, quavis tam ordinaria quam apostolica auctoritate erectae ac institutae existant, seu alias quovis modo introductae reperiantur (quibus alias Confraternitates et congregationes instituendi, erigendi ac sibi aggregandi, illisque privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta praedicta elargiendi et communicandi potestas a Romanis Pontificibus, vel a Nobis et Apostolica Sede attributa fuit), magistri, priores, praepositi, rectores, gubernatores, praeceptores, primicerii, praelati, custodes, guardiani, praefecti, administratores et alii officiales, seu superiores quovis modo nuncupati; regularium siquidem Ordinum, religionum et institutorum, unam tantum confraternitatem et congregationem, de consensu tamen Ordinarii loci, et cum litteris eius testimonialibus, quibus confraternitatis et congregationis erigendae et instituendae pietas, et christianae charitatis ofificia, quae exercere cupit, apud eos commendentur, in eorum et quibuscumque aliis ecclesiis et collegiis erigere et instituere.

§ . 3 . Caeterarum vero archiconfraternitatum et congregationum in singulis civitatibus, oppidis vel locis, unam etiam confraternitatem et congregationem dumtaxat, quae apostolica vel ordinaria auctoritate prius erecta, ac nulli alteri ordini, religioni, instituto, Archiconfraternitati et congregationi, eiusdem vel alterius nationis, nominis et instituti aggregata sit, praevio similiter loci Ordinarii consensu, et cum eius litteris testimonialibus, quibus eiusdem confraternitatis et congrega-

Haec sed vero nullimode infringi quod hic agatur de Congregatione charitatis ad sepelienda inopunj cadavera, non de vera Confraternitafe; nullimode enim congregai ion i s appellatio

tionis aggregandae institutum, pietas et christianae charitatis officia, quae exercere consuevit, apud eos commendentur, sibi adiungere et aggregare possint.

§. 4. Huic vero confraternitati et congregationi erigendae, instituendae, seu aggregandae, ea tantum privilegia , indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias et indulta, quae ipsi ordini, religioni, instituto erigenti, instifuenti ac communicanti, seu Archiconfraternitati et congregationi aggreganti nominatim et in specie, non autem quae per extensionem vel communicationem sibi quovis modo concessa sunt, et illa quidem non sub generali forma verborum , vel ad instar, sed expresse et in specie communicare valeant.

§. 5. Statuta autem pro regimine ordinum, religionum et institutorum erigendum et instituendum ac communicantium, seu Archiconfraternitatum et congregationum aggregandum edita, confraternitatibus, et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandi?,, et quibus communicationes privilegiorum et aliorum praedictorum fiunt, impertiri non possint, nisi ea prius ab Episcopo dioecesano examinata, et pro ratione loci approbata fuerint, quae nihilominus eiusdem Episcopi decretis, ac moderationi et correctioni in omnibus semper subiecta remaneant.

§. 6. Insuper volumus et ordinamus ut praedicti ordines, religiones, instituta erigentia, instituenda ac communicantia, nec non Archiconfraternitates et congregationes aggregant.es, certam erigendi, instituendi, aggregandi, et communicandi formulam a nobis novissime approbatam diligenter observent, ^ecundum quam privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta ipsis ordinibus, religionibus, institutis erm mtibus, instituentibus ac communicantibus , seu Archiconfiat !. uitatibus et congregationibus aggregantibus, nominatim et expresse, non autem per.communicationum, neque

pugnare potest cum Confraternitatis existentia, si revera quae in Congregatione aliqua fiunt Confraternitatem revelant. Confraternitas enim iuxta Capon *DU:ept. • 276. n.* 7. nil aliud

ad instar, ut supra, concessa, ipsis confraternitatibus et congregationibus erigendis, instituendis et aggregandis, et quibus communicationes fiunt, communicare possint.

§. 7. Quibus confraternitates et congregationes eiusdem dumtaxat nationis et nominis, ordinis, religionis et instituti, archiconfraternitatis e^ congregationis cui aggregantur, tam hactenus aggregatae, quam imposterum aggregandae utantur, potiantur, et gaudeant , ita ut dictarum confraternitatum et congregationum erectarum, institutarum, et aggregatami!), ac quibus communicationes factae sunt, ministri et officiales, et alii supradicti, privilegia, indulgentias, facultates aliasque spirituales gratias et indulta huiusmodi, praevia tamen recognitione Ordinarii loci, qui adhibitis duobus de eiusdem ecclesiae capitulo, illa iuxta sacri Concilii Tridentini decretum promulganda decernat, debitis temporibus promulgare valeant.

§. 8. Quibus etiam ministris, officialibus et aliis praedictis eleemosynas et alia oblata christianae charitatis subsidia iuxta modum et formam per Ordinarium loci praescribendam... excipiendi potestas detur... Eleemosynas autem sic collectas in reparationem et ornatum Ecclesiarum... aut in alios earum pios usus____arbitrio Ordinariorum locorum respective, fideliter exponei e atque erogare procurent, ut omnes intelligant coelestis Ecclesiae thesauros, non quaestus aut alicuius lucri causa, sed pietatis et charitatis excitandae gratia ex apostolicae Sedis benignitate christifidelibus aperiri.

§. 10. Demum statuimus et pariter ordinamus^, ut confraternitatem et congregationes, ubi vis locorum, quavis auctoritate, ut praefertur, erectae et institutae, et quibus communicationes praedictae factae sunt, ac cuicumque ex dictis ordinibus , religionibus, institutis, archiconfraternitatibus et congregationibus ubilibet existentibus hactenus aggregatae, ab eisdem respective ordinibus, religionibus, iuaitutis Archicon-

es[4] qnam *Congregatio plurimorum hominum per viam s>>d<ditafis ad opera pietatis exercenda;* haec autem definitio apprime convenit sodalitio charitatis, cum in eo opera pietatis exerceantur per viam sodalitatis. Equidem in primo statutorum capitulo non fuit utique expressum sodalitium institui in formam Confraternitatis; certum est tamen uti Confraternitatem ab omnibus illico habitum fuisse, Confraternitatem a Benedicto XIV in Brevi Indulgentiarum fuisse appellatum . Confraternitatem retentum fuisse ab Ecclesiasticis et civilibus potestatibus per spatium 120 annorum.

fraternitatibus, et congregationibus, novas erectionum , institutionum, communicationum et aggregationum litteras, iuxta formam a nobis novissime approbatam, infra annum, si in Europa sint, et si extra Europam fuerint, infra biennium a die publicationis praesentium in Romana Curia faciendae computandos, impetrare teneantur; alioquin dicto tempore elapso erectiones, institutiones, et quaecumque communicationes privilegiorum, facultatum etc. nullius sint roboris, ac revocatae et abolitae censeantur eo ipso.

**In eiusmodi porro Constitutione Clemens VIII statuit:**

**1 unam tantum Confraternitatem eiusdem instituti et generis posse in Ecclesiis tam saecularium quam regularium institui et aggregari.**

**2. Id fieri debere de consensu Ordinarii et cum litteris testimonialibus eiusdem.**

**:) Instituentes vel aggregantes Confraternitatem eidem expresse et in specie communicare debere privilegia et indulgentias Ordini instituenti vel aggreganti nominatim concessa, non vero ea, quibus gaudet per privilegium communicationis (intellige cum aliis Ordinibus;.**

4. **Statuta Confraternitatis examinanda et approbanda esse ab Ordinario, et corrigi posse.**

***b.* In aggregandis et instituendis Confraternitatibus servandam esse formulam ab eodem Pontifice approbatam.**

**6. Gratias et indulgentias Confraternitati communicatas, praevia cognitione Ordinarii dumtaxat, esse promulgandas.**

**7. Confraternitates eleemosynas et alia charitatis subsidia excipere posse iuxta formam per Ordinarium praescribendam.**

**8. Dictas eleemosynas pro arbitrio Ordinarii in utilitatem Ecclesiae, aliosque pios usus erogandas. Attamen ex Clementina Bulla quaerere quis posset:**

**Quid si plures eiusdem nominis et instituti Confraternitates ante praedictae Bullae promulgationem erectae in eodem loco inveniuntur ?**

**Resp. Posse conservari; at deberent petere novas erectionis litteras iuxta formam a Pontifice approbatam.**

Et praetermissa approbatione civilis potestatis. Episcopi approbatio eiusmodi fuit ut amplior concipi nequeat; nedum enim approbavit Capitula et erectionem confirmavit, sed etiam voluntatem expressit ut institutio tandem aliquando fieret in aliqua Capella matricis Ecclesiae, prout facta est; ex qua institutione ius certissimum acquirebat sodalitium charitatis exsistendi erectioni cuiuslibet Confraternitatis, eiusdem tituli, invocationis, et instituti. Atque hinc factum est, ut cum ageretur de instituenda societate in Ecclesia SS. Annuntiatae, Ordinarius interesse habentes audiverit, id est Confratres praecipuos charitatis. Qua de causa Ordinarius sodalitium charitatis ut veram Confraternitatem septem dolorum habuit atque recognovit; "sin minus enim ad quid sodales interrogasset cum nullum interesse et ius haberent, impediendi quominus alia septem dolorum Confraternitas institueretur, eum similis nulla existeret?

Quid vero nocet quod Clemens VIII in cit. Bulla potestatem visus sit Episcopis fecisse eas Confraternitates tantummodo instituendi, quarum erectio vel aggregatio **ab** Ordinibus vel Confraternitatibus nascitur? expresse vero nullam Ordina, iis facultatem contulerit nova sodalitia instituendi? Barbosa enim De Officio et potestate Episcopi part. 3. Alleg. 75. n. 2.. et alii Canonum tracta t ores eo usque potestatem Episcopalem circa Confraternitates magnificant, ut eam necessariam putent, etiam ut statuta valida sint (1). iure igitur pleneque iure Confraternitas charitatis ut germana septem dolorum confraternitas dicenda est.

(!) Baibosa loc. cit. nil aliud propugnat nissi Episcopi ius visitandi Contraternitatcs et hospitalia, iis exceptis quae sub regum immediata protectione sunt: et nil dicit de statutorum episcopali approbatione ut valida sint; (Episcopi » etiam tamquam Sedis Apostolicae de- » legati habent ius visitandi hospitalia, *n* collegia, quaecumque, acConfraternita- » tes laicorum etiam quas scholas, sive » quocumque alio nomine vocant, non » ta m o u quae sub regum immediata *n* ^protectione sunt sine eorum licentia, » ex disposit. Conc Trid. Sess. 22 de Re- •> format. « De cetero ea quae Advocatus affirmat, disertis verbis habentur in Bulla relata Clementis VIII.

Quaeri hic posset: si Episcopo visitan ti hospitale aut Confraternitatem opponatur quod sub immediata Regum sint protectione, ad quem pertinet eognoscere exceptionis veritatem atque de ea feire iudicium? Respond, extra controversiam esse non ad saecularem indicem, sed ad Episcopum pertinere.

At vero haec iura exiliare a Congregatione instituta in Ecclesia SS. Annuntiatae certissimum est tum ex conditionibus a Priore generali servorum Mariae appositis, tum ex restrictionibus in executoria ab Ordinario expressis. Quandoquidem literae Prioris generalis sub duplici conditione datae fuerunt I° ut Ordinarii consensus accederet, 2° Ut nulla alia in loco ad tria milliaria propinquo similis Confraternitas existeret (1). At Ordinarium rem omnem ad Indulgentias, ad ius adscribendi fideles, et benedicendi coronas et scapularia Decano Capituli factam coarctasse, denegata licentia peragendi processiones aliasque publicas funcíiones, ex ipso executoriali Decreto constat; in quo pariter nulla mentio habetur de sacco, de stemmate, de statutis, aliisque huiusmodi quae in Confraternitatibus potissima sunt. Confraternitatem ergo Ordinarius instituere noluit.

At sit quod instituent, illa existere nequit ea prorsus de causa, quod alia existebat Confraternitas eiusdem nominis et invocationis in Ecclesia matrici. Similitudo enim et identitas Confraternitatum conficitur *eoo nomine, invocatione, titulo, habitu*, quae omnia in utraque habentur Confraterni tate; quare posterior instituta, si unquam tamen fuit instituta , existere, stante altera priori, nequit.

Equidem Clemens VIII in cit. Bulla non dixit Confraternitatem posteriorem annullari debere ubi alia similis iam existit, sed commentatores unanimiter affirmant nullitatem posterius erectae esse pro certo tenendam (2).

(1) Neque fratres SS. Annuntiatae obiicere poterant nullitatem existentiae Confraternitatis charitatis , quod haec a Priore generali Servorum Mariae erecta non fuerit, prout expresse habetur in relata Bulla Clementis VIII; nam:

1. Certum est ipsis facultatem datam esse a praedicto Generali erigendi Confraternitatem dummodo alia eiusdem nominis et instituti in eodem loco non existeret, nulla facta exceptione an ab ipso vel ab alio fuerit instituta.

2. Non ad Confratres SS. Annuntiatae , sed ad Episcopum pertinebat in rem inquirere, et iudicium ferre antequam alia Confraternitas erigeretur.

(2) Revera Pignatelli Consult. Canon. Tom. IV. Consult. XVIII, inquit: « Si in aliqua Ecclesia reperitur altare » cum imagine devota, non potest ne» que debet aliud altare cum eadem ¡.'imagine vel invocatione erigi... Et » quod una Ecclesia vel universitas » possit alteri prohibere assumptionem » novi nominis sibi praeiudicialem di*n xit* etiam Rota in Ampuriensi deno» minationis Canonicorum 20 aprilis » 1646 coram Meltio. » Oouirauimu„

Undenam vero possessionem existentiae adversae societatis fratres praetendere possunt? Nonne enim anno 1794 querelas ad Ordinarium detuleie quod magno et extraordinario clamore Festum Virginis dolorosissimae a Confratribus Charitatis celebratum fuerit? Confratres ergo charitatis erant iam tunc in existentiae possessione; et ab anno 1794 ad annum 1803 nonne isti aemulos denunciaverunt ob publicam eleemosynarum collectionem, nec non ob alia iura quae sibi usurpaverant? Porro re ad iudicem criminalem delata, hic sententiam tulit, non existere confraternitatem septem dolorum in Ecclesia SS. Annuntiatae, sed tantum fidelium adscriptionem. Nonne ineunte anno 1827 Regium Siciliae Gubernium omnibus Confraternitatibus cum indixisset ut statuta ederent adprobauda, sin minus suppressae fuissent, duae tantummodo recognitae fuerunt, Confraternitas scilicet SS. Sacramenti, et Confraternitas vulgo dell'Addolorati, id est charitatis, cui tunc praeerant Iosephus Cipolla, et Canonicus Donzelli? Ergo, dato etiam, quod Confraternitas adversa extiterit, a civili gubernio suppressa fuit: quae civilis gubernii in res canonicas sententia etiamsi nulla

**ergo charitatis iure prohibere potuit Con fraternitatis alterius institutionem, quae eadem denominatione et fine potiretur Id vero pluries a S. Rituum Congregatione decretum iam est. Ex. gr. in Foroliviensi die 31 martii 1640. In Cassatensi die 17 iulii 1640. - In Eugubina die 23 martii 1641. In quibus decretum est esse supprimendas novas Confraternitates eiusdem nominis et instituti posterius erectas. Bassus vero de Sodalitiis Quaest. III. inquit expressis verbis, postquam plurimos citaverit doctores: «Prius erecta debet inanuteneri, » et posterior annullari.**

**Id tamen dici de omnibus Confraternitatibns non potest.**

**Excipiuntur enim Confraternitates SS Saci a:nenti et Doctrinae christianae quae possunt institui, et deberent esse in qualibet Parochia, ut declaravit S. C. Epji. r.t Reg. in Vercellensi d.e ;J febiuaiii 1610.**

**Advertendum insuper est, quod ex suppressione Confraternitatis ultimo erectae, non potest Confraternitas anterior in eodem loco erecta praetendere quod sint suppressi et inhibiti actus ex devotione exercendi in alia Ecclesia eiusdem loci, et respectu eiusdem santi, sub cuius nomine fuit suppressa societas, non obstante quacumque ea de re inducta transactione, seu alia quavis adstipulata amicabili compositione. Qua de causa etsi Confraternitas erecta in Ecclesia SS. Annuntiatae suppressa fuisset, tamen eius confratres vel alii fide* les impediri non poterant, quominus in praedicta Ecclesia erga Virginem dolorosissimam actus pietatis et devotionis exercerent. Hi enim actus sunt proprii omnium Christifidelium, et non exclnsive Confraternitatum; et eos impedire in qualibet Ecclesia est pietati et devotioni, et christianae libertati detrimentum inferre.**

sit, famen pondus in quaestione habet maximum, cum ex ea constet, confi*atres SS. Annuntiatae statutis tunc oaiuisse, quae probanda exhiberent.

Quidquid demum sit, Confraternitas SS. Annuntiata^ aut existit ab anno 1752, aut hodie vivere incipit. Si primum, annullari debet iuxta allegatos Doctores, eo quod sit identica cum praeexistenti, si alterum, nunquam erigi poterit, existente in eodem loco alia eiusdem nominis et instituti Confraternitate.

Quibus omnibus visis et consideratis, Patres S. Congregationi Concilii Tridentini praepositi ad dubium *An sententia Curiae Archiepiscopalis Syracusanae sit confirmanda vel infirmanda in casu,*

respondere censuerunt:

*Sententiam esse confirmandam iuxta modum. Modus est, ut* 1" *in exordio dispositivae sententiae dicatur* Petitio sodalium Congregationis charitatis sub patrocinio B. M. V. vulg< ad .clorata; 2" ut tanquam deleta habeantur verba, quae respi ciunt dispositiones laicae potestatis in rebus spiritualibus (1j

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Quamlibet Confraternitatem vocari debere ex ñne principaliori.

II. Ad legitimam Confraternitatum existentiam necessariam esse approbationem episcopalem.

III. Nullam Confraternitatem institui posse in locis ubi alia eiusdem nominis et instituti erecta reperitur, exceptis dumtaxat Confraternitatibus SS. Sacramenti et Doctrinae Christianae, quae in singulis Paroeciis possunt et institui debent, non obstante quod ibi reperiatur erecta quaelibet alia Confraternitas.

IV. In rebus canonicis et spiritualibus nullam civile gubernium habere potestatem.

**(1, "utramque Confraternitatem scilicet confirmarunt ; quod ad tollendas controversias et lites etiam post publicationem cit Bullae Clementis Vili. non semel a Sede Apostolica fac!um fuerat.**

-sa

# EX S. CONGREGATILE RITUUM.

## NEAPOLITANA

**BEATIFICATIONIS Ii T CANONIZATIONIS**

SERVI DEI

# IANUARII MARIAE S.'; R NELLI

-SACERDOTIS E CONGREGATIONE SS. REDEMPTORIS.

## POSITIO SUPER DUBIO

**An sit signanda Commissio introductionis Causae in casu, et ad effectum de quo agitur?**

*Compendium informationis.*

Dei famulus Ianuarius Maria Sarnelli natus est Neapoli urbe Italiae florentissima pridie Idus Septembris an. 1702 ex praenobilibus parentibus Angelo Sarnelli Dvnasta Oppidi Ciorani , et Catharina Scoppa ; biduo a nativitate sacro est ablutus baptismate, et quinque nominibus auctus, quorum prima fuere ianuarius , Maria, Franciscus. Parentes pia et diligenti institutione puerum imbuerant, ut talis evaderet qualis deinde compertas et iudicatus est. Piae institutionis fructus illico in puero apparuere ; etenim , ut testatur P. Iosephus Dandi, a pueritia devotioni et virtutibus christianis adipiscendis deditus erat ; modestus ita ut nec in sorores, nec in matrem oculos levaret; obediens parentibus, atque mortificat ioni addictus, nam fructibus ultro se privabat, et si aliquando a patre domi aliqua pararetur recreatio et solatium, domo subinde egrediebatur ne recreationibus et conversationibus interesse cogeretur.

Cum annos pubertatis attigisset, constituit mundo valedicere, et Societati Iesu nomen dare; al a patre prohibitus, domi coepit eas virtutes impensius coleie, quas tutius et liberius in coenobio se exerciturum speraverat. Quare a jocis et iuvenum coetibus alienus diu precibus vacabat, et cum Ii : e— rarum studiis tempus necessarium impendisset, Ecclesiam pctebat, atque coram SS. Eucharistiae Sacramento in genua provolutus, Deum obsecrabat ut sibi viam ostenderet, qua tutissime aeternam salutem consequeretur. Suadente patre iurisprudentiae operam dedit, et licet iuvenis , in causis tamen agendis negotiisque forensibus pertractandis non exiguam laudem est consecutus; attamen inter eiusmodi negotia *quotidie Missam audiebat , SS. Sacramentum quotidie visitabat in Ecclesia S. Francisci Xaverii, quam ita frequentare solitus erat ut aut ibi, aut domi certe r operiretur ab iis qui eum quaerebant.*

interea augescente charitate consuevit in nosocomiis infirmos visitare, iisque inservire; atque ibi a S. Alphonso de Ligorio agnitus, intellexit se ad maiora vocari. Hinc abiecto forensi habitu, clericales vestes induit mense Septembri 1728. Anno 1729 Convictores nomine ingressus est convictum Clericorum quem Neapoli fundaverat Matthaeus Ripa, ut ibi iuvenes edoceret, quos Sacerdotio auctos deinde in Sinicum imperium mitteret evangelii disseminandi causa, atque ipsi S. Alphonso auctor fuit ut illuc secum ingrederetur. Dei famulus ibi toto pectore rerum divinarum studiis vacavit, aliisque sodalibus vitae austeritate et charitatis fervore exemplo fuit ; quoties vero egrediebatur, vel pueros catechesim christianam edocebat, vel nosocomia visitabat, ut aegrotis auxilia, solatia, et monita salutis praeberet.

Mense Aprilis 1730 clericali tonsura insignitus est, indeque pietatem auxit ; servatisque temporum interstitiis, ac spiritualibus exercitiis praemissis, anno 1732 Sabbato post Pentecosten Sacerdotalem dignitatem obtinuit.

Novus Presbyter zelo domus Dei inflammatus et animarum salutis procurandae percupidus cum sociis Missionum Apost \\<".v. um Napoli institutarum ad sacras excursiones ex ~.\,

et vitiis grassantíbus, lasci viae praesertim, bellum asperrimurrt indixit; nulla ipsi erat quies vel mora; praedicabat, tota die fidelium confessiones excipiebat, excepto praedicationis tempore , parco admodum victu utens ; atque deinde pauperibus et senibus in Hospitiis detentis suam charitatem impertivit , et eodem tempore ad infirmos et ad triremes damnatos vontitabat, ut spiritualia et temporalia subsidia iis subministraret.

Sed enim praecipuum optimi Sacerdotis studium ad pueros et adulescentulos conversum erat, quibus saepe circumdatus apparebat, ut eos fidem, pietatem, mores et officia edoceret. Imo quo id melius praestaret, piam iniit societatem cum quibusdam egregiis presbyteris, quos inter S. Alphonsus eminebat ; ex hoc autem coetu prodiit opus longe beneficum plebeculae instituendae; nam nedum viri ecclesiastici, sed et pii saeculares in opus vocabantur cum ingenti puerorum et adolescentulorum fructu.

Dum ita Sarnellius in vinea Domini strenue atque indesinenter operaretur, accidit ut S. Alphonsus fundamenta Congregationis SS. Redemptoris iaceret ; eumque maximas tunc contradictiones patientem acriter defendit: atque demum ipsemet institutae Congregationi nomen dedit an. 1733, S. Episcopo se totum addixit, et tria vota nuncupavit, quarto de perseverantia adiecto.

Maius tamen aliquid pro novo Instituto praestare voluit, curans ut in oppido paternae ditionis Collegium fundaretur ; quod effecit a patre non minus, quam ab Andrea fratre pientissiino adiutus.

interea partim ob infirmam valetudinem , partim ob exantlatos labores, veniam Superioribus concedentibus, Neapolim reversus est, quam videns funesta et malesana lue correptam propter meretrici am labem, quae late et impune grassabatur, nefando vitio totis viribus bellum indixit; et Deo benedicente, iiifestum illum scortorum gregem partim ad bonam frugem revocavit, partim ex regia urbe eiectum ac profligatum feliciter vidit.

Instituto autem de virtutibus eius examine, repertum ex

**intiuijiis** testimoniis est, in eo *fidem* praecellentissimam fuisse tum propter amplitudinem atque extensionem cognitionum, quas de ea adipisci curabat; tum propter maiorem firmitatem ac certitudinem, qua eas tenebat, tum propter impensiorem devotae voluntatis effectum, quo eas complectebatur; ex quo factum est ut indesinenter in sacris Scripturis meditaretur, coelestem inde haustam doctrinam in christianum populum effundere satageret, SS. Eucharistiae Sacramentum continuo adoraturus accederet, atque saepissime mente et affectu in Deum raperetur.

*Spem* vero in eo eximiam atque firmissimam fuisse o tensum est quod, ad tramites doctrinae traditae a Benedicto XIV De Beat, et Can. Sanctorum lib. 3. cap. 23. n. 16. dicente: *Habitus spei inclinat ad sperandum ultimum finem, id est ad Deum ipsum videndum, et eo fruendum; secundarium autem ad speranda concomitantia praedictum finem, hoc est media et auxilia ad illum obtinendum necessaria ;* Dei famulus et directe ad Deum tanquam ultimum finem, in quo conquiesceret, intendebat, et media et auxilia temporalia ab eo se assecuturum sperabat; contendebat enim veluti importunissima impedimenta mundana omnia, natalia sua praenobilia, commoditates divitiasque familiares; nihil confidens in filiis hominum, imo ab iis contemptus, reiectus, irrisus, et divino tantum innixus praesidio magnas atque arduas res est aggressus, gravesque sustinuit labores, quamvis valetudine infirmus et viribus destitutus.

Circa vero *charitatem* quae omnium virtutum maxima et potissima est, quippe tota vis et ratio christianae sanctitatis et perfectionis in illa continetur, observatum est, in eo spectat issimam fuisse tum erga Deum, tum erga proximum; fuit enim in ipso singularis vitae innocentia, et diligens legum divinarum observantia, mundo insuper propter Deum valedixit, ac postea votis nuncupatis de evangelicis consiliis servandis, totum se divino famulatui addixit; numquam seipsum quaesivit, vel quae sua essent, sed unice divinam voluntatem et divinam gloriam spectavit, et quidquid virium, qur-juid opum habebat impendit, ut peccati regnum deleretur, et omnes

Deum diligerent. Ex quo divinae charitatis ardore, sive evangelia legens, sive preces faciens, tantam obortarum lacrymarum vim fundebat ut lectionem precationemve intermittere cogeretur. Saepe etiam suspiriis et iaculatoriis precibus sese exserebat interna charitas qua aestuabat , ita ut aliquando inscius per monasterii claustra incederei, brachiis extentis, oculis in coelum defixis, atque suspiria et gemitus ciens.

At tessera et lapis sydius verae et minime fucatae sanctitatis est charitas in proximum ; eam vero ita Sarnellius exercuit, ut non modo integram vitam in ea colenda impenderat ; sed laboribus sacri ministerii pro salute fidelium exantlatis absuntus animam nobilissimam profuderit. Quum autem duo sint operum genera quibus haec charitas exercetur, (alia enim ad spiritum, alia ad corpus iuvandum pertinent) aeque assiduum, beneficum et insignem in utroque sese Dei famulus exhibuit.

Indefesso enim studio et cura incubuit ad imperitos catholicam doctrinam edocendos etiam antequam Sacerdotio initiaretur , et puellis non defuit paterna Servi Dei sollicitudo. Sollicite curavit ut Clerus ea doctrina et sanctimonia praestaret, quae huius ordinis dignitatem et amplitudinem decent, adeoque optabat theologiae moralis academias institui, quarum regulas ipse designavit ; sacris excolendis virginibus, gynaeceis et parthenotrophiis regendis, piis congregationibus civium illustrium moderandis, coetibus puerorum et puellarum ad pietatem informandis naviter operam impendit. Omne genus hominum industriam et effusam charitatem eius expertum est, ii vero prae ceteris qui in peccatis sordescunt ; hos enim omni ope conatus est ad Deum revocare. Totus erat in modis pervestigandis quibus animas lucrari posset, et fructum uberrimum hortando, suadendo, et concionando collegit, et in locis innumeris verbum Dei disseminavi!.

Quotquot vero concionibus suis excitarat et permoverat, eos in exedra confessionali Deo reconciliare sategit, in cuius muneris sanctissimi perfunctione labores ingentes et incredibiles sustinuit ; in eoque tanti valebat ut scelestos insignes ad virtutem revocant.

Attainen in eiusmodi Servi Dei zeli < ffusione praecipuas sibi curas vindicarunt meretrices quae et seipsas perdunt aliosque quamplures ad peccandum alliciunt ; derelicti insuper atque ab urbibus remoti , utpote qui ope destituti miserentis Sacerdotis accessus eis maxime necessarius est; ad meretrices convertendas eleemosynas , sacras conciones , hortationesque adhibebat, pro iisque sublevandis non erubescebat aliorum charitatem implorare. Pro illis vero qui procul ab oppidis degentes omni spirituali destituuntur auxilio, sacras missiones obibat nullique parcebat labori ut iis subveniret, illud frequenter repetens: *evangelizare pauperibus misit me;* eaque de causa Congregationem SS. Redemptoris amplexus est pro evangelizandis pauperibus, derelictis, et ab urbibus remotis. In his vero Apostolicis laboribus pro animarum salute congestis et in aliis charitatis operibus , quae brevitatis gratia praetermittimus , diu noctuque usque ad obitum Dei servus perseveravit.

Ex iis vero quae de Servi Dei praestantia in exercitio virtutum theologalium dicta sunt, quisque facillime intelligat quantopere etiam enituerii in excolendis virtutibus cardinalibus, aliisque adnexis. Nil mirum proinde si et ipsum S. Alphonsum laudatorem atque biographiam habuerit.

Mortis suae praescius decessit Dei famulus Neapoli die 30 Iunii 1744; aetatis suae 42, atque ad eius corpus biduo in Ecclesia propositum , suavemque spirans odorem tanta fuit populi frequentia ac devotio , ut certatim partes vestium , et ornamentorum sacerdotalium , quibus corpus induebatur caederent, et discerptas frustatim auferrent; vim proinde adhibere oportuit ut ille pietatis impetus coerceretur.

Peculiaris sepulcri locus in Sacello S. Andreae Avellino Ecclesiae vulgo nuncupatae di S. Maria dell'aiuto ai Coltrala attributus fuit, et anno 1858 archiepiscopali auctoritate corpus rite recognitum in eodem loco repositum est.

*Quae a Promotore fidei obiecta sunt contra huius causae introductionem.*

1. Hanc causam per 120 annos initam non esse, eo quod neque coaevi , nec qui illos consequuti sunt eam promoveri

dignam sint arbitrati ; desunt enim nedum testes de vi^u, sed etiam probationes subsidiariae, eum e quatuor et viginti testibus qui ad examen vocati sunt, antiquior post saeculi dimidium a Servi Dei obitu lucem aspexerit ; ceteri sint illo iuniores.

2. Hos insuper testes pati exceptionem quam vocant *affectionis,* cum sint vel consodales, vel amici, vel consanguinei Servi Dei, quique ad ferendum testimonium accesserunt ad comparandum sive Congregationi, sive familiae honorem.

3. Deesse veri nominis oralem traditionem de Servi Dei sanctitate, cum plerique testes affirment, se eum uti Sanctum habere coepisse ex lectione assidua devotorum librorum, quos ille typis evulgarat, minime vero eam accepisse a testibus de visu.

4. Demum Famam virtutum et miraculorum ven. Sarnelli communem seu in maiori parte populi , et late in diversis mundi partibus non fuisse diffusam, sed in una SS. Redemptoris Congregatione permansisse.

5. Neque obstacula deesse quae plane evertant Servi Dei heroicas virtutes.

(a) Ea enim pietatis opera , quae in adolescentia illum gessisse tradunt, omnino corruunt si consideretur, eum Sacramentum Confirmationis suscepisse anno vitae suae quarto supra vigesimum ineunte; proindeque et ad sacram Synaxim post illam aetatem accessisse deduci oportet.

(b) Inconstans in vitae Instituto amplectendo deinde fuit; nam primo Societatem Iesu ingredi cupiebat , a patre vero prohibitus advocati munus suscepit ; eo post annos quatuordecim dimisso, habitum clericalem induit ; anno deinceps 1729 Congregationem Missionum Sinensium ingressus est, sed accepta ibi clericali tonsura, octa--o mense vix praeterlapso, in paternam domum redivit ut sese dederet Congregationi Presbyterorum saecularium, sub invocatione Reginae Apostolorum Neapoli institutae.

Sacerdotio auctus ad Novam Congregationem SS. Redemptoris a S. Alphonso institutam ad volavit, ac tria religiosa vota ibi emisit, cui quartum adiecit de perseverando in Con

gregatione. Et tamen hanc deseruit, Neapolim reversus est, ot ibi in statu presbyteri saecularis vita functus est.

(c) Neque voti paupertatis satis rigidus custos ; quandoquidem et una cum fratribus Patri litem vel intentavi t vel intentare niinatus est, ut portionem substantiae quae sibi contingebat daret; quod de cetero ingerit etiam gravem et inhonestam iniuriam parentibus; et morti proximus testamentum condidit, quo ad pias causas disposuisse constat de omnibus bonis suis. Num autem , et qua ratione hoc licite patraverit qui paupertatis voto obligabatur, penitus latet.

*Ea quae praedictis animadversionibus reposita sunt.*

Verum haec omnia disertissimis argumentis exclusit Advocatus :

Ad 1. enim respondit. Nullius animadversionem obiectam ponderis esse , cum compertum sit ex testimoniis ineluctabi**les,** Ven. Sarnellurn habitum uti Sanctum fuisse a coaevis testibus omni exceptione maioribus. S. Alphonsus de Ligorio *sodalem suum defunctum validum sibi patronum in coctis regnare existimavit.* Cardinalis Gersale Archiepiscopus Neapolitanus, audita Servi Dei morte, illacrymans dixit *Neapolis ei Ligorius Sanctum amisere, et Clerus Neapolitanus margaritam suam.* S, Alphonsus insuper biographiam illius absolvit plures prodigiosas gratias innuendo intercessione Servi Dei impetratas. Testes alii mediati ab immediatis se accepisse affirmarunt heroicas virtutes et sanctitatem, quibus servus Dei praefulgebat, ita ut aliqui ipsi S. Alphonso eum praeposuerat. Ergo non quod coaevi vel suppares Servi Dei causam indignarli promoveri existimarint, sed quod Congregatio Ligoriana causam promovere et ad finem perducere sui Fundatoris debuerit, et statuam eius in Vaticana Basilica collocare ; quae opes Congregationis nonnihil extenuarant. His lamen non obstantibus documenta colligebantur ad introducendam Ven.. Sarnelli causam. Accedebat quod causa etiam provehenda erat Ven. Oerardi, erga quem incredibilia ferebantur fidelium studia in provinciis praesertim Italiae **i.** eridionalis propter prodigia quae per eius intercessionem patrata vulgarentur. Duplex itaque onus ab optima nec divite Congregatione erat sub undum ,

adeoque minus celeriter utramque causam procedere oportebat. Si autem ob has rationes causa Ven. Sarnelli proponi non poterat, et tamen documenta colligebantur , ut suo tempore proponeretur; ergo non quod eam iudicarent indignam promoveri, sed aliis de causis promotam non fuisse manifeste constat. De cetero praeter testes de visu et suppares adesse in casu probationes subsidiarias, quas esse admittendas docet Benedictus XIV. lib. 3. cap. 8. §. 4. ex actis luculenter constare.

Ad 2. Non omnes testes vel e gente Sarnelliorum, vel e Ligoriani Instituti Alumnis eorumque amicis fuisse delectos; neque exinde (dato etiam quod fuerint) repudiari posse eorum testimonium, quia ope illorum potissimum possunt et debent Servi Dei virtutes probari, et quia extranei minus idonei habentur ad res domesticas comprobandas. Nonne deinceps et ipsi inter alios homines et in media fori luce prout ceteri cives versantur, et possunt de iis quae viderunt vel audivere fidem facere? Numquid ne in aliis eiusmodi causis reiecta est testatio sociorum vel propinquorum ? Nonne hi in causa nostra concordes sunt cum illis qui nec propinqui nec amici ven. Sarnelli fuere? Quanam ergo de causa repelli possunt ? De cetero Benedictus XIV lib. 3. cap. 6. n. 11 ait: « Licet testes in his causis » examinandi a iudicibus ordinariis vel delegatis interrogen- » tur, an sint pie affecti erga Dei Servum vel Beatum, et » eius exoptent beatificationem vel canonizationem: et licet, » si affirmative respondeant, animadverti consueverit a fidei » promotoribus eorum dictis fidem non esse deferendam, ani- » madversio tamen haec semper a S. Congregatione reiecta » fuit; praesumi siquidem nequit, testes ex eo solo piae mentis » affectu rem, prout est, non esse relaturos, atque adeo unus- » quisque scit, exoptari a testibus, qui in his causis exami- » nantur, beatificationem et canonizationem Servorum Dei et » beatorum, dummodo eorum virtutes et miracula a Sancta » Sede approbentur. »

Ad '3. Falsa esse omnino quae a Fidei promotore circa oralem traditionem de fama sanctitatis ven. Servi Dei obiiciuntur; nam testes concordi ore affirmant, ipsum ob famam sanctitatis ab obitu usque nunc *resplenduisse et resplendere tam*

*Neapoli, tum alibi; hanc famam communem fuisse apud quemcumque personarum coetum f um Neapoli, tum in aliis locis; eam, volventibus annis, non imminui am sed crevisse.*

Hanc vero famam non didicisse ex lectione librorum, quos servus Dei exaraverat, sed aliunde; scilicet et ex eo quod in vitam eius spectaverant, et ex quo id a testibus immediatis audiverant, et ex quo Neapoli praesertim fama eiusmodi constans erat tum apud Ecclesiae viros, tu m saeculo addictos. Miracula deinde, vel gratiae miraculosae non a Neapolitanis tantum sed etiam ab aliis aliarum civitatum et nationum incolis per Dei Servi intercessionem obtentae sunt; quare falsa etiam sunt, quae a fidei promotore quarto loco obiiciuntur.

5. Obstacula vero adducta nihil servo Dei nocere. Et ad

*d)* Quid S. Alphonso de Ligorio nocuit quod confirmationis Sacramento non anno 24 ut Sarnellus, sed anno 26 fuerit inunctus? Nam Neapoli haec est. salto;n tunc erat consuetudo, *ut non modo vulgares homines , sed etiam pjroceres, cives ac forenses viri, quamcis pii, bonisque moribus imbuti confirmationis Sacramentum susciperent nonnisi adulti, et ad virilem aetatem perventi... quin inde illum vel minimum oriatur scandalum,* ut testis omni maior exceptione fidem facit. Quare deductio quod post illam aetatem ad sacram synaxim accesserit per se corruit.

*b)* Nullimode vero servum Dei mutabilem et inconstant cm fuisse ex propositis observationibus deduci potest cum voluntatem sese Dei servitio consecrandi semper constanterque retinuerit; nam impeditus a patre quominus Societati Iesu nomen daret, si ad iurisprudentiam addiscendam sese convertit, horis quibus a negotiis forensibus liber erat, coram SS. Sacramento diu stans, Dominum exorabat ut viam sibi arripiendam ostenderet; quo vero magis divinum favorem sibi conciliaret, charitatem exercebat, frequens ad nosocomia ventitabat ut aegrotis ministraret; atque ibi Deus sine ambagibus suam voluntatem revelavit, ut ipse S. Alphonsus testatur; quare cum iuri studens didicisset, minores annis 25 fragile et infirmum habere iudicium, et multis captionibus suppositum, maioribus vero hac aetate id obiici non posse, hanc aetatem ingressus

habitum induit clericalem; in quo nulla certe inconstantia, sed firmitas animi plurima. Ceterum quis nescit, varias, multiplices ac mirabiles esse vias per quas Deus sapientissimus famulos suos ad eum statum perducit, in quo sanctitatis lumen pertingant^ Si humanis criteriis aestimemus quae pro variis rerum adiunctis gessit B. Benedictus Iosephus Labre, quis illo videbitur i n constant ior? Et idem dicendum de plurimis aliis sanctis qui vel a solitudinibus ad vitae genus negotiorum plenum rediere, vel a saeculari militia, vel a fb-rensi palaestra ad Ecclesiam deinceps advolarunt. Nonne demum eodem fere tempore, S. Alphonsus ratione simili se ad Clericatum comparaverat?

Quid vero de ceteris quae obiecta sunt? Cum in aedibus Congregationis sinensium degere instituit Dei famulus, minime eo intendit ut peculiarem statum capesseret, et certum vitae genus institueret ; nam iuxta testium depositiones illuc se contulit ut in solitudine melius se ad Clericalem statum amplectendum disponeret.

Quod si Dei servus an. 1730 in paternam domum redi vit, ut se dederet Congregationi presbyterorum saecularium Apostolicarum missionum, optime fecit. Nam Clericus iam evaserat, nec opus amplius ei erat ut se Clericatui praepararet; oportebat exercitium suscipere , eaque re nihil aptius quam missionum Apostolicarum Congregationem ingredi. Haec vero non erat ad instar religiosae familiae , quae votis nuncupatis in una domo coalescit, sed erat coetus virorum Apostolicorum, qui in Ecclesia Cathedrali neapolitana sese congregabant, qua de causa nihil vetabat, ut qui in sinensium Collegio Convictor fuisset huic coetui adscriberetur. Idipsum vero egerat S. Alphonsus quin inde inconstantiae arguatur.

Sed deinceps Congregationem Ligorianum ingressus est. Quid inde? Dei servitio strictius sese mancipare voluit etiam nuncupatione votorum. Et haec in onstantia dicenda est, an potius animi firmitas totum se Deo consecrandi? Quod si deinceps Neapolim reversus est, non quia a sodalitio Ligoriano desciverit , non qum eiectus fuerit, sed quia ei necesse fuit Neapolim sese conferre tum ob infirmam valetudinem ,

imi! ut iis operibus attenderet quae perficienda susceperat, quaeque praesentiam eius exige! ant, S. Alphonso teste: reversus est autem Neapolim de consilio suae conscientiae moderatoris, qui tunc erat ipse S. Alphonsus.

Quomodo vero dici potest Sarnellium non fuisse ad mortem usque evangelicae paupertatis rigidum custodem, quando constat et omnia sua pauperibus distribuisse, et ob hanc praeclaram virtutem ab ipso S Alphonso commendatum ? Sed nonne Patri litem intentava, vel intentare minatus e*t? minime, id enim ex documentis extantibus non constat. Testamentum demum condidit, et condere potuit, eo quod ipsae Ligorianae familiae Constitutiones id ei ultro facere concidebant ; condidit autem ad tramites eorum quae Constitutiones praedictae praecipiebat: nulla igitur paupertatis infracido.

Quibus visis atque maturae consideratis a S. Rituum Congregatione sequens Decretum editum fuit.

## DECRETUM

"Fo **)p ilitana bôitineationis et** e **inoniz^tionis Ven Servi Dei Januarii Mariae Sarnelli Sacerdotis e Congregatione SS. Eedemptoris.**

Nonis Iulii anni 1870 quum Sanctissimus Dominus Noster PIUS Papa IX., benigne induisent, ut de Duilio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Sèrvi Dei IANUARII MARIAE SARNELLI praefati ageretur in Congregatione SS. Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in actis SS. Rituum Congregationis , et scriptis eiusdem Servi Dei non perquisitis et examinatis, Emus et Rmus D. Card. Aloisia-. Bilio huiu* Causae Ponens, ad instantiam Rmi P. Brixii Queloz, Procuratoris Generalis Congregationis SS. Redemptoris, et Postulatoris huius Causae, attentis litteris postulatoriis plurium Virorum Ecclesiastica praesertim dignitate illustrium, in Ordinariis SS. Rituum Comitiis ad Vatic ¡num hodierna die coadunatis, sequens Dubium dis utien-

dum proposuit , nimirum: *An sit signanda Commissio introductionis huius Causae in casu et ad effectum de quo agitur ?*

Et Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative, seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 28. Novembris 1874.

Facta postmodum rie praemissis Sanctissimo Domino Nostro PIO Papae IX. per infrascriptum Secretarium fideli relatione , Sanctitas Sua sententiam S. Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei IANUARII MARIAE SARNELLI praedicti. Die 3. Decembris anno eodem.

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI

S. R. C. PRAEF.

Loco )£j Sigilli.

*D. Bartolini S. R. C. Secretarius.*

# DECRETUM

**Pragen, confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servae Dei Agneti Filiae Prèmislai Otto cari Bohemorum Regis ordinis Clarissarum beatae nuncupatae.**

In Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis per me subscriptum Cardinalem eidem Sacrae Congregationi Praefectum et Causae Ponentem proposito Dubio « *An sententia lata a Rmo D. Ordinario Archidioeceseos Pragensis super Cultu ab immemorabili tempore praestito Servae Dei Agneti praefatae, seu super casti excepto a Decretis sa. me. Urbani Papae VIII, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur ?* » Emi et Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt « *Affirmative*». Die 28 Novembris 1874.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit Die 3. Decembris Anno eodem.

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEF.

L. * S.

jP. *Bartolini S. R. C. Secretarius.*

## DECRETUM

**Nullius seu Sublaque^ Beatificationis et Canonizationis Ven Servi Dei Fr. Fr-neisci a Ghisone Clerici Professi Ordinis Minorum S Francisci do Observantia.**

in Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Francisci a Ghisone praefati quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de Validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum ad instantiam R. P. Fr. Bernardini "a Cryptis Castri Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, Emus ct Rmus D. Cardinalis Aloisius Bilio Causae Ponens in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum habitis sequens proposuit Dubium, nimirum *« An constet de Validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum, Testes sint rite ac recte examinati; ac iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?»*

Emi porro ac Rmi Patres sacris tuendis ritibus praepositi post accuratum omnium examen audito voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuerunt *«Affirmative in omnibus.* » Die 28 Novembris 1874.

Facta autem de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habere ac confirmare dignata est. Die 3 Decembris anno eodem.

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEF.

L. * S.

*]). 1) : ialini S. R. C. Secretarius.*

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

# PII

DIVINA PROVIDENTIA

# PAPAE IX.

## ALLOCUTIO

**HABITA DIE XV MARTII MDCCCLXXV AD S. R. E. CARDINALES IN AEDIBUS VATICANIS**

VENERABILES FRATRES

Curarum nostrarum partem esse agnoso.mles his praesertim miserrimis temporibus Vestrum Ordinem amplissimum praestantibus augere viris, qui Nobis auxilio sint in universae Ecclesiae procuratione, ad hoc implendum munus animum nostrum convertendum existimavimus. Vellemus quidem hoc exequi veteri et solemni ritu, quem Ecclesiae dignitas postulat, sed id non patitur acerbitas temporum , quae tanta iam est, ut no deplorandi quidem Ecclesiae mala facultatem liberam Nobh esse velle demonstret. Non miramur quod qui veteri errore et odio ab Ecclesia dissident, id assequi praesumant, sed quod in hac misera Italia, in qua suprema veritatis Cathedra divina dispensatione est constituta, ii qui filii erant, in Ecclesiae hostes conversi perniciem Ecclesiae ipsius, quae a ruina humanae societatis seiungi non potest, tum voluntate sua, tum externo impulsu permoti moliantur ac struant, id qiL em dolenter et imo ex corde ingemiscimus. Ex hac molitione profiuxere tot illi deplorabiles ausus, qui iura, libertatem, res et ministros Ecclesiae inique laeserunt, et quorum diuturno iam ex tempore spectatores ad vim propulsandam impares esse co-

gimur: profluit etiam et promovetur in dies malum illud longa gravissimum , quo nihil tot animabus et humanae societati funesti us, corruptio scilicet iuventutis, qua corruptione ad praesentia mala in futuras etiam generationes propaganda contenditur. Omnibus enim institutis, quae ad iuvenes erudiendos spectant, ab Ecclesiae vigilantia in hoc Catholici Orbis centro subductis, iuvenes a prima aetate qua virtutis aut vitii semina tenaciter haerent, scholas civili potestati subiectas celebrare expresse coguntur, ubi eorum mentes et corda nulla fidei et religionis ratione habita, iuxta huius saeculi placita et sapientiam informantur, cuius amarissimos fructus omnis nunc terra experitur.

Cum porro ipsa pariter institutio eorum, qui in sortem Domini vocati sunt, tot regulis de ratione studiorum ad arbitrium impositis implicetur, magis magisque in dies arduum illis efficitur hoc curriculum emetici ; ideoque perpauci iam existunt, maxime post infaustam de militari delectu legem, qui in clerum possint adscribi.

Quo autem luculentius pateant hostium nostrorum consilia, quaedam etiam nuper documenta prodiere, quibus animus additur presbyteris et inferioribus clericis, qui Episcopis aliisque Praesulibus contumaces obsistant; iisque praesidii spes et tutelae proponitur adversus sententias, et decreta, quae in eos torte latura sit ( piscopalis auctoritas

Quid plura *i* Ipsa divini verbi praedicatio et sermonum nostrorum evulgatio infestis actibus politicae potestatis percellitur: leges exhinc poenales denunciantur adversus eos, qui, sive typis, sive aliter verba a Nobis prolata, et acta huius Apostolicae Sedis in vulgus ediderint, quoties in hisce ex eorum sententia qui talia minitantur, aliquid inesse videatur adversum civilibus institutis ac legibus. Scilicet per eiusmodi minas in aperto ponitur quaenam mens et vis fuerit quibusdam legibus, quae simulata obsequii specie ad fucum faciendum fidelibus nostram libertatem et. dignitatem tueri videbantur, ct magis magisque osten litur quam necessaria sit Nobis suprema ac plena potestas nullius ditioni aut arbitrio obnoxia, qualem divina Providentia Romanis Pontificibus contulit, ad

spirituale ministerium in universo orbe expedite ac libere exercendum.

Interim comminatio ilia eo intendit , ut supremi veritatis Magistri vox ipsa comprimatur ac late manare non possit , vox quae divino iure ad commune societatis bonum in universum orbem emittitur , quaeque circumscribi aut cohiberi non potest quin etiam omnium fidelium iura violentur. Cogitent qui Ecclesiam tantae huic servituti subiiciunt, sese divini iudicii severitatem in se ipsos provocare, eoque duriores vicissim experturos dominos, et graviora tyrannidis iuga quo benignior erat Matris auctoritas , quam iniectis vinculis reiecerunt.

Nec vero satis est Ecclesiae oppugnatoribus earum rerum acerbitas, quas memoravimus, sedad novas etiam parandas causas dissidiorum, et perturbationum in ipsa Fidelium conscientia eorum conatus conversi fuere. Nuper enim in extera regione quibusdam scriptis in publicam lucem vulgatis quibus Vaticani Concilii decreta in laevam partem detorquebantur, id spectabatur, ut in successoribus nostris eligendis Senatus vestri libertas violaretur, atque ut in ea re, quae tota ordinis ecclesiastici est magna pars, civili potestati tribueretur. At Deus misericors, qui praeest et consulit Ecclesiae suae, provide effecit ut fortissimi ac spectatissimi Germanici Imperii Episcopi illustri declaratione edita, quae in Ecclesiae fastis memorabilis erit, erroneas doctrinas et cavillationes hac occasione prolatas sapientissime refellerent, et nobilissimo trophaeo veritati erecto Nos et universam Ecclesiam laetificarent. Dum autem amplissimas laudes coram vobis et Catholico orbe praedictis Episcopis universis ac singulis tribuimus, praeclaras eas declarationes et protestationes , ipsorum virtute, gradu ac religione dignas, ratas habemus, easque Apostolicae auctoritatis plenitudine confirmamus Dissipet Divina Clementia consilia inimicorum, et mitigans Nobis a diebus malis hereditatis suae recordetur, ostendasque, non esse prudentiam, non esse sapientiam, non consilium contra Dominum. Hoc ut ex votis feliciter contingat, sacrificemus in humilitate et fervida deprecatione sacrificia iustitiae. *Deus noster iustus et pius est et*

*sicut, persiverant.ibus in prae date distri tus, ita conversis misericors. Ad ipsum ergo tota mente contriti cordis ei/ulatione curramus, ab ipso ereptionis nostrae solatia postulemus, qui quoniam benignus et mitis est si nos a malis nostris emendato s sua viderit mandata diligere, et hic potens est nos ab hoste defendere, et in futuro aeterna nobis gaudia praeparare* (1).

In his vero tantis tribulationibus, quoniam quo saevior est dimicatio, eo maior ductorum ac militum cooperatio virtusque in acie requiritur, constituimus, Venerabiles Fratres, in nostrum Sanctaeque Romanae Ecclesiae Senatum hodierna die ad Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem sex praestantissimus viros cooptare, scilicet Venerabiles Fratres Petrum Giannelli Archiepiscopum Sardianum Congregationis Concilii Secretarium, Miecislaum Ledochowski Archiepiscopum Gnesnensem et Posnaniensem, Iohannem Mac-Closkey Archiepiscopum Neo-Eboracensem, Henricum Eduardum Manning Archiepiscopum Westmonasteriensem, Victorea) Augustum Dechamps Archiepiscopum Mechiiniensem, et Dilectum Filium Dominicum Bartolini Protonotarium Apostolicum Congregationis Sacrorum Rituuai Secretarium, qui omnes profecto, sive Episcopali munere magna cum laude zeli, fortitudinis, prudentiae doctrinaeque gesto, sive gravissimis in tuenda Ecclesiae causa persecutionibus singulari virtutis et invicti animi exemplo toleratis, sive in hac Urbe sedula diuturna probatissima opera Sedi Apostolicae navata, hac honoris amplitudine sese dignos exhibuerim!;. Qua in re illud Nobis iucundissimum est quod nobilissimis etiam Ecclesiis ex quibus sacrorum Antistites elegimus et exornamus certum ac sincerum amoris ac studii testimonium praebere possimus.

Praeter autem hos sex memoratos Cardinales , ad Omnipotentis Dei gloriam creare intendimus alios quinque Cardinales, quos tamen iustis ex causis in pectore reservamus, arbitrio nostro quandocumque evulgandos; ac si Sanctam hanc Sedem Deo disponente viduari contigerit antequam ipsi evulgentur, litteris Nostro Testamento adiectis ii declarabuntur ,

**(1) S. Gregorius M.**

eosdemque ius activae' ac passivae electionis in Successore Nostro eligendo Vobiscum habere Apostolicae Nostrae auctoritatis plenitudine volumus statuimus atque decernimus.

Quid Vobis videtur ?

Auctoritate Omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteros Cardinales

Petrum Giannelli
Miecislaum Ledochowski
ioannem Mac-Closkey
Henricum Manning
Victorem Dechamps

Diaconum vero

Dominicum Bartolini

cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis.

Alios autem quinque in pectore reservamus, prout supra expressimus evulgandos, eosque iure supramemorato gaudere edicimus et confirmamus.

In nomine Patris *ifa* et Filii Q( et Spiritus ijji Sancti. Amen

# EX S. CONGREGATIONE S. R. 0. INQUISII

## DECRETUM

Feria VI. Die 12 Martii 1875.

*Sacra Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a, SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPA IX Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana, Republica praepositorum, et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 12 Martii 1875, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.*

fs¿&XJL*B JJKJJJ (j»x)f ^.3 <j»¿ - b V ^ £'wL> <—*ab^<i (J*^di C>«^á

*Latine vero:* Interpretatio Doctorum Chorepiscopi Iosephi David et Rmi Iosephi Debs auctoris Libri cui titulus : *Spiritus confutationis :* per sacerdotem Aloysium Sabungi Syrum — Beryti, 1874.

L'Universo, Lezioni popolari di filosofìa enciclopedica e particolarmente di astronomia e di antropologia etc. date nelle principali città d'Italia da Quirico Filopanti — Bologna nov. 1871 — luglio 1874 — Fascicoli 10 in tre volumi in 8 piccolo.

Histoire politique des Papes par P. Lanfrey. Nouvelle édition revue et corrigée — Paris 1873.

Del Sangue purissimo e verginale della gran Madre di Dio Maria. Santissima — Operetta Dogmatico-ascetica — Napoli 1863. - Decr. **S.** Off. fer. IV die 13 Ianuarii 1875 — *Auctor laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.*

Del sangue sacratissimo di Maria — Studi per ottenere la festività del medesimo— Perugia 1874 — Eod, Decr.— *Auctor laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.*

*Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opjera damnata atque proscripta , quocumque loco , et quocumque idiomate , aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisii or i bus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.*

*Quibus SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO PIO PAPAE IX per me infrascriptum S. I. C. a* ***Sect*** *et* ***is relatio,*** *SANCTITAS SUA Decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.*

*Datum Romae die 13 Martii 1875.*

ANT. CARD. DE LUCA Praefectus.

FR. HIERONYMUS PIUS SACCHERI Ord. Praed. **S.** Ind. Congreg, a Secretis

Loco j$( Sigilli.

*Die 20 Martii 1875 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum, affixam, et publicatum fuisse in Urbe.*

PHILIPPUS OSSANÌ MAG. CURS.

# EX S. GONGREGATIOuE CONCILII

## SPONSALIUM

***Die 28 Februarn 1874.***

**Coiiiiiieiafliiim** facti. Ioannes S. Domo O. Dioeceseos B, diu prosecutus fuit amore Mariam Vincentiam C. eiusdem loci. Hoc perdurante tempore Vincentia gemiuos uno partu pueros edidit. Pertaesus Ioannes se ad aliam convertit mulierem, cum qua nuptias inire cupiens, in Paroeciali Ecclesia publicationibus de more iam locus fieb it. Hoc ut ad Mariae Vincentiae notitiam pervenit, sub die 11 Augusti 1869 impedimentum per consuetam inhibitionem apposuit ne matrimonium a Ioanne cum alia contraheretur, quia sub promissione de futuro ab ipso corrupta conceperat, duosque pepererat uno partu filios.

Eiusmodi apposito impedimento, illico Curia tabulas processuales instituere coepit, testes examini subiiciendo.

Hoc expleto examine, die 23 Octobris eiusdem anni 1869 Curia praelaudata, visis actorum publicatione, et voto patroni fiscalis, atque ex¡ leto termino ad percontanclum, comperendinavit causae decisionem ad diem secundam eiusdem mensis, qua hanc definit vam sententiam protulit: *Dicimus et pronunciamus, observationes productas a Maria Vincentia adversus statum liberum Ioannis, non constare, ideoque Ioannem liberum esse ad contrahendum matrimonium cum alia; et quisquis litis proprias expensas sustineat ob debilitatem mulieris.*

Ab huiusmodi sententia statim appellationem Maria Vincentia ad Sacram Concilii Congregationem interiecto, quae actis de more agendis, et praefixo partibus termino ad deducenda

ulteriora sua iura si vellent, c .us **mi** coram EE. Cardinalium conventu disceptandam proposuit.

*Atque de <jfficio haec pro muliere animadversa fuere.*

Sponsalia, quae suapte natura mutuam futuri matrimonii promissionem unice desiderant, inter eos contractus indubitanter adnumerantur, qui nudo consensu perficiuntur (1). Dummodo itaque contrahentium consensus exterius ac sensibiliter manifestetur, nulla alia solemnitas, nullaque peculiaris verborum conceptio praescribitur. Quapropter ad sponsalium existentiam evincendam satis esse debet, ut de mutuo consensu contrahentium quomodocumque manifestato doceatur. Iamvero praesto esse argumenta et coniecturas non leves, ex quibus emergere videtur eiusmodi reciprocus consensus.

Et I° Testes de re non dubiam fidem faciunt; unus enim affirmat, *Ioannem in ea constanter permansisse intentione ut sibi M .Ham matrimonio copular et;* alius dicit, *adeo Ioannem ea in sententia perstitisse, ut cum Pater amovere illum non. posset, sdopetum in filium explose rit;* hic, *Mariam unius Ioannis amore fuisse captam, aliisque amoribus induisisse se nunquam audivisse;* ille, *Ioannem velle in uxorem Mariam ducere, etsi pater alias nuptias, et pinguem dotem ei pjarare vellet.* At ex relatis testimoniis sponte eruitur, Ioannem promissionis vinculo fuisse detentum ne a Maria resiliret; secus quomodo paternae voluntati adeo obstinate reluctari potuisset (2)? Testes equidem de mutua promissione non deponunt; at

**(1) *Sufficiat secun lum leges solus eorum consensus, de quorum coniunctionibus agitur* Ex Cap *sufficiat* 27.Quaest.2. Rota in Maioricen.Sponsalium 20 Ianuarii 1712. Lex autem habetur L. 1. ff. de Sponsalibus: *Sufficit nudus consensus ad constituenda Sponsalia.***

**Et: *Sponsalia sicut nuptiae consensu contrahentium fiunt.***

**(2) Doctores universi tenent, filios, inconsultis parentibus, vel iusta de causa, repugnantibus, matrimonia contratentes graviter peccare. De parentum enim »...^asensu matrimonia a filiis esse ineunda, praeter ius naturale, a Paulo Ap. diserte asseritur dum 1. Cor. VII.38. inquit: *Qui matrimonio iungit vir ginem suam, bene facit, et qui non iungit me Ii us facit;* tanquam si totum negotium in patris positum sit arbitrio.**

**Ius naturale, divinum, ecclesiasticum et civile eiusmodi matrimonia detestantur; et magna incommoda ex iis oriri solent, ut experientia constat.**

**Concilium Arelatense IV an. 541. can. 22 declarat *matrimonium, ~^ntra voluntatem parentum impie copulari.***

**Tertullianus lib. '¿. ad uxor. cap. ¿. dicit: *Nam nec in terris filii sine consensu parentum recte et iure nubunt.***

ad valide sponsalia contrahenda sufficit privata promissio et acceptatio, quin ullimode necessaria sit testium praesentia. De cetero centies et millies dum amasii amoribus indulgent promittere matrimonium solent, de futuro matrimonio plerumque loquuntur, quin immo eiusmodi intentione vir mulieris amorem sibi ab initio conciliat, mulier eiusmodi spe amorem suum viro obligat. Quomodo ergo negari potest, nullam inter Ioannem et Mariam matrimonii reciprocam intercessisse promissionem ? Quid vero , quod Ioanni tribuendum videatur inlatum Mariae stuprum et quod uno partu duos in lucem filios ediderit ? Id enim disertis verbis mulier affirmat, cui fides certe

**S. Basilius -ad Amphiloehium:** ***Matrimonia sine iis qui potestatem habent fornicationes sunt.***

**Concilium Coloniense an. 1530: « 0-**
**» ptandum, ut tollantur clandestina ma-**
**ii trimonia quae, invitis parentibus ac**
**» propinquis, Veneris potius quam Dei**
**» causa contrahuntur. Nam quanta ex his**
**» mala suboriantur in aperto est. Inter-**
**» ea vero si non irrita, prohibita saltem**
**» sint, et poenae canonicae, id est exim-**
**ii niunicationi contrahentes, et qui eis**
**» ope et consilio adfuerunt, subiaceant.''**

**Quin imo per duodecim priora saecula ius civile dissensum parentum habebat veluti impedimentum dirimens matrimonium filiorum familias, nullimodo id Ecclesia improbante, ut testantur plurimi, inter quos Benedictus XIV De Synodo Dioec. lib. 9. cap. XI. dicens:** ***Utrasque civiles leges, tam videlicet quae servorum, quam quae filiorum familias solo contrahentium consensu inita matrimonia infringebant, quondam ratas habuit Ecclesia.*** **Reapse** ***Inst. tit de Nuptiis*** **§. 1. legitur:** ***Si'filiifamiliarum sunt, consensum habeant parentum , quorum sunt in potestate. Si adversus ea quae diximus aliqui coierint, nec vir nec uxor, 'nec nuptiae, nec matrimonium, nec dos intelligitur.*** **Veram hae leges fuere per Ecclesiam abrogatae, et Concilium Tridentinum Sess. 24. cap. 1. de reformatione matrimonii excommunicationis sententiam tulit in eos qui eiusmodi matrimonia irrita in posterum declararent:**
**« Eos Sancta Synodus anathemate da-**
**» mnat, qui ea vera ac rata esse negant,**
**» quique falso affirmant matrimonia a**
***v*** **filiis familias sine consensu parentum**
**» contracta irrita esse.. Nihilominus**
**» sancta Dei Ecclesia ex iustissimis cau-**
**» sis illa semper detestata est atque**
**» prohibuit. »**

**Attamen ex quibusdam causis satis raro urgentibus excusantur filii si invitis aut inconsultis parentibus matrimonium contrahant, si scilicet 1. Parentes filiis prohibeant coniugium in genere. 2. Vel causa maioris dotis nonnisi indignai» mulierem, vel haereticam ei dare velint, aut uxorem aegram, turpem (brutta), imprudentem, vel durioris conditionis, seu asperam, cum qua filius credat difficulter se pacem habiturum. 3. Si filius a parentibus plus iusto opprima tur, aut ideo coniugium prohibeant quia volunt ut filius hanc yel illam ducat contra eius inclinationem nequaquam ducendam, attentis gravibus causis, quibus movetur filius ad huiusmodi matrimonium recusan d uni. 4. Si demum parentem procul distent, nec filius absque gravi incommodo illos admonere valeat, et aliunde credere possit eos libenter esse assensuros,**

est adhibenda, cum incredibile sit, eam ioanni tribuere voluisse factum quod ab illo patratum non fuerat; eiusmodi enim calumnia nedum assecuta matrimonium non fuisset, sed sponsi animum a se avertisset omnino ; quomodo enim hic uxorem ducere potuisset eam, quae tantam sibi irrogabat calumniam, quaeque ore se damnabat suo, dum praegnantem se revelans ab alio fuisse viro cognitam ultro fatebatur *ì* Nonne deinceps cum uno Ioanne protraxit amores? Ioanni igitur Mariae defioratio est tribuenda. At quis unquam in animum inducat suum ut credat. Mariam puellam aliunde honestam, eius cessisse libidini nisi ab eo promissionem futuri matrimonii accepisset *i* Hoc enim plerumque contingere solet, sed fere semper in matrimoniis, quae parentes ambo vel unus a versantur; tunc enim sponsi ut matrimonium necessario inire possint ad eiusmodi sane detestandum remedium facillime confugiunt. Cum igitur constet, ioannem consilii sui fuisse tenacem , etiam contra apertam patris voluntatem, ut matrin onium cum M. Vincentia iniret, si haec honori suo non pepercit, certe ut matrimonium promissum consequeretur, quomodo negari potest aut dubitari de reciproca matrimonii promissione *ì*

Equidem de promissione mulieris certa neque in testium depositionibus, neque in facto sententia habetur, at rationabiliter de ea dubitari nequit. Nonne enim luxit Vincentia \ix scivit Ioannem a Patre gravissime fuisse reprehensum, in eumque igneum tormentum explosum ¿ Nonne déflorai ioni suae assensum praestitit *i* Nonne cum eo tantummodo amores diuturnos inivit? Id vero quo modo sine repromissione futuri matrimonii cogitari potest?

Neque quis dicat, haec omnia coniecturis inniti, non manifestae probationi; nam simplex coniectura non est illa. quae in amoris facto fundatur, quando praesertim non intercedit conditionis disparitas; ideo enim amores personae liberae instituunt ut deinceps ad matrimonium deveniant, ideo puella in suam deflorationem consentit, ut deinceps sponsus necessario eam ducere, etiam superiorum auctoritate, cogatur (1).

(1) Id revera experientia constat; 8ed et illud experientia constare scio viros a ducendis puellis illis in uxores resilire, quae in suam defloiatio-

Sed esto^v eius nodi sponsalia coniecturis inniti ; attamen gravissimas esse nemo diffitebitur; at coniecturas gravissimas, quales profecto sunt virginis honestae defloratio, et amores protracti , et publica fama, sufficere ad evincendam sponsalium existentiam doctores passim tradunt, inter ceteros Conscius de sponsalibus filiorum familias Decis. XXVIII n. 13 et 14. *Si haec* (puella) *consensum praebuit, ut suae virginitatis iacturam faceret, utique facto ipso, quod verbis est potentius, repromissionem suam praestitit; ac sola spe futuri oblati coniugii honesta mulier id gessisse praesumitur* (1).

Quoad vero publicam famam et protractos amores idipsum cit. auctor affirmat decis. 3 n. 17 inquiens: *Ex familiari inter sponsos consuetudine diu continuata____publica invaluit fama de sponsalibus iam perfectis, quae summopere attendi debet, nec adversus ea* (id est praemissa indicia) *exceptiones amplius admittuntur* (2).

Cum itaque ad evincendam sponsalium existentiam Vincentiam inter et Ioannem validissiniae existant coniecturae, cassanda undequaque videtur Episcopalis Curiae O. sententia, quae ea non existere iudicavit.

*Quae contra sponsalium existentiam pro Ioanne disputata fuere.*

Imprimis notatum fuit, exploratum undequaque esse ad

nein assensum ultro praestitere. Eiusmodi plurima facta novi. Parochorum proinde sit puellas de huiusmodi facto monere. Sponsi enim ita ratiocinari solent: si carissima puella mea non erubuit de peccato, cum ex virginitatis iactura et conceptione immensum dedecus sibi poterat inferre , erubescet ne cum post matrimonium, marito suo tribuere tuto potest quae cum alieno viro perpetrat? Et meo quidem iudicio non adeo inepte ratiocinantur, saltem ordinarie loquendo.

(1) Plurimos pro sua sententia cit. auctor doctores allegat. Aflvertendum tamen est, eum ibi loqui de -mella, cui explicita ab amasio futuri matrimonii promissio facta fuerat; auctoritas proinde adducta nullimode Vincentiae favet, ut ex dicendis patebit.

(2) Et etiam haec decisio nullimode Vincentiae favet: nam in ea agitur de perfectis sponsalibus coram Parocho celebratis, etiam mediante annulorum permutatione, a quibus sponsus resilire volebat, quod subinde per triennium de iis amplius locutus non fuerat Neque favet regula generalis; protracti enim amores per se arguunt voluntatem matrimonium ineundi, non sponsalia, nisi alia intersint adminicula ad ea probanda. Atque idem de fama dicito. De cetero allegaras auctor Decis. 50 n. 2. inquit: *nisi plene et concludenter appareat*

statuenda sponsalia, utpote quae futuri contrahendi matrimonii oblivionem pariunt, proindeque nativam adimunt libertatem, non sufficere simplex quoddam propositum et velleitatem, sed certas evidentesque exigi probationes, ita ut indubitanter appareat formalis utriusque partis consensus (1).

*de mutuo utriusque partis consensu, animoque deliberalo actu sese oh ligandi ad ineundum matrimonium, numquam dici potest de sponsalibus constare.*

(1) *citra* ***controversiam est***, inquit Sánchez D Ì; matrim. Disp. V. n. 1 *desiderari mutuam promissionem, ut sponsalia sint; et ratio est, quia cum sponsalia sint praevia matrimonio, quod utriusque contrahentis vinculum desiderat, ipsa quoque necessario exigunt mutuam promissionem, et utrumque vinculum,, Satis tamen est ut repromissio alterius tacita sit per aliqua signa quae ipsius promissionem indicent.*

Sed 1. quid si alter fidem det de matrimonio ineundo, alter vero non re promittat, sed acceptet dumtaxat promissionem inquiendo ex *gr placet, vel accepto,* vel *gratias tibi ago pro beneficio in me collato;* haec acceptatio censenda ne est repromissio, et proinde sponsalia eiusmodi suntne valida putanda?

R. Digladiantur Doctores Sed probabilior sententia tenet, sponsalia hoc modo contracta non esse valida, quia simplex acceptatio censenda non est vera repromissio, qualis requiritur in sponsalibus. Acceptans enim illam promissionem potest acceptare in quantum est in sui favorem, nempe ut solum promittens ipsi obligetur, et non in sui praeiudicium ut ipse pariter obligetur.

Sed 2. quid si promissionem acceptans intendat per illa verba matrimonium repromittere?

R. Teneri certe in foro interno ad matrimonium contrahendum, quia vere repromisit. 1.Nam verba ambigua secundum intentionem proferentis accipiuntur 2. quia verba habent vim obligandi, quatenus explicant consensum internum, et contractus ex intentione legem accipiunt. 3. quia haec obligatio est lex quaedam particularis, quam homo sua sponte sibi imponit; obligatio autem legis a legislatoris mente pendet. In foro autem externo a iudice obligari non potest, nisi de intentione constet; nam in foro externo non statur intentioni contrahentium, cum ea Ecclesiam lateat, sed communi verborum intelligentiae; atque utraque pars cogenda est in eo -sensu verba retinere, quem communiter recte intelligentibus generare solent.

3. Is qui fidem dedit, obligatur ne ad contrahendum matrimonium, altero minime obligato ?

Resp. vel promissio matrimonii fit gratis, et per modum cuiusdam liberalis promissionis, nulla ex iustitiae debito expectata repromissione; vel fit non gratis, sed respective, et per modum contractus conditionalis expectantis alterius repromissionem, ut in omnibus contractibus obligatoriis contingit.

Si 1.Tunc altero acceptante pr missionem, nec repromittente , solus promittens obligatur, non vi sponsalium quae aut utramque partem obligant, aut nulla sunt; sed vi promissionis liberalis, quae acceptata cum sit obligat promittentem.

Si 2. Necessaria est omnino repromissio alterius: quare dum ea non accesserit, prior promissio non est efficax ad obligandum, et promittens tuta conscientia potest a fide praestita resi lire. Matrimonii enim promissio non est gru-

At vero has probationes in'themate desiderari, et simplex dumtaxat adesse propositum in propatulo est; probationes enim desumi non possunt neque ex testibus, neque ex Ioanne et Vincentia, neque ex huius deflora tione.

Non a primo capite ; nam ex adductis testibus ne unus quidem de eiusmodi promissione verbum facit, sed solummodo testimonium perhibent, quod Ioannes in eo erat proposito ut in uxorem Vincentiam duceret; hic enim dicit, *se nihil Oe eiusmodi promissione scire;* ille *numquam quid audivisse de talibus sponsalibus;* alius, *Ioannem a ducenda in uxorem Vincentia alienum fuisse, quod affirmaret ab ris nuptiis deterreri honoris causa.* Utique duo testes affirmant *Ioannem, posthabita patris sui voluntate, constantem fuisse in volúntate sibi Vincentiam matrimonio copulandi.* At id nil aliud revelat, nisi Ioannis propositum, non inita sponsalia (1); quod etiam propositum a Ioanne fuisse immutatum, constat ex teste Ade omnigena digno (2). Frustra igitur ad evincendam sponsalium existentiam testes adducuntur.

**tuita etliberalis donatio, sed contractus onerosus, qui proinde habet tacitam conditionem, si alter similiter se obliget; ac proinde non se obligante, nulla consurgit ex priore promissione obligatio. Adde, quod dum celebratur contractas obi "g .torius, antequam utiv.quo pars se obliget.nondum est contractus perfectus; at ante perfectionem contractus libere potest alteruter resilire,**

**(1) Innumeri porro Doctores tradunt, nndum propositum etiam verbis expressum non constituere spoiifalia. Audiatur Cosci lib. cit. Decis. 4I>. *Ex quibus ane vrbis* (quod scilicet; Nicolaus saepe suam manifestaverit volunt;tem ducendi in uxorem dictam Angel m, seu quod optabat eum ei matrimonium con trahere) *nequit ulla promissio argui de ontrahendo m i/rimonto, s I illa, cumpraeseferat potitos voluntatem imperfectam et de futuro, non s>mt apta ad induenda sponsilii* Siiil definitio Sponsa iium idipsuiu melius probat.**

**(2) Etenim doctores tradunt, ob fornicationem sponsae sive praecedentem sponsalia,sive subsequentem, posse sponsum ipsa sponsalia dissolvere, etiamsi sponsa fuerit vi oppressa. Quandoquidem lier tal.::n fornicationem sponsae fit notabilis mutatio ex parte ipsius, cum reddatur notabiliter vilior, et probrosum viro videatur talem ducere uxorem. Id vero sine ulla dubitatione si sponsa voluntarie fornicationem admiserit praesertim post sponsalia.**

**Neque obstat quod in Cap. Quemadmodum 25 de iureiurando dicatur: *Si quis iuraverit se ducturum aliquam in uxorem, non potest ei fornicationem, opponere praecedentem, sed subsequentem, ut illam non ducat in coniugem;* nam ciustnodi textus ost intelligendus de jornicatione praecedente a sponso cognita antequam sponsalia iniret; stante autem bac cognitione omnino iuri suo cssit, et fornicationem condonasse dicendus est.**

Quid vero ipse Ioannes? Semper, constanterque negavit se fidem suam Vincentiae obligasse.

Contrarium utique affirmat mulier, sed numquam valuit ea quae dixit probabili ratione munire.

Quod enim Ioanni tribuerit conceptionem duorum uno partu filiorum, defiorationem nempe suam sub promissione futuri matrimonii, res admodum est incerta.

Quandoquidem 1° ex depositione testium constat, non uni Ioanni defiorationem illam fuisse tributam, sed etiam aliis.

2° Non unum Ioannem fuisse qui Vincentiae amicitia f meretur, sed etiam alios iuvenci!los eius domus frequentantes, quos mater eius non eiiciebat 'affirmans, *mulierem esse omnium obsonium* (era piatto per tutti). Qua de causa in casu deest spectata undequaque mulieris honestas (1).

**Similiter sponsus dissolvere sponsalia potest ob amplexus, tactus inhonestos, oscula et similia a sponsa libere et voluntarie admissos , talis enim sponsa censetur impudice vivere; unde sponsus merito recedit, cum eam sine gravi dedecore ducere non possit.**

**Sententia pariter probabilior docet, posse sponsum dissolvere sponsalia ob fornicationem sponsae, etiamsi et ipse fornicationem admiserit, quia turpior est fornicatio et quaelibet impudicitia admissa a foemina quam a viro, multoque ignominiosus est viro talem foeminam ducere, quam huic tali viro nubere; addatur quod ratione fornicationis foeminae, non viri, proles redditur incerta.**

**Attamen et Sponsae innocenti licebit a sponsalibus cum fornicario sponso resilire 1. Si sponsus cum pluribus fornicatus fuerit, et valde vitiosus in hoc deprehendatur; rationabiliter enim timere sponsa potest ne minus se sí'; amaturus et servaturus fidem. 2. Si ex unica fornicatione sponsus prolem susceperit; quia tunc praeter notabilem mutationem, matrimon ium difficilius redditur ob discordias, quae ratione prolis evenire solent. 3. Si oscula, tactus et amplexus impúdicos sponsus cum alia frequenter habeat, ita ut sponsa iustum de iis concipiat horrorem ; hi enim actus sunt violationes apertissimae fidei datae: experientia porro constat, sponsos incontinentes fieri maritos incontinentissimos, et infelicissimas uxores reddere; cum quibus proinde iure meritoque sponsalia potest sponsa dissolvere.**

**Ioannes noster ergo iuste et licite a sponsalibus cum Vincentia recessisset, etsi contraxisset, 1. quia de facto illa alios viros in sui amicitiam admiserat; 2. quia aliis tribuebatur fornicatio Vincentiae et non uni Ioanni.**

(1) **De cetero hi testes et ex alio capite excluduntur. Ut enim fidem de initis sponsalibus facere possint, debent referre *quomodo , ubi, quibusve verbis* fuerint contracta; afferre' scilicet suae scientiae causam Nam *Testis causam sui testimonii dicere debet.***

**Et: *Dictum testis sine redditione caulae non probat. L. Solam* 3. Cod de testibus.**

**Sed dices: Nonne Vincentiae est.adhibenda fides se constupratiim aflirnianti a Ioanne sub promissione iii tu i i lustri monii?**

3° Seri esto quod auctor fornicationis fuerit Ioannes, .n-de sperare poterat Vincentia se ab eo ductum iri in uxorem, cum probe nosset ab uno teste , qui omnem adhibuerat operam ut matrimonium illud conciliarer, Ioannem nolle prorsus matrimonio ineundo assentiri ei quidem ob honoris seu honestatis praetextus í Si igitur Vincentia consensit, sponte volensque consensit: *volenti autem et consentienti non fit iniuria.*

4" Argumentum autem ex publica fama et partium dicteriis desumptum non valere ut Ioanni stuprum possit imputari ad effectum sponsalium, tradit Rota in Maiorieen. coram Bussio 9 Aprilis 1757. Et merito ; agitur enim de imponenda obligatione gravissima, ut est matrimonium, cui adnexum est Sacramentale" vinculum ; ad quod probationes gravissimas et evidentes requiri nemo est qui ignoret.

Quocirca de iustitia et validitate sententiae Episcopalis Curia- O. ambigi non posse videtur.

Quibus perpensis S Concilii Congregatio ad dubium:

*An Sententia Curiae O. sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

Respondere censuit:

*Se,t tentiam esse confirmandam, et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I° Nudum propositum matrimonii ineundi etiam mutuum non inducere obligationem sponsalium.

2° Ad illam inducendam requiri mutuam mentionem promissionemque futuri matrimonii aliquo sensibili signo expressam.

3° Famam, vulgique rumores, nisi alia adsint adminicula, satis non esse ad probandam sponsalium existentiam.

4° Sponsalia ad effectum coactionis requirere indubia m probationem mutuae conteníporaneae repromissionis de praesenti, probationem scilicet concedentem et in suo genere perfectam.

**Resp. eam saepe cit. Consci Decis. 49: *u* Stuprum sub fide matrimonii non pro-*n* batur per solam assert ion 2 m foeminae » suppositae stupratae praesertim <on-» tra iuramentum viri se stuprum com-» misisse negantis.**

**» Ex assidila familiaritate a viro >> habita in propria domo cum foemina... » etiam diu continuata non emergit pro-» batio quod inter eos contracta fuerint •< sponsalia, maxime si foemina etiam cum » aliis amasiis familiaritatem habebat.»**

***Die 27 Ianuarii 1866.***

**compendium r«eti.** Solemnibus celebratis nuptiis in civitate V. Aloisium inter et Catharinam, et quinque iam susceptis liberis, cum firma coniugii fides et communis concordia inter ipsos per duodecim annos perseveraverint, quin aliquid contra coniuges ad propinquorum vel vicinorum aures devenerit, anno 1863 perturbari coepit domestica quies per leves quasdam ab initio dissensiones, quae mox animos coniugum in plenam dissociationem et odium adduxerunt. Pervulgatis discordiis, Aloisius Parochum adiit die 18 Iunii eiusdem anni, et uxorem adulterii crimine accusans, separationem thori expostulavit. Parochus summo studio, ut par erat, conatus est primam pacem et < oncordiam inter coniuges redintegrare ; cum autem nihil proficeret neque per se, neque per alios, rem detulit ad Episcopale tribunal, ut servatis de iure servandis, causa petitae separationis pertractantur.

Hinc institui coeperunt acta processualia, et die 17 praedicti mensis Iunii 1863 rogatus a iudice Aloisius super causis expostulatae separationis haec retulit.

*Praemitto, me spatio 13 annorum, quibus matrimonio iunctus sum, numquam zelotypia erga uxorem meam fuisse abreptum; sed res anno circiter abhinc immutatae serio fuere. Quoniam artifex ego sum, multos operarios habeo, quibus tamen domum meam ingredi interdixi. Inter illos iam a 16 annis Titius adest, qui cum uxore mea turpem amicitiam instituit, quam ego detexi die septima currentis Iunii. Nam cum hora circiter octava post meridiem domum reverterer, vidi hunc Titium qui murum legens egrediebatur dicens: sum ego qui ephemeridem lego.* (Sono io che leggo

il foglio). *Reversus sum retro, et uxori meae obviam factus sum, quae neque verbum dixit. Hinc domo egressus, literas ei dedi huiuscemodi:* Catharina do.no egredere, si vis ut olim ego te sinam filios tuos osculari. *Duabus praeterlapsis /ieris domum iterum ductus sum, ei -uxori meae dixi:* Nefanda mulier 1 *Illa vero verbum non respondit, neque se excitsavit, sed surgens domo aufugit. Postridie litium officina expuli, qui ultro respondit: id praevideram.*

Accepta Aloisii depositione, die 8 Iunii mulier a iudice certior facta est, se in iudicium a viro suo ob violatam coniugalem fidem traduci ; quae respondit, *se adeo circa obiectum crimen esse innoxium, ut vellet iudicium acr.uratissimum de eo institui, quo innocentia sua ornnmo detegeretur. Mirari se praeterea ait, ruptam coniugalem fidem ipsi exprobrare maritum, qui ad non paucas alias mulieres iam uxoratus accessit, quique nonnullos ante annos uxorem suam lue venerea infecit, cuius flagitii acriter reprehensus fuit a Medico P. qui ex ore ipsius Aloisii facti conscius, utrumque coniugem curavit. Circa vero factum diei septimae Iunii,* ita mulier prosequuta est, *animadverto, Tdiam domum meam sexcenties adventare solitum fuisse, ephemeridem legendi causa, sicut illa die ratione eadem adventaverat. Quod si illa die triclinium ingressus est* (camera di ricevimento), *atque inde crimina, suspicatus est maritus meus, id contigit quod Titius habebatur veluti delator meus contra maritum meum. Ego prudentia ducta, domo egressa sum, atque ad amitam meam advolavi. Haec sed vero retuli ut quisque intelligat qua de causa domo aufugere compulsa fuerim.*

Ad probandam uxoris infidelitatem et suspectas aut uberiores cum Titio relationes actor Aloisius primo quatuor, deinde octo alios testes designavit, qui exceptis duobus, quorum ignorai) tu domicilium, formiter sub iuramenti vinculo examinati fuerunt. Attamen omnes Catharinam dixere *domi assiduam, educationi filiorum et negotiis domesticis sedulo prospiciente m. Se quidem vidisse,* addiderunt, *Titi u m saepe intrant'm domum Aloisii iam praesente quam absente domino; sed u iiid mali inde esse suspicatus, quia Titius inter operarios*

*praedilectos Aloisii recensebatur, etpof.hcs eiusdem frater videbatur ; numquam vero vel signum aequivocum, vel factum indecens conspexit se, aut aliquid audivisse quod minus honestum reputari posset.*

Unica testis quaedam Callotta B. a ceteris dissentiens nonnulla enarravit , quae nimiam innuere videntur familiaritatem Catharinam inter et Titium. Sed huic mulierculae quae fides? Ex Parochi enim testimonio concubinarium cum nolite vitam agebat.

Dum testium examina peragerentur, non destitit actor sinistros rumores de uxore sua in vulgus efferre, et alimentorum quotam, durante lite uxori assignatam, denegavit, donec uxor nonnulla mundi muliebris, quae domo aufugiens secum asportaverat, redderet. Sub specioso vero titulo educatricis filiorum saltatricem quamdam puellam sexdecim annorum domum introduxit; qua de causa tam ingens scandalum exortum est. ut Civilis auctoritas, prout opus erat, rei certior facta saltatricem domo Aloisii expulerit ; qui tamen vigilantiam magistratus eludens, paulo post eandem ad se revocavit. Praeterea cum amicis audacter gloriari non erubuit, quod ea nocte, qua legitimam uxorem domo eiecit, cum famula cubitum ierit ; idque iudici interroganti palam denegare non est ausus. Circa turpem vero cum saltatrice relationem, eo impotentiae progressus est, ut in iudiciali examine haec verba proferre non erubuerit. *An iure tribunal episcopale me vocet adulterum, ex saltat r ici s depositione cognoscetur. Neque confiteri debeo an habuerim nec ne cum eiusmodi puella turpem relationem: nemo certe ad votum castitatis me compellere potest.*

Hucusque perductis actis, Actor Aloisius petiit quidem ut alii testes super Catharinae infidelitate examini subiicerentur, at matrimoniale tribunal satis se instructum reputans, reiecta eiusmodi Aloisii instantia, die 19 Octobris 1863 sequentem ( 'id i t sententiam.

*Videntes et considerantes unicam accusationem uxori suae ab Actore illatam., esse coniugalem illius infidel Uedem ; eiusmodi vero accusationem illo in facto fundari, quod, sci-*

*licet, die 7 Iunii 1863 Titium deprehenderit in remoto domus cubiculo, dum uxor alio in cubiculo reperiretur.*

*Considerantes, Actorem ultro confiteri, se usque ad praedictum diem de uxoris Jtonestate nullam unquam suspicionem habuisse; suspiciones eius circa hominem versari quem a plurimis annis in suae offi-inae servitio detinebat, et numquam quid de eo fuisse suspicatum, etsi pluries domi ipsum reperisset.*

*Considerantes, circumstantias loci et temporis, in quibus Titius deprehensus fuit, nullam subministrare causam suspicandi contra eum, qui conscio et vidente actore, eius domum frequenter adibat ; praesentes vero loci et temporis circumstantias eo minus potuisse suspicionem ingerere, ex quo ipse fdeatur Actor, se in eo momento nullimode fuisse turbat um, neque contra Initium, neque contra uxorem; quin imo post eiusmodi deprehensionem sese cum Titio consociasse per viam, cum eoque prorsus amice, ut antea, sese gessisse.*

*Considerantes, testes ab Actore inductos ad probandam •uxoris amicitiam cum praefato Titio quoad, tempus praeferlapsum, nullimode actori favere, immo adversari; cum omnes de uxoris castitate et honestate testimonium ferant. Unicam vero testem, quae uxori non favet, tum facta deponere quae fundatum motivum praebere non possunt ad adulterium suspicandum , tum excludi a testimonio ferendo ob vitam quam impudice ducit.*

*Videntes, Actorem ipsum ultro confiteri turpissimum relationem qua saltatrici ipse obstringitur; eamque talem esse ut adultera relatio sit vocanda.*

*Hoc Tribunal decrevit et pronunciavit, sicut decernit et pronunciat, reiiciendam esse , sicut reiicit, utpote fundamento destitutam, petitionem Actoris Aloisii contra propriam uxorem Catharinam, eumque ad illam iterum recipiendam teneri; salvo tamen omnibus iure uxoris se constituendi actricem contra maritum, ut legalem separationem obtineat ob iniquam mariti desertionem.*

Hac sententia gravatum se reputans Actor duplex reme-

dium arripuit. Primo enim nullitatis querelam admovit contra episcopale iudicium ob neglectum testium examen, et ab Apostolica Seae petiit, ut, annullata prius episcopi sententia, iubeat institui regularem processum probatorum, cum obligatione audiendi sub iuramenti vinculo testes a se allegatos qui essent ut ceteri omnino examinandi. Dein le vero eadem die, ne spreta forsan nullitatis querela, praeiudicium ipsi ex decursu fatalium exoriretur, appellationem a contraria sententia denuncia vit.

Dum Iudex primae instantiae 30 dierum spatium partibus concesserat ad conficiendum libellum gravaminum et contra gravaminum, S. Congregatio Concilii ad Episcopum scripsit, ut super expositis referret, praesertim vero doceret, quare testes non fuissent auditi, et an expediret, ut ante causae prosequutionem in gradu appellationis audirentur. Die 31 Martii 1864 Episcopus acta processus , et gravamina coniugum una cum informatione novisque documentis ad S. Concilii Congregationem transmisit, simulque adnotare non praetermisit , Actorem nova facta in prima instantia minime deducta allegasse, quae tamen cum iam expositis in aperta contradictione essent ; in appellantis gravamine assertiones contineri a vero prorsus alienas, quod nempe uxor Catharina coram Parocho culpam confessa sit, quodque nunc apud malae vitae foeminam commoretur. Episcopus vero concludebat, inutile prorsus esse alios testes interrogare tum ob rei substantiam, tum quod etiamsi actor, novis testibus mediantibus, posset uxoris adulterium cum Titio probare, numquam se purgare posset ab suo cum saltatrice commercio ; quod ultra ipsa saltatrix confessa est.

His acceptis epistolis monitae partes fuere de ulterioribus, si vellent, deductionibus afferendis. Mulier ad praecedentia se retulit, addens solummodo, saltatricem concubinam dimissam a marito fuisse praegnantem, ne partus in ipsius domo sequeretur. Maritus vero veteres accusationes repetens depositionem cuiusdam suae quondam famulae adiunxit honestati uxoris admodum adversam. Monuit tamen Episcopus, eamdem fïmulain iudiciali examini ante subiectam, nihil nisi favora-

bile pro domina sua deposuisse, totumque documentum ab ignotis testibus subscriptum parvam fidem mereri (1).

QUAE PRO ALOISIO DICTA SUNT. Post hanc facti narrationem pauca de officio animadversa sunt tam super testium novorum productione, quam super causae merito.

Ad primum quod attinet, tres fieri posse testium productiones super articulis colligitur ex Cap. *In Causis* 15 de testibus, in quo dicitur. *In causis ecclesiasticis, vel civilibus ultra tertiam productionem non debent testes produci,* quin immo cum iusta causa et cum solemnitatibus iuris quartam etiam admittit Caput *Ultra* 55 eod. tit. *Ultra tertiam productionem non debent testes produci in causa, nisi praestito ab eo; qui hoc postulat, iuramento, quod neque per se, neque per alium testificata subtraxerit, vel fuerit percunclatus, neque per dolum, aut artem aliquam, quartam productionem exposcat, sed quia quos desiderat de novo producere, prius habere nequivit* (2).

In casu igitur licet Aloisius prima et altera vice suos produxerit testes, prohibendus non erat, quominus alios exhibere valeret; praesertim cum non fuisset in causa conclusum.

**(1) Ideoque repellebatur a testimonio ferendo L ex notissimo illo inris axiomate: *Semel mendax semper mendax.* *2.* ex quo haec famula potuit ab Aloysio corrumpi, et suspicio inerat gravissima. 3. Quia, his omnibus praetermissis, erat testis unicus. At ius divinum clamat: *Non stabit testis unus contra aliquem* Deut. XIX. 15 Clamat ius canonicum: *Nulla est causa, quae unius testimonio quamvis legitimo terminetur,* Cap. Licet 23.**

**Clamat ius civile: *Manifeste sancimus ut unius omnino testis responsio ^on audiatur, etiamsi praeclare Curiae* ho*nore praefulgeat. L. Iurisiurandi Q.* cod. de testibus.**

**(2) Ex quo quisque intelliget, praedictam solemnitatem legalem in quarta tes tinm productione importare iuranicn tum super tribus iudicialiter praestandum.**

**1. quod *testificata,* id est factas sive pro sua, sive pro contraria parte testium depositiones *neque per se, neque per alium subtraxerit,* id est suppresserit vel occultaverit, forsan advertens quod sibi non faveant.**

**2. quod nec dicta testificata *fuerit percunctatus* id est non didicerit aut expiraverit, cum de facili possit tunc oriri periculum et praesumptio subornationis testium si isti post iam percunctata seu cognita testificata produci possent.**

**3. quod neque *per. dolum aut artem, aliquam quartati! j>r»ductionem exposcat,* id est quod non ad malitiose protrahendam litem, donec aliquis interim moriatur vel se abseiltet, sed *quia quos desiderat de novo producere prius habere nequiverit.***

CONTRA HOC QUAESTIONIS CAPUT DICTA. At novum non est in iure ut denegentur ulteriores, praeter necessarias , productiones testium, turn quia effraenata testium multitudo cohibenda est, tm i ne sub optatae probationis praetextu lites nimium protrahantur. C. *Significaverunt* 36. P. t. Ubi Glossa ad V. *Effraenata* et c. 16 eod. t. ad V. *Productionem.*

ius etiarn civile post plures ánditos testes prudenti iudicis arbitrio remittit alios audire vel respuere, ne testium producta ones unice fiant ad retardandam sententiam definitivam. *Quamquam quibusdam legibus amplissimus numerus testium definitus est, tamen eos constitutionibus principum haec licentia ad sufficientem numerum testium coarctatur, ut iudices moderentur, et eum solum numerum testium, quem necessarium esse putaverunt, evocar i patiantur; ne effraenata potestate ad vexandos homines, superflua, multitudo testium protrahatur.* L. 1. Quamquam ff. de Test.

Qua de causa cum utrumque JUS remittat arbitrio iudicis eos tantummodo testes audire quos necessarios ad litem rite dilucideque iudicandam putaverit, cum Episcopale tribunal sufficientem testium numerum reapse audiverit, atque de cetero actor novos testes qui diversa seu alia deponerent vel non produxerit, vel produxerit qui inverisimilia et falsa allegaverint, vel eos qui primae depositioni factae contradiceret, iure optimo alios in causa testes audire recusavit.

QRRAE SUPER CAUSAE MERITO **OBSERVATA** SUNT. Observatum est, damnari Aloisium a notissimo iuris principio: *Actore non probante reus absolvitur;* nullimode enim actionem suam probasse, ex rationibus adductis a Iudice Curiae Episcopalis quisque facillime intelliget (1).

**(1) Etenim neque antecedentia, ut integram disputationem paucis perstringanius. neque factum, neque testes ab ipso actore adducti, neque consequentia suppetias ei tulerunt: non quidem antecedentia, nam ipse Aloysius ultro fassus est, se spatio 13 annorum numquam suspicatum de uxoris honestate fuisse; non factum, cum illud esset indifferens nullamque suspicionis causam praebere homini sensato posset; non testes, quia si mulier, m malae famae, quaeque digna uxor Aloysii esse potuisset, excipias ceteri omnes de Catharinae honestate tum in genere, tum in specie, quoad Titium scilicet, luculentissima testimonia reddidere Subsequentia vero ab Aloysio allegata putidissimas esse calumnias Episcopale Tribunal apprime de texit.**

Sed dato etiam, actorem novorum (entium depositionibus actionem suam sustentare potuisse, admittenda tamen eius e x -postulatio non erat ex iis quae super dissociatione t hori *i-x capite adulterii* in iure statuuntur.

Quandoquidem licet in genere loquendo, adulterium consummatum et culpabile unius coniugis ius praebeat alteri coniugi instituendi divortium perpetuum, hoc tamen ius amittitur, si alter coniux eiusdem criminis reus reperiatur.

*Significasti quod quidam, uxore sua sine iudicio Ecclesiae dimissa, pro eo quod suggestum sibi fuerat ipsam incessum cum quodam consanguineo suo commisisse, vinculo fuit propter hoc excommunicationis adstrictus; verum mulier non continuit, sed sobolem de alio viro suscepit____Quod si notorium est mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam praefatus vir cogi non debet, nisi constaret ipsum cum alia adulterium commisisse.*

Cuius dispositionis causam attulit Innocentius III. in G. *Intelleximus* et *Tua Fraternitas* de adulteriis et stupro, quod nempe *Paria crimina mutua compensatione deleantur*. Consonat ius Caesareum L. *Viro atque uxore ff.* solut. matrim. (1).

Nec refert, quod unus prius, aut saepius, aut gravius altero deliquerit, ut affirmat inter alios Sánchez de Matrim. Lib. X. Disput. 6. nn. 5. 6. 8. Immo delictum post rem iudicatam superveniens praeiudicare coniugi pro quo lata est sententia tenent Fagnanus in cap. Ex litteris 5. de Divortiis n. 9. et 10., et Reiffenstuel 4. n. 8. (2)

Si igitur propter coniugis antea innocentis infidelitatem sententia iudicialis rescinditur, et is cui licitum erat vitam separatam instituere, ad cohabitandum compellitur propter de-

(1) Angusti nus lib. 1. de Sermone n o -mini i» monte c 28. *Nihil iniquius, quam fornicationes causa dimittere uxorem, et itfie convincitur fornicari. Occurrit enim illud: in quo alterum iudicas teipsum sonlvmnas; eadem enim agis quae iudicas.*

(2) Qua de causa si Catharina fuisset actrix contra maritum, et post episcopalem sententiam qua fuisset iudicatum, eam posse vitam separatam ducere, lapsa in adulterium esset, iam amplius locus separationi non dabatur, quia delicta compensaban tur.

li¿tum quod subsecutum est (1), eo magis iuri conformis videtur sententia Tribunalis Episcopalis, qua denegata est separatio a mensa et thoro, quam Aloisius absque ulla legitima comprobata causa, expostulavit. Quin imo idem ipse dum uxorem laesae fidei coniugalis accusat, adulterinis amoribus indulget.

Quibus, consideratis ad dubia, quorum

1. *An sit locus examini novorum testium in casu.*

2. *An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu.*

S. Concilii Congregatio respondit:

Ad 1. *Negative.*

Ad 2. *Affirmative et amplius.*

1. In causis divortium concernentibus, (et idem de ceteris dicito in quibus testium numerum noa est a iure statutus) arbitrio et conscientiae iudicis remiti itur illum testium numerum audire, quem sufficientem iudicaverit ad veritatem detegendam.

2. Ad divortium inducendum ex capite adulterii requiri

**(1) Aloysio nulla revera actio in uxorem competebat 1. quia ea ipsa nocte qua legitimam uxorem expulit, cum famula ipse concubuerat 2. propter lascivam cum saltatrice consuetudinem.**

**Sed quaeres 1. Catharina habuisset ne actionem contra maritum ob illa quae admiserat hic adulteria, cum eam lue venerea iniecit?**

**Resp. Probabilius negative; quia condonaverat; ratio est 1. quia remittentibus actiones suas, non est dandus regressus. 2. quia reconciliatio contracium matrimonii ad suum pristinum statum revocavit , ac si nulla esset usque tunc fornicatio admissa. Qua de causa si post eiusmodi condonationem ipsa , non maritus . adulterata fuisset, non dabatur compensationi locus, et actio legitima, iuxta hanc seilten tiara, loaiiioconipetebat, petendi scilicet separationem a mensa et thoro.**

**Quaeres 2. Catharina habuisset ne actionem contra maritum si ipsa adnlterium imperfectum, id est tale ex quo geneiatio sequi non poterat, admisisset, maritus vero perfectum?**

**Rcsji. Affirmative. Nam adulterium sufficiens ad divortium est tantummodo perfectura et consummatum,**

**Quaeres. 3. Caiharina habuisset ne actionem in maritum si ipsa adulterium occultum consummasset?**

**Resp. Quidquid sit de foro externo, circa forum conscientiae negative respondendum est, nam nihil interest an fornicatio secreta sit vel publica, quan- <]o ipsi coniugi constat se fornicatum fuisse, atque in simili conditione, quoad substantiam, versatur qua versatur pars quae publice fornicata es t. Debet propterea remittere adulteriunì, quia compensatio iure optimo datur; hinc graviter Catharinapeccasset si separationem expostulasset.**

aut probationes concludentes, ex. gr. confessionem adulteri ; aut suspicionem ita violentam, quae moralem certitudinem praebeat de patrato adulterio (1).

3. Si uterque coniux adulteratio est, neque alteruter adulterium condonaverit, non datur divortio locus, quia adest compensatio; idque etiamsi'adulterium unius sit occultum.

**(1) Prima corollarii pars constat tum ex ipsa naturali ratione, tum ex c penultimo de adulteriis: *Mandamus quatenus nisi tibi constiterit vel per evidentiam rei, vel per confessionem legiUrnam* (id est per confessionem factam in indicio) *mulierit) quod adulterata sponte fuisset, ipsum recipere compellas eandem.***

**Altera vero pars affirmatur a D. Hieronymo in Cap, XIX Matth, et refertur c. *Dixit Dominus* 32. q,, 1. *Ubicumque,* inquit S. Doctor, *est fornicatio vel fornicationis suspicio libere dimittitur uxor.* Et vere, quandoquidem cum adulterium sit ex illis Criminibus, quae in abdito loco et omnino occulte admittuntur, difficillimae probationis est; nec vere probari potest, sed ex probationibus petitis ex praesumptionibus concluditur. Quod adeo verum est, ut si quis in fragranti crimine reperiatur , attamen metaphysica certitudine non constaret, adulterium fuisse consummatum, quale ad divortium exigitur.**

**Suspicio tamen haec non debet esse quaecumque, sed violenta, et qualis deciditur cap. *Literis* de praesnmpt. id est *solum cum sola, nudum cum nuda, in eodem lecto iacentem viderunt multis lotis secretis et latebris ad hoc commodis, et horis electis Respondemus quod ex huiusmodi, violenta et certa suspicione fornicationis potest sententia, divortii promulgari.* Eiusmodi enim suspicio in relatis factis fundata virum quemcumque prudentissimum ad iudicandum adulterium induceret. Secus ex dictis, adulterium numquam probaretur,si adulterorum confessionem excipias.**

**Hinc non potest fieri divortium ob tactus, amplexus, et oscula etiam cum pollutione proprii vel alieni corporis habita, quia per haec licet gravia peccata, non laeditur perfecte et consummate ius matrimonii, cum non dividatur caro unius coniugis ab altero per concubitum in tertium. In odiosis enim, quale est divortium, non lata sed stricta est facienda interpretatio.**

**Quando autem suspicio non est violenta, sed tantummodo probabilis, coniux innocens non potest nec in interno nec in externo foro a matrimonio divertere, autdebitum negare, quia cum coniux, de quo est suspicio, sit in possessione iuris matrimonialis , non potest illo privari ob solum dubium, aut suspicionem; nam *in dubio melior est conditio possidentis.* Et clamant canones: *Omnis suspicio potius repellenda est, quam approbanda vel recipienda.Ga,^. Omnis* 9.caus.6.q.l.**

***Die 13 Septembris 1862.***

**Comite n «D u m f««»tè.** In Civitate *S* Dioecesis *A* insignis «adest Collegiata titulo SSmi Rosarii erecta e Parochiali prius Ecclesia a s. m. Benedicto XIV. anno 1742, unica constans Prioratus dignitate et octo Canonicis « *qui cum Priore praedicto* (sunt verba Bullae fundationis) *Capitulum primodictae Confraternitatis Ecclesiae huiusmodi in saecularem et insignem collegiatam, quae etiam paro -nial i s esse debeat, Ecclesiam ut infra erigendae constituant et apud illam personaliter residere ac inibi debitis temporibus horas Canonicas diurnas et nocturnas, nec non Conventualem et Maiorem, aliasque Missas caeteraque divina officia cum debita mentis attentione servataque Ecclesiastica disciplina recitare, decantare et psallere, clivinisque officiis tam diurnis, quam nocturnis huiusmodi interesse... respective debeant et teneantur.* »

Verum a primis secutae erectionis temporibus evenit, ut Prior, quin ulla dignoscatur facti ratio vel origo, nunquam choro per hebdomadas una cum caeteris Canonicis interfuerit, sed solummodo missam conventualem in solemnioribus anni Festivitatibus celebraret. Quod cum aegre ferret maior Canonicorum pars, ultimae vacationis Prioratus tempore ob mortem Aloysii M. die 27 Iunii 1861 obventam cogitare incepit de huiusmodi exemptione auferenda ; cumque per Bullam Pontificiam mox suffectus in Prioratu fuisset loseph M. eundem memorati Canonici sciscitati sunt, an vellet iuxta primaevam institutionem una cum ipsis Choro interesse. Refragante vero huic oneri se submittere novo Priore, Capitulum supplex adiit Summum Pontificem exponens: quod actualis Prior, qui nuper suae Praebendae possessionem obtinuit, sciens Capitula-

riu//? esse intentionem ut tolleretur abusus per quem ipsemet Prior dhoro p;.[1] r hebdomadas non interesset cum ceteris canonicis ; nunc quoniam institutionem accepit magis ad continuandum dispositus videtur quam ad abusum tollendum; qua de re tum Prior, tum Capitulares sese in conditione reperiunt ut Summus Pontifex resolvat et mandet an etiam Prior debeat Choro interesse per hebdomadas nec ne.

Sede A. vacante, ad Vicarium Capitularem preces remissae fuerunt pro informatione et voto, et ut audito Priore et Capitulo in scriptis, transmissa particula Statutorum capitularium, aliisque documentis ad rem facientibus , super bono iure referret. Quapropter Canonici habito capitulari conventu die 20 Februarii currentis anni, quinque in eam iverunt sententiam ut Prior una cum ceteris teneretur ad chorale servitium, duo vero adstipulantes Prioris sententiae, protestati sunt servandam esse praecedentem consuetudinem. Agnita sed vero per Vicarium Capitularem eorumdem actorum nullitate ob Prioris praesentiam in Capitulo et suffragiorum publicitatem in praedicta resolutione; eaque penitus reiecta, calata iterum fuere comitia die 6 Martii subsequentis, in quibus praecedens sententia ab utraque dissidentium parte propriis argumentis scripto Traditis hinc inde propugnata fuit et vicissim confirmata. Quae omnia a Vicario Capitulari ad S. C. C. transmissa fuere literis 19 dicti mensis martii, quin tamen iisdem particula statutorum capitularium adiecta fuerit. Quoad vero suam sententiam Vicarius haec habet: « *Ne videar Vobis aut Capitulo studere partibus potius istorum quam illorum contendentium, eo quod iurisperitorum opiniones nobis exhibitae in contraria scinduntur, enodandam quaestionem una cum canonicis ipsis censeo sapientissimo Vestro inappellabili iudicio omnino submittendam.*

His vero non obstantibus praenotandum est, folium repertum fuisse in actis, quo idem Vicarius Capitularis audito Advocato Curiae illius ecclesiasticae, favebat exemptioni Prioris ab hebdomadali servitio chori, concludebatque se retinere nihil esse innovandum, et Priorem debere ab onere eiusmodi eximi ut antea.

**Disceptatio synoptiea.**

**EA QUAE FAVORE EXEMPTIONIS PROSTANT.**

Innuebatur consonum equidem esse Beneficiorum choralium naturae, praesentem Be u fieiatum quotidie divinis officiis operam navare *Cap. ult. dist. 92.* Beneficium enim datur propter officium Cap. ult. de Rescript, num. 6. Attamen ad extruendam a chorali servitio exemptionem in casu, proferebantur in medio consuetudo et centenaria observantia , quae vocata fuit immemorabilis. Relatum enim fuit a tempore perantiquo, cuius memoria non extabat, imo vel ab ipsa Collegiatae erectione numquam consuevisse ut Prior cum ceteris Canonicis choro interesset. Atqui, ut observatum fuit, tantum est robur huiusmodi consuetudinis et centenariae observantiae, ui melioris tituli praesumptionem secumferat. Doctores communiter et S. C. Congregatio in Perusina Capellaniae 15 Sept. 1828 et die ,24 Nov. eodem anno. Nec non vim habeat privilegii a Principe concessi Gonzalez *in Regula VIII. Conc. Gloss. 33. num. 4, cui consonat Corradus de Prax. benefic. lib. 2. cap. 10. num. 94. et Rota in decis. 12. et decis. 117. num. 13. coram Gamberini ceu fuse relatum est in Fer entina Procurationis 25 Februarii 1826 § nullum ubi haec leguntur « In Cardinalitiis Congregationibus consuetudo plurimum attendi solet_____ut solitum non atteretur, ceu tradit De Luca de Parochis disc. 14. n. 1.* » Imo iuxta Riganti in Regula 2 Cancel, num. 138. seq. « licet » privilegium Apostolicum ambulet pari passu cum immemo» rabili, tamen haec est maioris virtutis et efficaciae, cum » illius ope possit quis allegare meliorem titulum de mundo». Neminem vero latet Privilegio Apostolico, si adfuisset, eximi legitime potuisse Priorem eiusmodi Collegiatae a servitio chorali: *in Nullius Sublacen. 18 Iulii 1807.*

Favore consuetudinis eiusmodi observatum fuit praeterea, illam ducere suam originem rationabilem ex quodam .forte grati animi sensu erga primum Priorem, summopere de Collegi ita

benemerifum; eamque firmatam fuisse favore successorum *G.* patientia Capitularium, et tacito consensu Auctoritatis Ecclesiasticae, quae per centum et amplius annos nil unquam Contra decrevit. Maximi ergo facienda foret huiusmodi observantia praesertim cum diuturna et perennis sit, quae proinde solet esse optima legis et voluntatis interpres, eo vel magis si proxima fuerit fundationi *Piton, de contr. Pnt>\ all. 17. num. 13, Card. de Luca de Iurepatr. disc. 60 num,. 11,* illis nempe viventibus qui erectionem Collegiatae postulaverat ; et ita interpret-iti sunt onus Prioris , ut, hebdomadali servitio ipse non teneretur. Nec ratione huiusmodi observantiam caruisse autumant, etiam ex eo quod maiora in dicta Collegiata sint onera Prioratus, quam aliorum Capitularium. Prior enim solemnioribus omnibus anni festis Missam canere, et quolibet anno sexdecim numero plures quam ceteri Canonici Conventuales Missas ipse celebrare tenetur. Missa vero Conventualis grave est onus, et praecipua pars divinoruso officiorum Canonicis incumbentium, ita ut horas canonicas ad eam ordinari liqueat *ex Cap. Cum Creatura de celebr. miss.* Gavant in Rubr. miss. tom. 1. part. 1. t. 7. rubr. 2. S. Congregatio Conc. in Mazzarien. 18 Martii 1826 8 Canonicorum. Ex quo arguebatur chorale onus Prioratui impositum respective maius esse chorali servitio, quod canonicis reliquis incumbit, et compensationem quamdam praeseferre cum eiusdem exemptione ab hebdomadali servitio.

His praeiactis nihili faciendas esse, censebatur, querimonias nonnullas quorundam Canonicorum praedecessorum , quibus hodierni capitulares, qui contrariam partem propugnant, innuere vellent, ut interruptam aliquando fuisse praedictam consuetudinem evincant. Praeterquam quod enim huiusmodi querelae et adversae reclamationes nullimode probentur, certa insuper earumdem testimonia vel documenta afferri debuissent, quod huc usque peractum esse adversarii Cano n ici non docuerunt. Sed dato etiam quod ipsi alquando reclamaveriut, illud etiam concludenter in hypothesi statuendum foret, legitimo tempore, seu nondum inducta consuetudine, easdem querelas fuisse promotas; ne secus ad infirmandam observantiam omnino despici debeant

iuxta Engel. Coll. Iur. Canon. Ii h. 2. tit. 26. p. 5. num. 34. His ergo non undequaque probatis concludendum esse putabatur vel ab ipso erectionis die exemptionem a chorali servitio per privilegium concessam fuisse Priori Collegiatae, vel per legitimam consuetudinem fuisse deinde acquisitam. Per consuetudinem enim, ut habent Doctores, totum id acquiritur quod potest acquiri.

EA QUAE CONTRA **EXEMPTIONEM** FACIUNT.

Ex adversa autem aliorum Canonicorum parte anim ad vertebatur in primis, eam esse omnium Beneficiorum naturam, ut propter ecclesiasticum officium formaliter instituta sint ; quod quidem officium in praebendis Cathedralium et Collegiatarum constitutum esse in chorali servitio nemo unquam dubitavit. Hinc post sanctiones iuris canonici *in cap. inter quatuor et cap. ult. de clericis non resident, et Clement, de celebrat, missae,* Concilium Trident, in *sess. 24 cap, 12 de ref or.* iussit *ut omnes* (Canonici) *divina per se compellantur obire officia... atque in choro ad psallentium instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte, devot eque laudare.* Quibus canonicis sanctionibus innumerae accedunt Sacrae C. Congregationis resolutiones, quas hic referre operae pretium haud esset; praesertim cum Bulla quoque erectionis Collegiatae, in themate de quo agitur aperte loquatur ; statuens et iubens ut Prior una cum ceteris Canonicis ad obeunda munera Collegiatae teneatur. Quapropter ad adstruendam exemptionem ab huiusmodi onere legibus solemniter sancitam et naturae praebendarum inhaerentem, legitimum et vigens beneplacitum seu indultum Apostolicum requireretur, nec sufficeret illud quomodocumque praesumptum. Qua in re quanti facienda sit deficientia Indulti Apostolici manifestum fit ex una pariter *Ariminen. Servitii chori* 18 Augusti 1826 in Ecclesia S. Luciae oppidi Sabiniani, a Summo' Pontifice Benedicto XIV, eodem anno quo Ecclesia SSmi Rosarii in Collegiatam erecta. Cum enim memoratae Collegiatae S. Luciae Sabiniani Archipresbyter consensum erectioni Collegiatae dedisset, assumpturus onus inserviendi choro diebus festis tantum, aegre proinde tuli*¿ct

graviora sibi onera imposita per Apostolicas litteras, licet suffultus ab Episcopo ad exemptionem evincendam, frustra adlaboravit apud S. C. C. ut petitam exemptionem obtineret.

Nec aliquid ad rem facere videretur contraria observantia. ; praeter quam quod enim eadem explicitae fundationis legi resisteret, ut patet, et manifeste contra naturalem beneficiati obligationem a SS. Canonibus statutam adduceretur, illico tamquam abusus reiicienda fuisset, nec tractu temporis convalescere unquam potuisset cum nonnisi per corruptelam disciplinae choralis fuisset inducta. S. Cong. in Perusina 21 Iunii 1828; aliud etiam adiungeretur in casu, testibus scilicet Canonicis, "qui praetensae exemptionis refragentur , non defuisse praeterito tempore querelas et reclamationes Capitularium contra eandem observantiam, ex quo fuisse aliquando interruptam retinendum foret ; quippe quae etiam ex solo in contrarium rumore funditus everti potuisset, ceu monet Riganti Reg. Cancell. reg. 4. p. 6. n. 44. et seqq.

Sed et ulterius urgent Capitulares: quaecumque enim sit indole-i adsertae observantiae, dubitari nullatenus posse dicunt, eam directe adversari sanctionibus Tridentinis, ideoque necessario incidere sub censura Constitutionis s. m. Pii IV. *In Principis Apostolorum* quae consuetudinem quamcumque Concilio Tridentino contrariam nullam et irritam declaravit. Ea vero Constitutio, ceu sapienter monuit Benedictus XIV. Inst. Eccl., 60, n. 7. *singula eiusdem Concilii capita simul complectitur, et nullius efficit momenti consuetudines quae leges in iisdem capitibus praescriptas violent.* Quod si ex contextu eiusdem Constitutionis ita omnino retinendum de consueti! :inibus, quae decreta Tridentini praecessissent, potiori sane ratione idem dicendum foret de iis consuetudinibus, quae contra iam statuta decreta introduci vellent. Ob decretum siquidem irritans in ipsa constitutione Pii IV. contentum, infecta illico remanet quaecumque contraria possessio vel observantia, ut propterea consuetudo incipere non potuisset. Card. De Luca de Canonie, et copia disc. 33. num. 3. Adnot. ad Concil. Trid. Disc. 1. num. It et alibi.

Et haec quae adnotata fuero in genere sunt; in specie au-

fem (le chorali officio monet Barbosa de Off. et Pofett. Episc. All. 33. num. 131, et 133. pluribus allatis auctoritatibus. *Canonici et qui Dignitates obtinent in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis etiam seclusa consuetudine vel statuto.,. tenentur psallere in choro____omnibus diebus et horis debent Canonici interesse____et non possunt iuvari aliqua, consuetudine, quin teneantur omnibus septem horis inservire.*

Argumento autem ducto a Canonico qui in Choro praesens minime psallit, ad Canonicum qui, quod maius est, ne praesens quidem choro unquam assistit, ad rem praestat referre textum supra memoratae Constitutionis Benedicti XIV. *Cum semper oblatas* 19 Augusti 1744. num. 24. « *Equidem scimus in aliquibus Metropolitanis et Cathedralibus Ecclesiis inter Canonicos eam opinionem invaluisse ut se munus suum satis implere contendant dum choro praesentes assistant, licet ipsi sibi silentium imponant, neque psallentibus Beneficialis aut Mansionariis in cantu se adiungant. In huiusmodi vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteralae consuetudines, statuta peculiaria, aut etiam praetensa Ecclesiarum privilegia. At cum.... receptae in ^universa Ecclesia disciplinae illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa numquam in Congregatione Concilii Tridentini interpretationi praeposita examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata , quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis innixaperhiberetur... nihil iam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent.* »

Cui doctrinae, observabatur, apprime consentaneam esse praxim S. C. C. nemo non videt: ex centenis enim resolutionibus , quae in praesenti materia afferri possent, id constanter eruitur, quod quoties exemptio a Chorali servitio sustineretur ab aliquo Capitula vel Canonico in vim peculiaris Apostolici Indulti, vel ex eo quod imminutis praebendarum reditibus fructus viderentur impares ad onera sustinenda beneficii, tunc S. C. C. ex iustissima aequitate ducta eandem exemptionem vel saltem imminutionem in Chori servitio approbare consuevit, ut apparet ex iam citata *Nullius seu*

*Sublacen. Visitationis Sacrorum Liminum* 18 Iulii 18Ö7 *in qua proposito dubio « an Canonici S. Andreae compelli debeant ad recitandas integras horas canonicas diebus Dominicis, aliisque festis de praecepto* » responsum prodiit « Negative. » Favebat enim Canonicis Decretum in actu S. Visitationis ab Emo Canale latum, quod a Summo Pontifice Pio VI. probatum fuerat. Eamdem ex adverso exemptionem constanter respuisse videtur, quoties ex titulo consuetudinis, et iugi observantia adstrueretur, ceu patet *ex Setina 21 Ian. 1786.* Cum enim Episcopus retulisset consuetudinem, quantum hominum memoria extenditur, fuisse, quod Canonici integrum officium nonnisi in aliquibus anni festivitatibus recitarent, et ipse Episcopus arbitrarentur ut Canonici adstringerentur ad integrum officium recitandum diebus Dominicis et Festivis de praecepto ultra consuetos, S. Congregatio respondit, compellendos esse Archipresbyterum et Canonicos ad Chori servitium iuxta votum Episcopi. Item in Albanen. 4. Aprilis 1789, in qua cum ad declinandam integri servitii choralis legem Canonici inveteratam observantiam adduxissent, eorum preces ab Emis Patribus in Congregatione 16 Maii eiusdem anni reiectae penitus fuerunt.

His, aliisque praenotatis sequens propositum fuit enodandum

**Dubium.**

« An Prior Collegiatae Ecclesiae SSmi Rosarii teneatur » hebdomadali Chori servitio in casu? »

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 13 Septembris 1862, causa cognita respondere censuit:

*Affirmative et amplius.*

EXINDE COLLIGES :

I. Nullum Canonicum eximi a servitio chorali ; dum ex Tridentino Concilio *Sess. 24. cap. 12. de refor.* quivis praebendatus debeat per se et non per alios divinum obire ofdcium, cuius gratia beneficia ecclesiastica instituta fuere.

***U.*** Frustra adlaborare ad evincendam exemptionem ab eiusmodi onere legibus solemniter sancito, qui Apostolicum IndulUim, legitimum et vigens, haud quomodocumque praesumptum, in sui favorem exhibere non possit.

III. Consuetudinem et observantiam in contrarium haud alicui refragari hac in re; eo quod potius reficiendae sint tamquam abusus contra naturalem legalemque beneficiati obligationem inductus; quique utpote disciplinae choralis corruptela numquam tractu temporis convalescere possit.

IV. Nullius esse roboris observantiam eiusmodi evinci etiam ex eo quod illa adversetur sanctionibus Tridentinis proindeque incidat in censuram Pii IV. *In Principis Apostolorum* quae iuxta *Benedictum XIV. Inst. Eccl. 60, n.* 7. *singida* eiusdem *Concilii capita simul complectitur et nullius efficit momenti consuetudines quae leges in iisdem capitibus praescriptas violent.*

V. Nostro in themate adversari Prioris consuetudinem abessendi a choro, non solum legibus Ecclesiae generalibus sed eliam specialibus istius Capituli constitutionibus, quae, praeter alia, disponunt « *ut Prior et Canonici debeant personaliter residere (apud Collegiatam) ac inibi debitis temporibus horas canonicas diurnas et nocturnas.... caeteraque divina offi-ia.... recitare.* »

# PRAEBENDAE THEOLOGALIS

*Die 18 Aprilis 1868.*

**t oiik|i^«tf!**¿waM **faet«.** Episcopus C. in sua triennali relatione super suae Dioecesis statu die 15 Febr. an. 1851 retulit Canonicum Theologum Iosephum A. tam propter praebendae tenuitatem, quam propter adversam valetudinem, ac auditorum defectum praescriptas a Concilio Tridentino Sacrae Scripturae lectiones intermisi sse, nec unquam adduci potuisse ad eas, saltem per substitutum reassumendas; licet alioquin idem Theologus collationibus Moralibus, et Biblicis, quae in Episcopio habebantur praeesset. Sacra C. Congregatio die 19 iulii 1852 rescripsit praedictum Canonicum suo muneri satisfecisse minime putandum esse, ac si vellet suae conscientiae consulere, separato libello debere S. C. rem diligenter exponere, praeteritarum omissionum veniam expostulando. Hisce sedulo obsequens praelaudatus Canonicus supplicem obtulit libellum ad absolutionem consequendam ; nonnullas tamen animadversiones adiungens, quibus sperabat suam agendi rationem a S. C. approbatum iri non solum quoad praeteritum, sed etiam quoad futurum Quas quidem Oratoris deductiones Episcopus litteris datis die 18 Octobris 1854 confirmavit quoad rei veritatem, ac insimul magnopere commendavit.

Canonicus A itaque exposuit, se post Theologalis praebendae assecutionem Sacram Scripturam in Cathedrali Ecclesia legisse a mense Novembris ad finem Iunii singulis feriis V. diebus festis exceptis, tempore Adventus et Quadragesimae ob appositos tunc fiori solitos serniones ; nec ab incepto munere destitisse, nisi gravi morbo correptum, quo tamen coactus est a recitatione etiam Breviarii, et a residentiae lege aliquando dispensationem obtinere. Aliquantulum deinde convalescens,

sed oulmonari morbo et advenientis senectutis incommodis laborans licet a) Episcopo rogatus esset, ut una saltem in singulis mensibus vice lectionem haberet, munus illud rursum haud suscepit, animadvertens id pene inutile sibi visum esse, cum ipsa intermissio auditores iam ab initio raros, rariores etiam reddidisset.

Interea tamen subiunxit se non defuisse aliis utilibus officiis operam dare, praesertim vero in regendis per quindecim annos collationibus, quas ad instar earum quae a Frassynoux, Ventura, et Lacordaire habitae fuerunt, Episcopus C. de consensu Capituli in sua Dioecesi institui curavit ad profligandos errores illos, qui per libellos publicasque ephemerides in dies magis ac magis evulgantur. Quibus porro collationibus suo se satisfecisse muneri autumat innixus adnotationibus Secretarii S. C. C. circa dubium Praebendae Theologalis in Thes. Re solut. relatum tom. 2. pag. 329. ad annum 1723, in quibus diserte continetur, potestatem fieri Canonicis Theologis legendi Sacras Scripturas vel Theologiam. Quod admitti ait etiam a Ferraris in *Biblioth. Canon, ad V. Canonicus art. 9. num. 27 et 28,* ubi tempus locus et materia lectionum relinquuntur arbitrio Ordinarii. Praeclarissimus vero Lambertinius in *.Insta.* *57.* num. 2. refert ab Innocentio III statutum fuisse, Canonicum Theologum debere Sacerdotes aliosque Sacris Literis informare et ea praesertim tradere, quae ad animarum curam spectant; ac insuper affirmat *ibid. n. 7. et 8.* decisum alias fuisse sive Sacram Scripturam sive Theologiam Scholasticam legi posse, imo quibusdam in locis quaestiones morales exponi, quod tamen ob peculiares rationes Bononiae tolerandum non esse censuit.

Haec autem omnia arctius in suo casu urgere subiungit orator, si vel ipsa natura respiciatur suarum collationum, quae, ut ipse prosequitur, vocantur quidem morales, adhibendo vocabulum commune et usitatam; ast sunt etiam speculativae et dogmaticae ; etenim casus propositi, non quomodocumque sunt compositi, nec per saltum in rebus tractandis; nec solam praxim in Sacro Tribunali habendam respiciunt, sed verius theologicas tractationes complectuntur. tum quoque varia argu-

menta theologica, politica, et historica attingunt, quae in dies agitantur. Item cuilibet casui ex Theologia additur alter ex Sacris Litteris, modo de generalioribus principiis, modo de quibusdam specialibus difficultatibus.

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. EX officio observabatur quam cordi semper fuerit Ecclesiae in Sacrarum Litterarum scientia profectus evinci ex dispositione qua Alex. III. in Concil. Lateran. III. beneficium institui voluit in qualibet Cathedrali Ecclesia ad pauperes clericos in sacris litteris et disciplinis erudiendos. Innocentius vero III in Lateranensi Concil. IV decretum Alexandri confirmavit et insuper iussit ut in quavis Metropolitana^.ecclesia Theologus constitueretur ad edocendam Scripturam Sacram et cetera quae ad animarum curam pertinerent. Tridentina Synodus tandem, huiusmodi Generalis Concilii dispositionem ad Collegiata» etiam in insigni aliquo oppido existentes, unico decreto omnia complectens et etiam adiiciens, ampliavit. Sess. 5. C. 1. de reform. Ea quae pariter omnia post Concilium Trid. confirmarunt Benedictus XIII. in Constitut. *Pastoralis officii,* et nuperrime Gregorius XVI Litteris Encyclicis editis anno 1844. Multoties disputatum est de praeciso munere Canonici Theologi. Ac primum, vel in ipso Tridentino Concilio, teste Card. Pallavicinio in eiusdem Concil. Historia lib. 7. n. 83. ad 90, controversia obtinuit an in Monachorum Coenobiis lectio S. Scripturae, vel potius Theologiae Scholasticae tradi deberet, ac retentum fuit praeferri debere Sacrarum Litterarum studium, non omissa tamen Theologia.

Plures vero Doctores innixi Concilii Trid. decreto ac insequentibus Pontificum, praesertim praelaudati Benedicti XIII constitutionibus, quae promiscue de lectione Scripturarum deque Sacra Theologia loquuntur , rati sunt Canonicum Theologum aeque suo muneri satisfacere si vel S. Scripturam legat vel dogmaticam aut scholasticam Theologiam doceat. Fagnanus in cap. *Quia nonnullis num. 29, 30, 31. de Magistris.* Ferraris *%à verb.* Canonicus art. 9. num. 15. §. SO.^öard. Petra in *comment,* ad *Constit,* Inn. VI. n. 46. et Benedictum XIV in Instit. 57. n. 7. Et ceteris omissis praestat eum-

dem Benedictum XIV audire in *Synod,* dioeces, lib. 13. cap. 9. n. 17. ubi haec habet. « De hac etiam re actum fuit cum nos » a Secretis essemus saepedictae Congregationis Concilii; quin » etiam typis impressus fuit discursus quidam noster in ea » Congregatione relatus, quae habita fuit die 5 Iunii 1723 » qui legitur in Thes. Resol, tom. 2. 329. In eo probavimus » decretum illud Tridentini Concilii, sive eius verba conside- > rentur sive ratio habeatur praxis et consuetudinis sequen- » tium temporum, aeque comprehendere Scripturarum Sacra- » rum expositionem ac Theologiae scholasticae disciplinam , » et a Canonico Theologo non magis suo muneri satisfieri si » Sacrae Scripturae libros explicet et declaret, quam si in » Theologia scholastica clerum erudiat, dummodo haec talis sit, » qualem Melchior Canus tradendam addiscendamque suadet > in suo Lib. 8 de Locis Theologicis cap. 1. et quidem nos » etiam indicavimus in nostra Instit. 42. quae scilicet circa » quaestiones gravis momenti et utilitatis versetur easque per- » tractet allatis Divinae Scripturae testimoniis, conciliorum de- » cretis, et Patrum auctoritatibus. » Quam quidem senten tiam confirmavit S. C. C. in Fulginaten. 3. Iulii 1784, Episcopo rescribi iubens « *Theologum suas lectiones peragere debere* iuxta tradita a Benedicto XIV de Syn. Dioec. lib. 13. cap. 9. n. 17. > Quod iam antea in Hispalensi diei 5. April. 1576. responsum pariter fuerat a S. C. C; cum enim quaesitum fuisset utrum obtinens Praebendam Theologalem suo muneri satisfacere valeret lectiones Theologiae Scholasticae prosequens quas explicandas susceperat, S. Congregatio censuit « *Satisfieri Decreto Concilii sess. 5. c. 1. si oel Sacra Scriptura, vel Theologia Scholastica legatur* » (lib. decr. 2. pag. 153).

Quod praefati auctores et allatae S. C. resolutiones affirmant de Theologia Scholastica, idipsum multi tenent de morali. Sic inter alios Card. de Luca in Annor. ad Conc. Trid. Disc. II. n. 5. censet, in partibus haereticorum theologiam scholasticam, in locis vero in quibus pacifica est fidei catholicae possessio, moralem utpote utiliorem isse tradendam; et Card. Petra loc. cit. sese referens ad hanc sententiam Card. De Luca et advertens quod res prudentiae Episcopi a S. C. O.

fuerit remissa, improbari non posse ait lectionis Theologiae moralis iniunctionem a qua non dissentire prorsus videtur Benedictus XIV. qui in Instit. 57. n. 8. narrat in quibusdam locis pro Sacra Scriptura et Theologia Scolastica quaestiones de Morali Theologia a Canonico Theologo explicari, et in Syn. Dioeces, loc. cit. clarius aliquo modo sese explicans ait, nonnullorum Episcoporum mandato laudabiliter factum esse , ut per Canonicum Theologum ea traderetur Theologia, quae est de conscientiis et moribus dirigendis. Cui opinioni consonant ea, quae in citato dubio Praebendae Theologalis anno 1723 exposuerat, Theologiae scilicet Scholasticae subrogatam fuiss« Theologiam moralem, quae subrogatio fieri prius coepit cumulative cum ipsa lectione S. Scripturae, decursu tamen temporis cumulativam hanc lectionem cessasse, et Canonicos Theologos praesertim in locis, qui ab haereticis dissiti erant, solos casus conscientiae explicare consuevisse.

Quoad Concilii Congregationem vero observari potest *die 16 Aprilis* 1595, lib. 8 decr. pag. 116 Episcopo Pharensi rescriptum fuisse « *Praebendam Theologalem alicui e Collegii Illyrici alumnis, alioquin idoneis utique conferri ab Episcopo posse tametsi casus conscientiae tantum sit explicaturus* » et in Polignanen. die 12 Novemb. 1639. lib. 16. Decr. pag. 292 « *Sufficere ut Canonicus Theologus sit licentiatus in utroque iure, alias idoneus ad docendam Theologiam moralem;* » nec non in Pacen. 24 Aug. 1765, in qua allegante Episcopo usum iam invaluisse ab erectione Praebendae Theologalis, ut Theologus de Theologia morali seu de casibus conscientiae lectiones haberet, quod etiam deinde expresse ab Episcopo cum Capitulo statutum fuerat, proposito dubio « *An Canonicus Theologus cogi possit pro arbitrio Episcopi etiam per muletas loco Sacrae Scripturae legere casus conscientiae seu Theologiam moralem in casu* » etc. prodiit responsum « *Affirmative* » quamvis ut animadvertebatur in folio a Secretario, in Ecclesia Pacensi lectiones Theologiae moralis haberentur a Canonico Poenitentiario ; qui ex veteri more id agebat, et ad S. Scripturae expositionem et interpretationem Theologum separatum exhibuisset.

His tamen non obstantibus, perspiciendum est utrum ea quae per auctores nonnullos disseruntur super satisfactione muneris Praebendae Theologalis per lectiones moralis Theologiae satis convenire dicenda sint cum Decreto Cap. 1. Sess. 5. de Refor. a Patribus Trident, edito. Profecto si aliquem rarissimam casum exc pias, in quo id fuerit ex speciali aliqua circumstantia a S. Congregatione permissum , quamplurima in Thesauro Resolutionum inveniuntur exempla , in quibus denegata fuit Theologo facultas muneri suo satisfaciendi per Theologiae moralis lectiones.

Quare si iuxta ea quae superius adnotata fuerunt ex Benedicto XIV. cum nonnullorum primae notae Doctorum auctoritatibus, ex recepta interpretati >ne factum est, ut Theologus muneri suo satisfaciat Theologiam Scholasticam docens, maxime cum S. C. Congregatio in huiusmodi quaestione Auctores ipsos praeiverit, ut iam allatum est, eamdemque interpretationem praesertim post Benedictum XIV approbaverit, saepius ad proposita dubia super lectionibus a Theologo faciendis respondendo ut *in Fui g insten 5 Iulii 1784 « lectiones peragendas esse iuxta tradita a Benedicto XIV.* de Syn. Dioeces. 1. 13. c. 9. §. 17; » maxima tamen difficultas superesse videretur ex plurimis S. C. C. Decisionibus, ut idem statuatur de Theologia morali. Imo responsio, ut saepius notatum fuit, ab Emis Patribus post Benedictum XIV praesertim lata satis innuere videretur ex peculiaribus tantum circumstantiis, aliquando permissum fuisse, uta. Theologo Scientia morum traderetur; idque vel ex maxima forsan necessitate in Pharen. 6 April. 1595 et Polignanen. 12 Nov. 1639. vel ex immediata interpretatione legis fundationis, quae per annos 86 ab ipsa erectione Praebendae obtinuerat in Pacen. 24 Augusti 1765. Ceterum non defuerunt Episcopi qui lege synodali mandarunt ut canonicus Theologus Sacrae Scripturae et Theologiae moralis cumulative lectiones haberet; et in Cap. 8 Tit. I Concilii Romani sub ipso Benedicto XIII edito post minutam traditam methodum habendae lectionis Scripturae Sacrae, maxime inculcatur textus litteralis expositio, quam postea excipiant duae quaestiones exinde dedu-

cendae historica et moralis aut dogmatica aut disciplinaris.
; cum humanae eruditionis et spiritualis proiectus considerationibus. At longe haec esse videntur ut evincant permissam esse subrogationem lectionum Theologiae moralis expositioni et interpretationi S. Scripturae a Theologo faciendae.

His praenotatis longius immorandum esse haud videtur in recensendis Doctoribus qui negant Theologum officio suo fungi si moralem Theologiam legat, inter quos Gallemart Adnot. *ad* ***c.*** *i Sess. 5 Conc. Trid. num. 16 Ferraris ad, V. Canonicus cap. 9 n. 15 et Bened. XIV Instit. 57 n. 8* qui etsi affirmet, in quibusdam equidem locis Theologiam moralem legi solere, id tamen non esse dissimulandum ait nisi in parvis oppidis.

Posteaquam haec in iure perpensa fuere, minime praetermittendum est, dubitari etiam in facto posse an collationes eae, quibus Orator praeesse dicitur, quaestiones Theologiae moralis vel etiam Scholasticae appellari queant. In iis enim, uti idem Canonicus A. retulit agebatur « de Christo democratico; de Populo ut hodie dicitur *Sovrano;* de Hominibus novis; de Tolerantia; de Coelibatu; de bonis ecclesiasticis; de Papatu temporali; de Ecclesia et Protestantismo; oj libertate conscientiae; de cultu externo etc. » Quae omnes iractationes licet theologicis principiis examinari valeant; maxima tamen ex parte ius publicum ecclesiasticum vel politicum potius attingunt, quam ipsam Dogmaticam vel Moralem Tb ologiam.

His perpensis quae ad potiorem rationem referebantur qua Canonicus Theologus ab expositione et interpretatione S. Scripturae se legitime eximere arbitrabatur; nonnullae observationes fiebant ex officio relate ad alium titulum quo Orator Theologus semet subtrahere posse opinabatur ab assumpto onere sub praetextu vel defectu auditorum, vel redituum tenuitatis, vel earum regionum consuetudinis. Et quoad auditorum defectum observabatur illum minime excusare ab habenda Sacrarum Scripturarum lectione ceu resolutum fuisse apparet a S. C. C. in Fundana 15 Octobris 1618; rogata enim respondit, non posse Canonicum Theologum sese exime-

re ab explanatione Scripturae praetextu quod non habeat auditores; *Ferraris V. Canonicus* c. 9. n. 15. Ideo praesertim quia uti ex pluribus eiusdem S. Congregationis resolutionibus animadvertit Card. Petra Comment, ad Const. 2 Innoc. VI num. 62 ad interveniendum lectioni Theologali cogi semper possent Parochi, Canonici Praebendarii, ac Confessarii saeculares. Redituum tenuifas quanti facienda sit vel ex eo statui valet, quod onus explicandi Sacras Scripturas Praebendae Theologali praecise traditur adnexum, cum certis determinatis fructibus, quibus Theologus gaudet. Quoad consuetudinem tandem iuverit animadvertere eamdem Tridentinis Sanctionibus directe adversari, ideoque irritam renunciandam esse, omnique effectu destitutam ex Constitutione Pii IV *In Principis Apostolorum*, quae uti habet Bened. XIV Instit. 60 *« Singula eiusdem Concilii capita complectitur, et nullius efficit momenti consuetudines, quae leges in iisdem capitibus contentas violent ».*

His, aliisque praenotatis proposita fuere enodanda

i i **u h s»**

€ L An et quomodo Canoni» us Theologus officio Praebens » dae Theologalis satisfacere dicendus sit Collationibus mora- » tibias et Biblicis in casu. »

« II. An et quomodo Canonicus Theologus ob defectum » Auditorum, tenuitatem redituum et consuetudinem ab offi- » cio Praebendae Theologalis adimplendo exemptus repu- » tari valeat in casu ».

*Et quatenus Negative*

« III. An et quomodo consulendum sit SSmo favore Cano- » nici Theologi A. super praeteritis omissionibus in casu.»

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 18 Aprilis 1863. causa cognita, respondere censuit:

*Ad L et ad II: negative in omnibus et amplius:* ad III affirmative et quoad futurum Episcopus provideat ad formam iuris.

EXINDE COLLIGES:

I. Canonicum Theologum muneri suo et institutioni eiusmodi officii haud stricte satisfacere nisi Sacrarum Scripturarum lectionem et interpretationem peragat; « *ne ut Tridentinum ait Sess. V cap. 1 de ref.* officium Canonici Theologi instituens, *coelestis ille Sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus Sanctus summa liberalitate hominibus tradidit neglectus iaceat.* »

II Proindeque muneri suo minime satisfactum fuisse per Theologum A. collationibus quibus praeerat; eo quod licet quaestiones illae -principiis theologicis examinari valeant, tamen propius attingunt ius publicum vel politicum, quam theologiam Dogmaticam vel Moralem.

III. Neque ullimode eximi Canonicum Theologum ab habenda Sacrarum Scripturarum lectione et interpretatione vel per auditorum defectum, vel per redituum tenuitatem, vel per alicuius loci consuetudinem in contrarium.

IV. Non deesse tamen nonnullas S. C. Congregationis resolutiones, auctoresque non paucos qui autumant Canonicum '1 heologum suo fungi munere tum si legat et interpretetur Scripturam Sacram, tum si pertractet Theologiam Scholasticam, dummodo ista versetur circa quaestiones gravis momenti et magnae utilitatis.

V. Neque tandem defuisse Episcopos nonnullos, qui lege Synodali mandarent ut aliquando Canonicus Theologus Sacrae Scripturae et Theologiae moralis cumulative lectiones daret, praecipue in parvis oppidis.

# IURISPATRONATUS

*me 30 Iulii 1872.*

**Compendium facti.** Canonicus C vita functus est die 3 Februarii 1749; et quoniam dum viveret pietatem coluerat, in huiusmodi virtutis testimonium beneficium simplex instituit supremis voluntatis suae tabulis, atque nonnullis fundis rusticis et urbanis dotavit, qui insimul Rectori darent scutata circiter quinquaginta, cum onere unius Missae in qualibet hebdomada. Distinxit iuspatronatus in activam et passivum, concedens primum Archipresbytero, pro tempore, Collegiatae, in qua ille fuerat Canonicus. Secundum vero concessit Filiis masculis ex sorore M; et, deficientibus istis, subroga vit et nominavit in iuspatronatus passivo filios natos ex alia sorore C. Tamen ut indignum exclusit ab hoc beneficio B. unum ex filiis Sororis primae, et omnes illius descendentes tam in linea masculina, quam in linea foeminina. Dedit Archipresbytero normam in perpetuo servandam; ut nominaret nempe vicissim alterum ex familia M, alterum ex familia C. Quam agendi rationem Archipresbyter sequutus fuit ad haec usque tempora, et unus ex sorore C. descendens Beneficium retinuit usque ad diem 21 Augusti 1871, in qua mortem oppetiit. Ex quo decessu Beneficium cum vacaret, illico adi verunt Archipresbyterum praefatum, obtinendae nominationis causa, Presbyter B. et clericus E. Originem trahebat hic a B. excluso in perpetuum a beneficio passivo, descendebat alter a Sorore C. per medium foeminae. Infer duos istos postulantes Archipresbyter nominavit Clericum E. sub conditione dispensationis obtinendae super aetatis defectu, et Curiae illum praesentavit die 8 Novembris 1871. Qui obtenta nominatione, preces illico Sanctissimo Principi oblulit ut ei dispensationem super aetatis defectum indulgere dignaretur. Ordinarius Clerici E quaesitus ut referret dj

aetate, moribus, studiis et de legitima oratoris petitionis «ausa, respondit: « Clericus E natus est die 3 Februarii 1860 > baptizatus, et confirmatus fuit, bonisque ornatur moribus, » et clementiae Sanctissimi Principis commendamus ut peti- » tam ab eo gratiam imploret. » Nullam inde asserebat aliam adesse dispensationis causam, praeter sanguinis coniunctionem cum passive vocatis, et angustias familiares, obitu patris, auctas. Presbyter B acriter sese opposuit dispensationi huic; ideoque S. C. Congregatio iussit ut Ordinarius partes moneret causam disceptandam esse plenis comitiis, et ut iura sua deducerent quatenus vellent.

**Disceptatio syuopttea.**

EA QUAE FAVORE CLERICI E PROSTANT.

Eiusmodi Clerici patronus sustinuit, duplici de causa aetatis dispensationem ei concedendam fuisse: 1. quia iuspatronatus passivo gauderet; 2. quia altera linea, ex qua oppositor descendebat in actuali vacatione excludebatur. Et quoad primum haud obstare Geminiani sententiam, qua contenditur, deficiente omnino Familia, vel gente, cui patronatus fuerat relictus, patronatum extingui; ecclesiamque ad liberam Episcopi collationem devolvi; quum Ancharanus, et Doctores communiter censuerint, patronatum tunc transire ad haeredes tam ex testamento quam ab intestato ultimi de familia vel genere morientis, proindeque iuspatronatus haereditarium fieri.Et Pitonius theoricam Ancharani referens sic se habet in Disceptatione 33 n. 1: « Celebris et a foro recepta Ancharani theorica, quae meliore » fortuna praevaluit contrariae Geminiani sententiae, edocuit » ut iuspatronatus gentilitium in ultimo de familia fiat hae- » reditarium et ad eius haeredes transeat quamvis extraneos: » ea ratione, quod cum de iure communi iuspatronatus transeat » ad haeredes extraneos, idcirco provisio hominis, seu fun- » datoris vocantis et exprimentis descendentes masculos de » Familia, non tollit provisionem legi$, seu iuris communis » quod iuspatronatus defert extraneis haeredibus, cum illa » expressio Fundatoris quoad eosdem descendentes, non vi- » deatur exclusisse alios successores qui nituntur de iure

> communi, sed censeatur facta mentio de illis potius ex » abundant], seu quia voluit eis pinguius providere, ut ius- » patronatus transiret ad eos etiam non haeredes. »

Si id in iure certum evadit ex Ancharani sententia, in facto aeque certum fuisse, aiebat, B exclusum a Fundatore, successisse, ministerio legis, ultimo ex Filiis M; in totam haereditatem. Ast Clericum Ë descendere a B per medium Foeminae demonstratum fuisse ex arbore genealogica. Ergo aeque certum evadere clericum E frui debere iuspatronatus passivo, utpote haeredem totius axis patrimonialis, quo etiam dos dicti Beneficii continebatur. Neque obesse contendit B exclusum fuisse; quandoquidem ipsum clericum non venire qua descendentem a B, sed qua haeredem ultimi ex familia M: quo in casu provisionem legis cessare facere provisionem hominis. Inutiliter autem opponi posse ex theorica Ancharani derivare absurdum; nempe iuspatronatus in una linea esse haereditarium, in altera vero gentilitium. Eiusmodi doctrinam haud implicare, satis erudite tradere Pitonium Disceptatione 33 n. 2 « quae theorica procedit etiamsi iuspatronatus per- » tineat ad duas lineas, seu duas Familias, nam una defecta » non Iransit ad aliam sed ad haeredes ultimi de illa, quae » defecit, cum non implicet iuspatronatus pro parte esse gen-, » tilitium et pro parte haereditarium, seu eius exercitium » penes unam lineam esse uno modo, ac altero penes alte- » ram, firma remanente individua substantia proprietatis. »

Et relative ad secundum caput, quod nempe altera linea in vacatione hac excludebatur, patronus aiebat, Fundatorem voluisse Archipresbyterum nominare debere vicissim, nunc e familia M. nunc e familia C. Sed postremum in possessione Beneficii fuisse unum de familia C; hinc indubium esse in hac vacatione unum ex familia M Beneficium consequi debere. In praesenti Clericum E esse unicum in linea ista certo constare; propptereaque ei beneficium conferendum esse, indulta aetatis dispensatione. Accedit insuper Presbyterum B consequi nequire Beneficium; tum quia suam descendenti am non probat, tum quia opiniones praeiudicatas fovet tam in re po-

litica, quam in re Dogmatica. Quare, deficiente legitimo **e o a** -tradictore, ei gratiam concedendam esse concludebat.

EA QUAE FAVORE PRESBYTERI B. PROSTANT.

Ex adverso Presbyter B. mordicus obsistent aiebat: non posse admitti voluntatis quaestionem, quum in verbis nulla sit ambiguitas. Ideoque omnem dubitationem cessare , quum fundator aperte praescripserit personas quae succedere deberent in patronatu gen tuitio vel familiari. Iam vero nostro in themate, haud dubiis et ambiguis, sed claris et apertis verbis Fundatorem exclusisse a Beneficio obtinendo Clericum E, utpote qui descenderet a Familia sibi invisa et ab initio exclusa a iurepatronatus passivo cum omnibus descendentibus eius. Neque prodesse dictum Clericum postulare in Beneficii possessionem immitti, non qua descendentem a B sed qua haeredem eius. Nam, omisso etiam tali modo supremam testatoris voluntatem apertissime violari, quam ius utrumque clamat sancte et religiose servandam; animadvertendum est 1. Qualitatem haereditariam Clerici E legitime haud probatam fuisse; 2. ipsum nonnisi in vim theoricae Ancharani beneficium postulavisse. Locum non esse istiusmodi theoricae in casu nostro docent omnes; et limitationem accipere a Geminiani theorica, cui cedere debet eo in casu ubi fundator verbis taxativis patronatum certae familiae ac stirpi réservant. Hoc posito, prosequebatur: quo modo, quo iure transmitti potest iuspatronatus descendentibus a B expressi m a Fundatore exclusis? Proindeque hoc in themate verificari, asseruit, provisionem hominis cessare facere provisionem legis.

His aliisque praenotatis propositum fuit enodandum

**Dubium**

An (Clerici) E supplicatio sit excipienda in casu.

RESOLUTIO. S. Concilii Congregatio, causa cognita, respondere censuit:

*Praesentationem hac vice et quoties praesentandi essent ex familia M libere pertinere ad Archipresbyterum . non sustineri praesentationem et postulationem (Cifrici) E.*

EXINDE COLLIGES:

**I.** S. C. Congregationem haud admisisse Ancharani theoriam; quae docet iuspatronatus gentilitium transire ad haeredes tam ex testamento, quam ab intestato ultimi de Familia vel genere, proindeque fieri haereditarium.

II. Neque ius commune in themate nostro obesse potuisse testatoris voluntati, proindeque provisionem hominis cessare fecisse provisionem legis. Namque

III. Certum est testatorum voluntatem sancte ac religiose servandam esse; quatenus admittit aut excludit aliquas personas a successione in iuspatronatus.

IV. Non habere loaum Iuris Canonici intepretum opiniones aut theorias, aut legis praesumptionem dum constat de clara et expressa testatorum voluntate.

# ERECTIONIS PRAEBENDAE POENITENTI AUS

*Die 24 Aprilis Ì864.*

**CompeiMiiuiii faett.** Perinsignis Cathedralis **B,** praeter Theologalem Praebendam, quae recentioris fuerat fundationis novem habebat canonicatus; quorum Praebendae **a** vetustissima aetate optionis iuri erant obnoxiae. Deerat proinde **in** eiusmodi Ecclesia Poenitentiarii officium; quod sicuti nulli praebendae adnexum erat, ideo precario exerceri consuevit; et **iam** viginti abhinc circiter annis penitus in eodem Capitulo desiderabat^. **Huic ut** Episcopus occurreret incommodo in **relatione** de statu suae Ecclesiae, quam anno 185S exhibuit, S. O. Congregationem certiorem reddidit de defectu Praebendae Paenitentialis (quae tamen olim extitisse ferebatur) atque deinde Capitulo **S.** C. C. responsum notificavit, **quo** eidem Episcopo commendabatur, ne desineret rationem exquirere qua, ad tramites iuris, Poenitentiariae praebenda restitueretur. Attamen Capitulum die 29 Maii 1859 respondit, restitui **praebendam non** posse, quae nunquam adfuerat: addiditque se minime obsistere poenitentiarii institutioni, **quae** peragi posset sine perantiqui iuris optandi detrimento. **Si tamen** necesse foret aliquam **in** specie praebendam illi u **smodi** officio perpetuo assignare, id commode fieri posse **autumabat super** praebenda nuncupata **G. V.** vix ac lis super **nonnullis eiusdem bonis** exorta propitium sortiretur effectum.

Supersedit Ordinarius tunc, optatum **litis exitum** expectans; cum tamen die 29 Decembris 1861 vacavisset praebenda, cui nomen *S.* Capitulo significavit **eam in** Poenitentiariam esse erigendam. Ast Capitulum die 16 Ianuarii 1862 **unanimi** suffragio huiusmodi propositionem respuit sequentibus de causis. 1. Quia suae Praebendae omnes, praeter Theologalem, essent mere canonicales atque optabiles. 2. Quia Praebendarum optabilitas haud impediebat quominus constitueretur Canonicus

Poenitentiarius iuxta Concilii Tridentini praescriptum. 3. Quia Capitulum noceret Canonico Poenitentiario potius quam iuvare t, dum illum privaret optionis iure. Rursus Ordinarius S. C. Congregationem adiit expostulans quonam modo sibi liceret tandem proprium adimplere officium, et Capitularium obstacula superare. Per literas S. C. die 18 Augusti 1862 certior efficiebatur Episcopus de facultate, qua pollebat perpetue erigendi ex tunc in Poenitentiariam aliquam in genere praebendam licet optabilem, pro tempore quo primum vacatura esset; quas litteras Capitulo patefecit. Cum tamen Capitulum magis magisque obsisteret, quominus per poenitentiariae erectionem sibi ius optandi in aliqua praebenda praecideretur, iudicio tandem S. C. C. Episcopus rem dirimendam detulit.

**Disceptatio syuopttea.**

Ordinarius Litteras mittebat ad S C. Congregationem sub die 3. Ianuarii anni 1863 adprecans ut in maiori animarum bono quaestio quamprimum absolveretur, quae inter illum et Canonicos exorta erat. Interdum tamen ut suam protueretur sententiam ante oculos ponebat EE. Cardinalium maximam confessariorum penuriam, qua afflictabatur civitas, Caput suae Dioecesis inquiens: ita paucos numero esse Confessarios ut fideles saepenumero incassum quaererent qui confessionem suam exciperent. Proindeque statim opus esse idoneo probatoque Poenitentiario, qui pene a viginti annis abest in Capitulo, maximo animarum detrimento; dum facillime obtineri posset. Nam prosequebatur Episcopus, novem extant in eiusmodi Capitulo Praebendae Canonicales penitus liberae; ita ut cuique illarum indifferens esset an ex illis una pinguior Poenitentiario destinaretur ; qui pro certo sciret, sibi inesse strictam excipiendi confessiones obligationem. Quamvis Capitulum haud facile fieri id posse existimet, mihi ex adverso planum videtur, ait Episcopus, posse opus confici si provisorio destinaretur Poenitentiario vacans praebenda M. ut postea modo definitivo constituatur ei praebenda *C.* statim ac vacavisset.

Capitulum e contrario, cui ab Episcopo praefigebatur

terminus ad sua iura coram S. O. C. deducenda, ea quae sequuntur produxit. Nullimode, ait, obstitisse ne Ordinarius institueret Poenitentiarium iuxta SS. Canonum praescriptum: attamen haud necessarium putavisse ut ei constitueretur in perpetuum praebenda, quae ante et post Concilium Tridentinum fuit constanter optabilis, ita ut nullus eam, et Poenitentiarius ipse aliam pinguiorem vacaturam praebendam optare queant. Sese opposuisse autem novitati quam Episcopo introducere cordi erat, his fretum momentis.

1. Quia nullimode sibi suadere quiverit Patres Concilii Tridentini nec fortuito, neque inutiliter *in Sess. 24, cap. 8. de Reform,* agentes de Canonici Poenitentiarii institutione introduxisse limitationem bis conceptam verbis « *ubi id commode fieri poterit* » ; sed potius ut innuerent suam esse intentionem ut in eiusmodi actuatione haud laederentur iura quae canonum praescriptionibus non opponerentur. In eiusmodi enim decreto distinctionem faciendam esse inter principale , quod est Poenitentiarii praebendati institutio, ab accessorio sub quo Praebenda venit: quae varia esse potest iuxta adiunctorum, temporum, locorum, consuetudinum, nec non particularium statutorum diversitatem. Liquidum proinde evadere, quod si Concilio Tridentino disponere placuit ut Poenitentiarius praebendati^ esset *cum unione Praebendae* noluisse tamen iura Capitularium constituta (sicuti in casu est ius optabilitatis) laedere aut Poenitentiario eidem obstaculum ponere ne ad pinguiorem transire posset praebendam vi eiusdem iuris optionis His innixum momentis Capitulum putavit neque potuisse neque annuere debuisse in praesentium praeiudicium et. futurorum nec non eiusdem Poenitentiarii, ut una ex praebendis auferretur legitimae optabilitati et in perpetuum addiceretur Poenitentiario.

2. Decem extitisse in Capitulo Praebendas Canonicales ex quibus unam Theologalem (haud optabilem) ex recentiore institutione, et novem ex vetustissima fundatione optabiles; quarum privilegium sanctionem accepisse per capitulares constitutiones anno 1385; integrum permansisse post Tridentinum Concilium; illudque salvum reliquisse eandem S. C. Congrega-

tionem die 28 Ianuarii 1860; adversus Ordinarii eiusdem praetensas, qui praebendam quamdam subtrahere volebat optabilitatis iuri ut illam constitueret Decano pro tempore.

3. Omnes eiusdem Dioecesis Ordinarios quorum permultos omni ex parte nobiliores et observantiae SS. Canonum sollicifissimos numquam in suo optionis iure Canonicos exturbavisse ut Poenitentiarios constituerent, existimantes, absque dubio Tridentinum Concilium instituere voluisse Poenitentiarios praebendatos, non autem praebendas Canonicorum.

Expositis rationum momentis quibus hinc Ordinarius, inde Canonici innitebantur, referenda prostant quae ex officio observabantur.

Manifesta lex est Tridentinorum Patrum super erectione Praebendae Canonicalis ; eaque his concepta verbis prostat sess.24. c. 8. de Ref. *In omnibus etiam Cathedralibus Ecclesiis, ubi id commode fieri poterit poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur.* Quae diserta Tridentinae Sanctionis verba, dum Episcopis demandant Poenitentiarii institutionem inomnibus cathedralibus nullam exceptionem in primis exhibent prae qualitate et natura Praebendarum. Iam longe praeterea est, ut ea decreti verba « *ubi id commode fieri poterit* » in favorem saltem privilegiati iuris optionis restringere quodammodo intelligantur facultatem Episcoporum erigendi in Poenitentiariam Praebendam primo vacaturam, ut Doctores communiter doceant praefatam erectionem Poenitentiariae iure optionis non impediri. Garcías de Beneficiis part. 5. cap. 4. n. 129. sic sc habet « Non ta-
» men impediretur assignatio et deputatio praebendae pro
» Poenitentiario per optionem post erectionem factam in Ee
» clesiis in quibus viget ius opfandi, quamvis ante erectio-
» u-an recte posset optari ut in sequenti declaratione S. C.
» Congregationis *in Ecclesiis in quibus ex consuetudine*
» *aptantur praebendae, si ea quae post Concilium primo va-*
» *cavit non fuit in poenitentialem erecta potest optari; sed, si*
» *ante optionem Episcopus erexit erectio praevalet etiamsi*
» *postea optaretur.it*

Card. Petra in Const. 2. Innoc. VT. n. 24. (1) « Quamplu-
» res vero quaestiones emergunt quoad Theologalem praeben-
» dam, quando in Ecclesiis ex privilegio, consuetudine vel
» statuto ius optandi inter Capitulares viget. Et primo diffi-
> cultas esset quomodo Concilii dispositio in eisdem Ecclesiis
» ad praxim reduci posset, cum in praebenda primo vacanti
> antiquior ex Canonicis ius habeat; quin imo nec itidem
> vacare censeatur, cum praeventa dicatur ab optionis iure;
» nisi ex S. Cong. resolutionibus theorica efformari posset
» videlicet; aut ante vacationem praebenda primo vacatura
> in Theologalem formaliter est erecta; et tunc optari nequi-
» bit; vel praebenda primo vacans non fuit reipsa in Theo-
» logalem erecta et quidem optionibus subiicitur (2). »

« Siquidem de praebenda in theologalem erecta bene in-
> terpretari potest resolutio S. Congregationis in qua decla-
> ravit, quod in praebenda primo vacatura, locum optio non
» habebit, referente eodem Garzia; cessat enim in hac hypo-
» thesi praenotata obiectio, quod antiquior Canonicus ius habet
» in praebenda vacanti; cum ius optandi nonnisi in vacatio-
» ne praebendae liberae habeat locum, non vero cum est affe-
» cta, ut puta pro Theologo. . . . »

Igitur ex Garzias et ex Card. Petra facile quaestio componitur hac cum distinctione; an idest formalis praebendae Theologalis vel Poenitentiariae erectio vacationem praecesserit nec ne. Primo enim in casu praevalet erectio, ac via quaevis praecluditur optioni, in altero vero praevalet optio circa prae-

(1) Ut recte intelligatur doctrina Cardinalis petra notandum est Pocniten'iarium et theologum in omnibus a iure fere parifican. Benedictus XIII enim in *in Conit Pastoralis* postquam plura de theologali praebenda tradidisset relate ad erectionem concludit *Postremo quaecumque actenusde Praebenda Theologali at Sacrae Scripturae sancivimus exteriâimus, etiam ac ad amussim observari volumus et mandamus* (congrua tamen congruis referendo) *quoad institutionem Canonici Poenitentiarii in illis Cathedralibus in quibus nondum fuerit institutus, eiusque honestam sustentationem.*

(1) Quamvis Concilium Tridentinum dicat Poenitentiarius (idem intellige ex notatis de Theologo) instituendum esse *cum unione praebendae proxime vocaturae* requiritur tamen factum Ordinarii ut praebenda primo vacans dici queat formaliter erectam in Poenitentiariam; neque ipso facto et ex iure erecta censenda est, nisi prius Episcopus eam constituat ad hoc officium.

"bendarci nondum affectam, et ultima quae, peracta optione, vacat in poenitentiariam erigitur.

Attamen ex praemissa distinctione negari nequit, ubi erectio ante vacationem perfecta non fuerit, deterior fieret Poenitentiarii conditio. Etenim praebenda ab ultimo optante derelicta minima prae omnibus foret; et probabiliter ita tenuis, ut pro officio poenitentiarii sufficiens non reputetur. Proindeque poenitentiarii officium quod est inter praeclariora et graviora, deteriori praebendae perpetuo adhaereret, quod incongruum sane videtur. Incommodo eiusmodi autumat occurrere Berardiiow. i. *pag. 240.* hisce verbis « Tridentinum Concilium expresse > ait proxime vacaturam praebendam Poenitentiario uniendam » esse; haec autem unio videtur perpetua. At e contrario vi- > deri potest Tridentino Patres eam unionem praestitisse » gratia potius Poenitentiarii , ne ipse diu sine praebenda > maneat, propptereaque licere poenitentiario etiam optare, » quoties quae primo vacavit tenuis admodum videretur, ne > torte dicatur gratiam Tridentinam in damnum poenitentia- » rii eiusdem torqueri. In hac dubitatione ego censerem pru- » denter facturum Episcopum, quoties in erectione Poeniten- » tiariae assignaret quidem Poenitentiario instituto proxime » vacaturam praebendam, reservato iure gratia Poenitentiarii » ut ipse valeat meliorem optare , quoties altera inde vaca- » verif, donec tandem postremo loco optata remaneat veluti » dos perpetua poenitentiariae, nullius amplius optionis vi- » cissitudinibus obnoxia. »

Verum huiusmodi reservatio optionis minime esse videtur in Episcoporum potestate Regulariter enim Poenitentiarius optare nequit: Barbos, *de Canon, et dignit. cap. 26* n. 23. Garzias de Benef. part. 5. cap. 4. n. 132 et seq. Quapropter rectius tradidisse videtur Card. Petra loc. cit. n. 25 quod S. Congregationis benignitas ex speciali Summi Pontificis commissione Poenitentiario facultatem impertiri soleat optandi meliorem, ubi ultima praebenda ipsi devincta tenuis sit nimis.

Etenim in una *Sebenicen.* ann. 1651 resolutum fuerat Theologum et Poenitentiarium non esse admittendos ad ius optandi; sed cum Episcopus SS. Limina visitans exposuisset te-

nuitafem praebendarum Theologalis ei Poenitentiarii, die 8 Maii 1688 rescriptum fuit: «Ceterum ut necessitati , qua » Praebenda Poenitentiali s et Theologalis laborat provide con- » sulatur S. Congiegatio auctoritate sibi per SS. specialiter » attributa, benigne indulsit ut Poenitentiarius et Theologus » Cathedralis Sebenicen. praebendas optare possint, sicuti ee- » teri Canonici, donec ad aliquam ex pinguioribus Praeberi- » dis ascendant, quae perpetuo affecta Poenitentiario et Theo- » logo pro tempore esse intelligantur ac sint. » Ac tandem in Melevitana 23 Februarii 1726 ad dubium « *An Canonicus Poenitentiarius, sua Praebenda dimissa, aliam optare possit , quae affecta officio Poenitentiarii perpetuo remaneat* » responsum fuit « *Pro gratia.*»

An vero unio Praebendae cum officio Poenitentiarii possit esse accidentalis et personalis tantummodo ; seu potius esse debeat realis et perpetua, ex ipsis Tridentinis verbis definiri videtur. Unio enim ex communi et ordinaria acceptatione circa beneficiorum materiam, perpetuum regulariter praesefert vinculum inter officium et praebendam. Praesertim vero cum ad officium Poenitentiarii specialis desideretur personae industria et habilitas, quae congruam etiam praebendam exposcit. Et quoniam a Theologo inferri ad Poenitentiarium facile permittitur , recolam Card. Petra *loc. cit. num. 20* indubie tradere praebendam Theologalem dici peipetuo unitam, atque inseparabilem ab officio, ad quod fuit semel et in perpetuum deputata; ita ut DD. censeant tamquam absurdam divisionem Praebendae Theologalis a munere Theologi.

Innuunt Concilii verba praecitata officio Poenitentiarii uniendam esse praebendam. Ideoque loco praebendae assignari non posse certa beneficia respondit relate ad Theologum S. Congregatio *in Cephaluden. 15 Ianuarii* 1593 lib. 7. decr. pag. 86; quamvis per fructus simplicium Beneficiorum exiguitati Praebendae Theologalis suppleri posse tradat *Card. Petra loc. cit.*

Tandem inter plures alicuius Capituli praebendas, non ea, quae magis libet, sed quae ab incerto futuro vacationis eventu determinatur .Poenitentiario ascribenda est. Maxime enim

intererat Tridentinorum Patrum, ut praeclarum huiusmodi officium . quantocius in Cathedralibus ex citaretur, quod tamen sero etiam nimis contingere posset, si aliqua specialis praebenda designaretur. Quapropter iidem Patres Tridentini, non quamlibet praebendam sed proxime vacaturam uniendam esse praeceperunt. Quinimo praelaudatus Card. Petra *loc. cit.* n. 16 refert quod proposito dubio, an liceat Episcopo primam praebendam vacaturam assignare Poenitentiario potius quam Theologo, S. Congr. respondit: « Id non esse in arbitrio Episcopi » et primam assignandam esse Theologo propter verba Con- » cilii ipso facto, et ideo si aliquo loco magis visum fuerit » expedire ut prius de Poenitentiario provideatur, habendam » esse confirmationem Apostolicam. »

Et hinc ipse Card. Petra veluti generalem regulam statuit integrum non esse Episcopo huiusmodi erectionem retardare, Praebendam vacantem ad alium usum convertendo.

His aliisque a partibus et ex officio praenotatis sequentia fuerunt proposita resolvenda

**Dubia**

« An et quomodo sit locus erectioni Praebendae Poeni- > tentialis in casu ? »

*Et quatenus negative*

« An et quae praebenda determinari valeat ab Episcopo » pro Officio Poenitentiarii in Casu?)»

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 23 Aprilis 1864, causa cognita respondere censuit:

Ad I *affirmative.*

Ad II *affirmative iuxta votum Episcopi, facto verbo cum SSmo.*

EXINDE COLLIGES:

I Indubium esse Ordinarios facúltale pollere perpetuo erigendi in Poenitentiarii) aliquam ex praebendis suarum Cathedralium, aiente Concilio Tridentino, *Poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacat arae ab Episcoqrjo instituatur.*

II Nullam diserta Concilii Tridentini verba exhibere exceptionem prae qualitate et natura praebendarum; ita ut simul ac Episcopus unam ex illis pro Poenitentiario constituerit, ius eam optandi nullius roboris fìat, erectioque praevaleat.

III Praebendam ante vacationem in poenitentialem formaliter erectam censeri veluti reservatam et affectam; nullumque antiquiori ex Canonicis ius in eam superesse ; dum ex iure optare liceat praebendam liberam, minime vero affectam reservata mque.

IV Haud putandum in poenitentialem erectam esse praebendam primo vacantem ipso facto et ex iure ; sed omnino requiri factum-Ordinarii, qui eam formaliter ad eiusmodi officium constituat.

V Neque inficiari posse deteriorem prae omnibus Canonicis fieri Poenitentiarii conditionem , quando erectio formalis vacationem non praecesserit; eo quod praebenda ab ultimo optante derelicta minima inter omnes alias esse soleat; ideoque insufficiens pro Poenitentiarii officio, quod inter preclariora et graviora recensendum esse nullus ambigit.

VI Quamvis ex communi acceptatione unionem alicuius praebendae regulariter praeseferre soleat vinculum perpetuum inter officium ipsamque praebendam; tamen si illa tenuis et insufficiens fuerit, pro gratia Apostolica alicui Poenitentiario concessum fuisse praebendas optare, donec ad aliquam ex pinguioribus ascenderet.

VII in themate nostro unionem praebendae cum poenitentiarii officio fuisse pro gratia Apostolica primo provisoriam ; ne valde differretur poenitentiarii institutio, aut ne iste diu sine praebenda maneret; et perpetuam evasisse quum Poenitentiarius assequutus fuisset pinguiorem praebendam ab Ordinario designatam.

VIII Neque tandem fas esse, ex iure, constitui ab Ordinario loco praebendae pro Poenitentiario nonnulla beneficia simplicia; quamvis iuxta Doctores per illorum beneficiorum fructus supplere liceat exiguitati praebendae eiusdem.

# EX S. PÜENITENTIARIA APOSTOLICA

## SUPER DUBIIS (1)

### NONNULLIS INDICTUM IUBILAEUM RESPICIENTIBUS DECLARATIONES.

**I.** An Confessarii absolvere possint poenitentem, qui iam a reservatis et a censuris absolutus in ea denuo inciderit antequam opera impleverit ad Iubilaeum adquirendum praescripta?

R. *ViHute Iubilaei posse una vice tantum absolvi a reservatis et a censuris; seu negative,*

II. Ordinarius quidam exposuit, in sua Dioecesi nonnullas adesse Paroecias rurales et montuosas; in quibus Oratoria ecclesiaeque minores reperiuntur quidem; sed quae adeo inter se distant, vel in talium summitate montium positae sunt ut notabilis pars gregis ab exequendis praescriptis visitationibus ob difficultatem retrahatur, et indulgentiam propterea Iubilaei non consequatur.

Proindeque indultum petit designandi vel Ecclesiam parochialem tantum vel Ecclesiam parochialem et illa tantum Oratoria, quae populus satis commode adire possit, aliis asperae et difficilioris viae omissis.

R. *Ea tantum designanda esse Oratoria, quae publico divino cultui sint addicta; in quibus Missa celebrari soleat, et quorum visitatio non sit iudicio Ordinarii moraliter impossibilis: iis vero fidelibus qui ob aliquod peculiare impedimentum ea visitare non valeant provisum per Litteras Apostolicas.*

III. Revmus Pater Generalis cuiusdam perinsignis Ordinis quaesivit, quoad electionem Confessarii, an iste approbatus esse debeat ab Ordinario Loci, vel ab Ordinario Ordinis?

**(1) Alia eiusmodi relata fuere pag.226 ˎol. huius.**

R. *Regulares iuxta Litteras Apostolicas* Gravibus Ecclesiae *ad la -randum Iubilaeum posse sibi eligere quemcumque confessarium, qui tamen sit a Locorum Ordinariis ad audiendas personarum saecularium confessiones approbatus.*

IV. An. ille, qui ante Paschatis Octavam vel ante terminum prorogationis ab Ordinario concessae paschale praeceptum haud impleverit, queat post aliquod tempus Iubilaeum lucrare unica confessione et unica communione; vel abscisse debeat duas peragere confessiones et duas communiones distinctas; quarum unam pro paschali illius anni praecepto adimplendo, alteram"autem pro Iubilaeo lucrando?

R. *Ad lucrandum Iubilaeum requiri Confessionem et Communionem a Confessione annuali et a Communione paschali omnino distinctam.*

V. An concessa nec ne intelligi debeat in Iubilaeo Concilii Vaticani facultas illum absolvendi qui complicem absolverit aut falso accusaverit Confessarium.de sollicitatione?

R. Provisum per Litteras S. Poenitentiariae diei 25 Ianuarii 1875 (1); hoc est nullam esse concessam facultatem absolvendi a casibus expressis in Constitutione Benedicti XIV. *Sacramenta m Poenitentiae.*

VI. An fideles, qui iuxta Ordinarii dispositionem quinque tantum peragunt visitationes processionaliter ad Ecclesias; teneantur pro aliis decem visitationibus ab Ordinario remissis praescriptas a Romano Pontifice recitare preces?

R. *Standum esse terminis reductionis ab Episcopo vigore Litterarum Apostolicarum concessae* (2).

VII. Ex S. Poenitentiariae responsis certum est haud sa-

(1) Relatae fuerunt pag 266 huius Voluminis.

(2) Ratio resolutionis eiusmodi in hoc nobis posita esse videtur. N,un si parumper dubitare liceat an Ordinarius dispensando super visitationes peragendas dispensare queat etiam super pnces; tamen haud ambigendum est preces praedictas ita visitationibus coniunctas esse ut eorum essentialem partem constituant. Proindeque remissis visitationibus, et preces remissae intelligi debent; salvo tamen casu, quo Episcopus visitationes remittens iniunxerit precibus suppleri.

tisfìeri posse praecepto paschali et Iubilaeum lucrari unica confessione et unica communione; potest ne unus et alter attingi finis duabus communionibus et unica'confessione?

R. *Affirmative; firma tamen remanente obligatione satisfaciendi, si nondum quis satisfecerit, praecepto annuae confessionis* (1).

VIII. Ordinarius N. quaesivit a **S.** Poenitentiariae Tribunali an absolvi queant, virtute huius Iubilaei, rei rebellionis in Pontificium civile Gubernium?

R. Affirmative, sub conditionibus expressis in Litteris a S. Poenitentiaria editis die 1 Iunii anni 1869 sub n. 1.

**(Í) Quivis fidelis unam confessionem peragere tenetur intra annum; non taxative intra tempus paschale aiente Concilio Lateran. 1Y. Can. 21 *mitem semel in anno.* Ita ut si quis ante id temporis praecepto annuali satisfecerit; aut** sua**u** piam **habeat consuetudinem plures in anno pro sua devotione propria confitendi peccata; iuxta praeallatani resolutionem opus noa habeat, tempore paschali, duabus confessionibus ad implendum praeceptum et Iubilaeum lucrandum, sed unica confessio cum dua* bus communionibus satis erunt.**

# EX S. CONGREGATIONE S. R. Ü. INQUISII

## EPISTOLA

### AD RMUM EPISCOPUM PREMlSLIENSEAi LVnvnRUM IN GALLITIA.

I lime ac Rme Dñe uti Prater.

Supplici libello per Nuntium apostolicum Vindobonensem SSmo Domino Nostro Pio Papae IX oblato ac commendato exponebat amplitudo Tua in ista dioecesi Premisliensi latinorum, sicuti in tota Polonia vigere ac florescere devotionem erga Bmam Virginem incarnati Verbi Matrem immaculatam, piaque sodalitia in eius honorem approbata frequenter fuisse inducta, quae inter recentissime erectum illud sic dictum: *Notre Dame du Sacré Cœur* a Sede Apostolica indulgentia-

rum favoribus ditatum plurimos inibi numerare asseclas. Addebat insuper ipsam cum gaudio accepisse mox factam versionem gallicae invocationis, quae genio linguae polonicae quam maxime respondens sonat idem ac *Mater Cordis Iesu,* adnotans per eam optime occurri erroneae ac periculosae quorumdam versioni in idem idioma quae invocationi *Regma Cordis Iesu* responderet. Quibus praeiactis rogat eadem amplit. Tua ut genuinae ac pietati congruae versioni seu invocationi polonica lingua ut supra expressae indulgentiae gallicae invocationi *Notre Dame du Sacré Cœur* iam concessae et in posterum concedendae applicari valeant.

Porro Emi Patres Cardinales mecum una inquisitores Generales quibus rei cognitio a SSmo Domino Nostro commissa est haud potuerunt quin ex huiusmodi expositione deprehenderent ac laudarent zelum et studium amplit. Tuae in protuenda fidei puritate, quae identidem praesertim hisce diebus a viris, ut ut piis, sed nimio forsan novitatis amore abreptis, incaute posthaberi videtur, haud perpendentes periculum ne doctrinis variis ac peregrinis rudium saltem fidelium mentes a recto pietatis ac devotionis sensu facile abducantur. Cui sane ut occurreret alias iam suprema haec S. Congregatio, ipso auctorante Pontifice, reprehendendos ac monendos censuit eos, qui memorati sodalitii titulum explicare eiusque sensum illustrare adlaborabant, Ecclesiae traditioni, reetoque catholico sensui haud plene cohaerentes praedicatum potentiae B. M. Virginis ex eius divina maternitate emanans plus aequo extollebant, et novum ita magnificabant titulum, quasi novus celsitudinis ac gloriae cumulus hactenus ignotus Virgini ex eo accesserit, et quasi in eius sublimis dignitatis notione, qualem hucusque iuxta SS. Patrum doctrinam tenuit Ecclesia, aliquid desiderantur; haud considerantes quod quamvis plurimum ipsa apud Filium valeat, attamen pie asseri nequit quod imperium super eodem exerceat. Hoc sane sensit apostolica Sedes titulum *Notre Dame du Sacré Cœur,* haud improbandum censuit, eo quod Christi fideles hac formula eam invocant uti eorum Dominam. Huc quoque se refert decretum iam editum, quo instantibus probari titulum verbis polonis redditum,

quae significabant *Regina Cordis Iesu,* praescriptum fuit servandam esse invocationem gallicam: *Notre Dame du Sacré Cœur,* sub quocumque idiomate. Huc demum subsequens Pontificis mandatum ut simulacra seu picturae cultui dicandae repraesentare debeant Virginem Puerum Iesum non ante genua sed ulna gestantem. Quae quidem innuisse iuverit ut plene perspiciatur Sedis apostolicae sollicitudo ac vigilantia nedum **in** damnandis ac proscribendis erroribus qui palam catholicis veritatibus opponuntur, sed et in reprobandis com mentis ac sententiis, quae de hoc aliisque id genus argumentis **;Todeun->** tes, doctrinae puritatem obumbrare vel leviter videantur

Ceterum **tuae** petitionis obiectum quod attinet, scias, nihil impedimento esse quominus sodalitium isthinc erectum eiusdem indulgentiarum thesauri particeps fiat, quo principale Issodouni ditatum fuit, dummodo tamen sensus tituli seu invocationis polonico idiomate vertendae significat ion i tituli gallici: *Notre Dame du Sacré Cœur,* fideliter respondeat. Haec ex amplissimi Ordinis mente plene a SSmo Domino Nostro probata Amplitudini Tuae praescribenda lubenter i bui. Ad me quod attinet impensos animi mei sensus testatos tibi volo dum fausta omnia ac felicia a Domino precor.

Amplitudinis tuae,

Romae die 28 Februarii 1875.

*¡i m> Episcopo Premisliensi latinorum in Cal tía.*

*Addictissimus uti frater*
C. CARD. PATRIZI

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

**DECRETUM. Oorisopiten. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei P. Iuliani Manerii Sacerdotis Professi Societatis Iesu.**

Duodecimo Kalendas februarii anni vertentis quum Sanctissiinus Dominus Noster Pius Papa IX benigne induisent, ut de dubio signaturae Commissionis introductionis causae Servi Dei Iuliani Manerii praefati ageretur in Congregatione sacrorum Rituum ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet scriptis eiusdem Ven. Servi Dei non perquisitio et examinatis, Eminentissimus ac Reverendissimus D. Cardinalis Aloisius Oreglia de S. Stephano huius causae Ponens, ad instantiam R. P. Iosephi Boero Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis causarum Beatificationis et. Canonizationi* Servorum Dei e Societate Iesu, attentis postulatoriis litteris plurium virorum ecclesiastica dignitate illustrium, in ordinariis sacrorum Rituum comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens dubium discutiendum proposuit, nimirum *An sit signanda commissio introductionis huius causae in casu et ad effectum, de quo agitur ?*

Et sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine expensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, rescribendum censuit, *Affirmative, seu, signandam esse commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 20 martii 1875.

Facta postmodum de praemissis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per infrascriptum Secretarium fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit commissionem introductionis causae Ven. Servi Dei Iuliani Manerii praefati. Dio 8 aprilis 1875.

C EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEF.

**L.** S

*Placidus Ratti S. R. C. Secretarius,*

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

ET DOMSNi NOSTRI DOMINI

P I I

DIVÍNA PROVIDENTIA

P A P A E I X .

# LITTERAE APOSTOLICAE

**QUII.US INDULGETUR PRAESIDI PRO TEMPORE REIPUBLICAE PERUVIANAE UT IURE PATRONATUS FRUI POSSIT.**

## PIUS EPISCOPUS

**SERVUS SERVORUM DEI**

*Ad perpetuam rei memoriam.*

Praeclara inter beneficia, quibus dives in misericordi.« Deus Peruvianam gentem cumulavit, donum potissimum eminet Catholicae veritatis, quam semel acceptam ab Evangelii praeconibus Peruviani sedulo retinuere, atque ita coluerunt, ut aliquot etiam ex iis prodierint héroes, quos altarium dignos honoribus Ecclesia iudicavit. Haec illi genti vera gloria fuit, eiusque servandae studium minime in ea deferbuit, postquam a Catholicorum Hispaniae Regum ditione seiuncta est. Siquidem in legibus latis reipublicae constituendae solemniter declaravit« Peruviani profiteri Catholicam religionem, eamque tueri, neque pati publicum alterius religionis exercitium. » Huic porro studio servandae catholicae unitatis plura consentanea fuerunt, quae in eadem regione acta gestaque sunt publica auctoritate. Nam dioecesibus iam existentibus, novisque denuo erectis dos liberaliter aucta, vel data est; subsidia collata seminariis seu collegiis Missionariorum ad propagandam fidem institutis; pari munificentia prospectum doctrinis, seu parot dis excitatis

in oppidis conversorum ad fidem; et ingens pecuniae vis publice impensa, sive reparandis ornandisve Ecclesiis, sive novis extruendis, sive religiosi cultus decoid sustentando ac provehendo.

Haec Nobis probe alioquin comperta, commemoravit, atque exposuit dilectus Filius illustris vir Petrus Galvez Peruvianae Reipublicae legatus apud Apostolicam Sedem, ut publicum et solemne testimonium meritorum eiusdem Reipublicae erga Ecclesiam Catholicam a Nobis obtineret.

Nos itaque Peruviani Gubernii votis per eumdem legatum significatis annuere volentes, et exempla imitantes Praedecessorum Nostrorum, qui bene de re Christiana méritos peculiaribus gratiis et favoribus prosequuti sunt, nonnullis e S. R. E. Cardinalibus in consilium adhibitis, Peruvianae Reipublicae Praesidi, eiusque Successoribus pro tempore existentibus, qui Catholicam fidem profiteantur, indulgere decrevimus, prout Apostolica auctoritate indulgemus, ut in territorio suae Reipublicae frui possint eo patronatus iure, quo ante Peruvianam regionem a ditione Hispanica seiunctam Catholici Hispaniarum Reges ex indulgentia Sedis Apostolicae ibi fruebantur, ea tamen conditione et lege, ut ea quae dotis nomine adsignata sunt tum Clero, tum sacro ministerio et cultui exercendo in dioecesibus territorii praedictae Reipublicae serventur integre et diligenter ac fideliter praestentur, simulque Gubernium Peruvianum in Catholica religione fovenda tuendaque perseveret.

Hisce legibus et conditionibus servatis, ius erit Peruvianae Reipublicae Praesidi, eiusque successoribus praesentandi Apostolicae Sedi ad vacantes Sedes Archiepiscopalem et Episcopales Ecclesiasticos viros dignos et idoneos, quibus secundum regulas ab Ecclesia praescriptas canonica detur institutio, ita tamen, ut intra annum a vacatione, si legitimum impedimentum non obstet, fiat praesentatio. His vero sic praesentatis nullum ius erit suscipiendi regimen et administrationem Ecclesiae, antequam Litteras Apostolicas institutionis obtinuerint, et eiusdem Ecclesiae Capitulo exhibuerint, iuxta Constitutionem Nostram *Romanus Pontifex* datam V. Kal.

Septembris Armo Incarnat. Dominicae Millesimo Octingentesimo septuagesimo tertio.

Ius etiam erit Reipublicae Praesidi praesentandi Episcopo viros canonice dignos in quolibet Capitulo ad Dignità!es et Canonicatus *de gratia,* aliasque Praebendas Ecclesiarum caibedralium, etiamsi in Romana Curia vacent, cum earum vacatio ab auctoritate ecclesiastica declarata fuerit.

Hoc insuper iure idem Praeses gaudebit quoad Canonicatus de officio et Paroecias, servata consueta canonica forma concursus et examinis, eoque habito, a Praeside unus eligetur ex tribus dignioribus, qui sibi exhibiti fuerint, ut deinde ab Episcopo canonice instituatur.

Tandem in Peruvianis Templis Reipublicae Praeses iis fruetur honoribus, qui olim Hispaniarum Regibus, ex iure Patronatus a S. Sede concesso haberi consueverunt.

Haec volumus, statuimus ac mandamus, decernentes has Nostras Litteras, et omnia in eis contenta nullo unquam tempore a nemine cuiusque conditionis, et dignitati*, sub quovis titulo, et quaesito colore infringi, impugnari vel in contrarium revocari posse, sed semper firmas, et efficace' — utere, et fore, suosque plenarios et integros effectus semper : * : i i ri et obtinere debere.

Non obstantibus quibusvis etiam in generalibus et universalibus Conciliis editis, Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, praesertim *de iure quaesito non tollendo,* ceterisque etiam speciali mentione dignis contrariis quibuscumque.

Volumus autem ut earumdem praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae ir ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur ubique locorum, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostri Decreti , Indulti , Statuti , Mandati et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis vero hoc attentare

praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae Millesimo Octingentesimo Septuagesimo quarto (1), tertio Nonas Martias, Pontificatus Nostri anno vigesimonono.

A. CARD. VANN1CELLI PRO-DATARIUS F. CARD. ASQUINIUS

VISA

DE CURIA J. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

*Loen -\4 Plumbi*

I. CUGNONIUS

*Reij. hi Secretaria Brevium.*

(1) Tnxta praxim Curiae Apostolicae debeat a dìo Annuntiationis R. M. V. C u in annus ab incarnatione computari idcirco respondet ad annum *L6lo.*

**Venerabilibus Fratribus Episcopis ae Dilectis Filiis Clero et Fidelibus Helveticae Regionis Gntiam et Communionem cum Apostolica Sede habentibus.**

## PIUS PP. IX.

**V¡MIRABILES FRATRES ET DILECTI FILII**

*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Graves ac diuturnae insidiae et conatus, quos in dies magis Neo-haeretici qui se veteres catholicos dicunt in ista regione adhibent, ut fidelem populum decipiant et ab avita fide divellant, Nos movent ut pro supremo nostri Apostolatus officio ad spiritualem filiorum nostrorum salutem tuendam paternas curas et sollicitudines studiosissime conferamus. Agnoscimus enim, Venerabiles Fratres, et cum dolore deploramus, praedictos schismaticos et haereticos in dioecesis Basi leensis territorio et in aliis istius regionis locis dum religiosa catholicorum libertas publice per schismaticas leges oppressa iacet, ipsos civili auctoritate favente, damnatae suae sectae ministerium exercere, ac violenter occupatis per apostatas presbyteros Paroeciis et Ecclesiis, nullum fraudis et artis genus omittere ut catholicae Ecclesiae filii in schisma misere inducantur. Quoniam autem proprium semper et peculiare haereticis et schismaticis fuit simulatione et fallaciis uti, ita huiusmodi filii tenebrarum inter eos recensendi quibus per Prophetam dictum est : « *Vae filii desertores habentes fiduciam in umbra Aegypti; reprobastis verbum et sperastis in calumnia et tumultu,* » nihil habent antiquius, quam ut fucum facientes incautis et imperitis eos per simulationem et hypocrisim in errores trahant, palam dictitantes sese minime reficere Ecclesiam catholicam et eius visibile Caput, imo puritatis catholicae doctrinae se esse studiosos, seque antiquae fidei haeredes et solos catholicos esse, dum reipsa divinas omnes praerogativas Christi in terris Vicarii nolunt agnoscere, nec eius supremo magisterio obsequantur. Ut autem

haereticis suas doctrinas late diffundant, scimus etiam eorum nonnullos munus docendi sacram theologiam- in universitate Bernensi assumpsisse, sperantes hac ratione posse novos e iuventute catholica asseclas suae damnatae factioni lucrifacere.

Nos quidem huiusmodi deplorabilem sectam, quae tot errores adversus praecipua catholicae fidei principia e veteri haereticorum penu deprompta in medium protulit, quae catholicae religionis fundamenta evertit, quae dogmaticas definitiones oecumenici Concilii Vaticani impudentem reiicit, quae ad ruinam animarum tot modis incumbit iam reprobavimus ac damnavimus, eosque infelices homines qui ad eam pertinent eique adhaerent et favent ab Ecclesiae communione segregatos et tamquam schismaticus esse habendos, nostris litteris die 21 Novembris anno 1873 editis ediximus ac declaravimus. Hoc ipsum rursus nunc palam declarantes, muneris nostri esse putamus, Venerabiles Fratres, Vobiscum agere, ut pro spectato zelo vestro et pro egregia vestra virtute cuius illustria exempla in tribulationibus pro Dei causa sustinendis edidistis, omni qua potestis ratione, fidei unitatem in fidelibus vestris tueamini, iisque in mentem revocetis, ut ab insidiosis illis gregis Christi hostibus eorumque venenatis pabulis omni studio caveant, ut ab eorum religiosis ritibus, instructionibus, cathedris pestilentiae quas ad sacras doctrinas tradendas impune posuerunt, ab eorum scriptis et quacumque contage omnino réfugiant, ut cum intrusis presbyteris et a fide apostatis qui audent obire munera ecclesiastici ministerii, quique legitima missione et omni iurisdictione carent, nullam sibi consuetudinem et congressum esse patiantur, ab iisque abhorreant tamquam ab alienis et furibus, qui non veniunt nisi ut furentur, mactent et perdant.

Cogitare enim debent Ecclesiae filii, id agi ut custodiatur pretiosissimus fidei thesaurus sine qua impossibile <est placere Deo, ac pariter agi, ut ipsi rectam iustitiae viam tenentes, olim reportent finem fidei salutem animarum suarum.

Quoniam vero agnoscimus isti ic ab auctoritate civili , praeter caeteras leges divinae constitutioni et auctoritati Ecclesiae infensas, alias etiam editas esse omnino adversantes

canonicis praescriptionibus quae Christianum Matrimonium respiciunt, iisque legibus auctoritatem et iurisdictionem Ecclesiasticam esse penitus oppressam, facere non possumus, Venerabiles Fratres, quin Vos in Domino hortemur, ut opportunis instructionibus catholicam de Christiano Matrimonio doctrinam quam tradit Ecclesia fidelibus vestris explicetis, eorumque in mentem re vocetis ea, quae saepius nostris Apostolicis litteris aut allocutionibus, praesertim die 9 Septembris anno 1855, et die 27 eiusdem mensis eodemque anno de hoc Sacramento inculcavimus, quo ipsi sanctitatem et vim huius Sacramenti penitus perspiciant, et canonicis legibus in hac re sese pie conformantes , vitare possint ea mala, quae ex contempta Matrimonii sanctitate in familias et in societatem humanam dimanant.

Plurimum autem confidimus in Domino Vos, Dilecti Filii Parochi et Ecclesiastici viri, qui non solum in vestram sed in aliorum etiam sanctificationem et salutem positi estis, vos inquam in taiata impiorum conspiratione et in tot seductionum periculis, pro vestra pietate et zelo, cuius egregia argumenta habuimus, valido solatio et auxilio futuros Episcopis vestris, et sub eorum ductu strenuam et alacrem daturos operam ut Dei, Ecclesiae, et salutis animarum causam diligenter agatis, utque stantium fidelium virtutem confirmetis, nutantium infirmitati opitulemini, et ea apud Deum merita, quae adepti estis patientia, constantia sacerdotali, fortitudine in dies magis augeatis. Graves quidem sunt labores quos sustinere debent hoc tempore qui pro Christo legatione funguntur, sed fiducia nostra in eo esse debet qui vicit mundum, quique in suo nomine adlaborantes adiuvat, eosque immarcescibili corona gloriae remuneratur in coelis.

Vos autem, Dilecti Filii, fideles universi, in Helvetia degentes, quos ob sollicitudinem quam de vestra salute gerimus paterno cum affectu alloquimur, Vos probe intelligentes quam pretiosum est donum Catholicae Fidei, quod Deus vobis largitus est, nulli unquam curae, nulli labori parcite ut donum illud fideliter custodiatis, ac avitae religionis gloriam quam a maioribus accepistis, incolumem ac integram conservetis.

Illud itaque summo studio Vobis commendamus, ut legitimis vestris Pastoribus qui ab hac Apostolica Sede legitimam missionem -acceperunt, quique pro animabus vestris advigilaut tamquam rationem pro iis Deo reddituri, firmiter constanterque adhaereatis, eorumque voces obsequenter excipiatis, ac prae oculis habentes aeternae Veritatis verba, quae dixit : *« Qui mecum non est contra me est, qui mecum non colligit spargit,* » Eius doctrinae obsequentes sitis, Eius suave iugum diligatis, reiicientes impigre a Vobis eos de quibus a Redemptore nostro dictum est : « *Attendite a falsis prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi i-npaces. »*

Antiquo igitur humani generis hosti resistite fortes in fide, *donec Dei omnipotentis dextera omnia diaboli arma conf tingat, cui ob hoc aliquid audere per mittitur, ut a fidelibus Christi gloria maiore vincatur. . . . ., quoniam ubi veritas est magistra, nunquam desunt divina solatia* (1).

Haec vobis, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, scribenda censuimus pro supremi Nostri ministerii munere quo universum Christi gregem ab omni fraudis periculo eripere, eiusque salutem ac fidei et Ecclesiae unitatem tueri tenemur. Quoniam vero omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum, Ipsum ex corde precamur ut vires vestras in certamine confortet, ac suo vos praesidio et protectione tueatur, utque istam regionem propitius respiciat, quatenus destructis erroribus et impiorum consiliis, veritatis et iustitiae tranquilla pace fruatur. Nec porro omittimus pro miseris etiam errantibus supernum lumen implorare, ut desinant thesaurizare sibi iram in die irae et revelationis iusti iudicii Dei, et ab errore viae suae, dum adhuc tempus eis datur, sincera poenitentia convertantur. Vos, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, férvidas preces vestras nostri : coniungite, ut misericordiam consequamur et gratiam inveniamus in auxilio opportuno; ac accipite Apostolicam Benedictionem quam ex intimo corde deprompt am vobis singulis

(1) S. Leo in epistola ad Martinum l'rcsbyterum.

universis in pignus praecipuae nostrae caritatis pei amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 23 Martii anno 1875. Pontificatus Nostri anno vicesimonono.

PIUS PP. IX.

## LITTERAE APOSTOLICAE

**Commendantes zelum Episcopi Pictaviensis, qui funebria laudis officia persolvit Abbati S. Petri Solesmesi**

**VENERABILI FRATRI NOSTRO LUDOVICO KDUARDO, EPISCOPO PICTAVIENSI**

PIUS PP. IX.

Venerabilis Frater, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Decebat profecto funebria laudis officia clarissimo Familiae Sancti Benedicti ornamento Prospero Gueranger a Viro persolvi, qui optimus virtutum et scientiae iudex, illique familiarissimus, ges+a simul et mentem defuncti valeret exponere ac revelare.

Gaudemus autem, Venerabilis Frater, te sic istud obiisse munus amicitiae, ut in tota eius vita demonstraveris aptissimum instrumentum a divina providentia paratum Galliae, cum ad restituendos Regulares Ordines deletos, tum ad amplissimam eorum utilitatem oculis subiiciendam. Luculenter enim ostendisti, ipsum assecutum utrumque fuisse, sive excitando rursum et propagando in Gallia monasticum institutum et disciplinam ; sive suadendo rituum uniformitatem, vitio temporum distractam, cum Romana Ecclesia; sive propugnando et illustrando Sedis huius Apostolicae iura et privilegia; sive demum confligendo errores omnes, ac praesertim iactatas uti nostrorum temporum ornamentum opiniones; ita ut illa sen •

tentiarum infer sinceros catholicos concordia, et communis illa observantia et dilectio vere filialis, qua Gallia Nobis coniungatur, eius operositate gratiae, scientiae magna ex parte non immerito tribuenda videatur.

Haec porro cum mirifice consensum foverint aut confirmaverint animorum, qui necessario vertitur in summum quoque civilis consortii beneficium, defuncto elogium asserunt veri Benedicti discipuli, qui dum se totum Deo et Ecclesiae devovit, tanto se filiosque suos emolumento praebuit civili societati.

Copiosam operum suorum mercedem ipsi iam a Deo colatam esse speramus; tibi vero sterilem non futurum confidimus laborem tuum; tum quod piorum gesta vulgari in alioi um incitamentum expediat, tum etiam quod promeritae a defuncto laudes ob indictum recentibus erroribus bellum, novam quamdam vim adiiciant oppugnationi illi strenuae quam eximiae tuae litterae pastorales iisdem passim obiiciunt.

Excipe, Venerabilis Frater, Apostolicam Benedictionem, quam divini favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae testem tibi tuaeque Dioecesi universae peramanter impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 29 Martii anno 1875, Pontificatus Nostri anno vigesimo nono.

**PIUS PP. IX.**

# EX SECRETARIA BREVIUM

LITTERAE APOSTOLICAE

**Quibus Abbati pro tempore S. Petri Solesmesis conceditur in perpetuum usus C&ppae Magnae et locus inter Consult.rej S. Bituum Congregationis.**

PIUS PP. IX.

AD FUTURAM REI MEMORIAM

Ecclesiasticis viris, quos nostra haec tulit aetas, religione, doctrina, et Catholicae rei provehendae studio atque industria maxime insignes, optimo quidem iure adscribendus est dilectus filius Prosper Gueranger Abbas ad S. Petri Solesmesis, ac summus in Gallia Magister Congregai i onis Benedictinae. Hic, cum abundaret ingenio, excellentisque eruditionis, atque in Canonicis Disciplinis scientiae laude, ad id, per longae suae vitae cursum, semper intendit animum, ut gravissimis editis scriptis, pro Catholicae Ecclesiae doctrina, et Romani Pontificis praerogativis strenuissime propugnaret , adversariorum frangeret conatus , erroresque refutaret, neque vero , quum Nos, plaudente Christiano Populo, Sanctae Dei Genitrici coeleste Immaculatae Conceptionis praeconium sollemni Decreto confirmavimus, neque novissime, quum Romani Pontificis ex Cathedra docentis Infallibilitatem, frequentissimo universi Catholici Orbis Antistitum Consessu approbante, sanximus, idem dilectus filius Prosper catholici scriptoris officio defuit, immo vulgatis operibus Fidei, sacraeque scientiae pienissimi*, novum dedit praestandis ingenii sui, immotaeque erga Beatissimi Pe-

tri Cathedram observantiae testimonium. Sed in quo ipse curas omnes, cogitationesque collocavit, potissimum illud fuit, ut Romana Liturgia in Galliam , veluti postliminio, remearet. Qua quidem in re ita se gessit, ut eius scriptis, nec non constantiae atque industriae singulari prae ceteris acceptum referri debeat, si, antequam ipse ex hac vita migravit, cunctae Galliae Dioeceses Romanae Ecclesiae ritus amplexae sunt. Haec in Catholici nominis procurando bono tota fere vita transacta, veluti in novum splendorem redundat Congregationis Benedictinae in Gallia consistentis, satis quidem aliis nominibus clarae , ita novum a Nobis quodammodo postulat propensae animi voluntatis documentum. Cum igitur a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris quamplurima prodierunt exempla Nobis ad imitandum relicta, quibus illi certos honores ac munera nonnullorum Religiosorum coetuum Alumnis ita semper addixerunt, ut illi maiores inde spiritus sumerent ad Religionem colendam, sapientiae laudem potiundam, Christianasque virtutes exercendas, hinc est, quod Nos singulos ac universos, quibus Nostrae hae Literae favent, ab quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis senten-11 is, censuris et poenis quovis modo 'ei quavis de causa latii, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes ac absolutos fore censentes, Motu proprio, certa scientia, et matura deliberatione, deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine, volumus ac decernimus, ut deinceps, perpetuis futuris temporibus, Abbas ad S. Petri Solesmesis pro tempore existens Cappae Magnae, servatis servandis , usu fruatur, utque locus inter Consultores Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus praepositae, succedente illius pro tempore vacatione, uni ex Monachis Ordinis S. Benedicti Congregationis Cassinensis concedi atque adsignari debeat, vel si alias ab hac S. Sede Apostolica concessus, adsignatusque fuerit confirmetur. Haec volumus , mandamus, edicimus, decernentes praesentes Nostras Literas semper firmas, validas, et efficaces existere et fore , suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere, illisque, ad quos spectat, ac pro tempore quandocumque spe

ctaverit, pienissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri delere, ac irritum et inane , si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Sanctionibus Apostolicis, et quatenus opus sit, dictae Congregationis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis et consuetudinibus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XIX Martii MDCCCLXXV. Pontificatus Nostri Anno XXIX.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## PRAECEDENTIAE ET IURIS OPTANDI.

*Die 20 Decembris 1873.*

**Compendium facti.** Extat in Civitate F. Parochialis Ecclesia Abbatia nuncupata sub invocatione S. Mariae Maioris, quae a lei. record. Pio Papa Vi die quarta. -Iulii anni 1801 ad insignem Collegiatae honorem erecta fuit. Ex variis beneficiis quae tunc temporis adnexa reperiebatur quinque Ecclesiis Parochialibus huius Civitatis, constituta fuit mensa Capitularis distribuenda inter depeni canonicos et quatuor Bénéficiâtes, qui ad Beneficii consequutionem satis est ut clericali ordine refulgeant, uti Bulla erectionis manifeste innuit.

Onus coadiuvandi Parochum Bulla erectionis iniunxit duobus postremis Canonicis; Beneficiatus vero ius attribuit optandi ad praefatos Canonicatus, servato ordine antianitatis ; ita tamen ut ille, qui occasione vacationis, iure huiusmodi potiri vellet, examinandus prius, et ad curam animarum exercendam ad probandus esset ab Ordinario.

At anno 1868 , praeeunte auctoritate SSmi, datis literis sub die decimaprima augusti , onus coadiuvandi Parochum , quod vi memoratae Bullae erectionis impositum fuit ultimis duobus Canonicis , in aliam obligationem translatum est, ut melius consultum foret tam servitio chori quam curae animarum, et Parocho concessum ut coadiutores sibi benevisos assumere etiam extra Capituli gremium liceret. Ius tamen optionis quod antiquiori beneficiario ab initio attributum fuerat sartum tectumque semper mansit.

Volvente anno 1871 Subdiacono A. P. optimae spei iuveni vacans tunc beneficium collatum fuit, cuius possessionem arripuit die vigesima Iunii. Vacarunt deinde duo alia beneficia proximo insequenti anno 1872. Primum collatum fuit Presbytero A. M., alterum secundo vacans Subdiacono S. O. qui antequam obtineret regium placitum possessionem arripere curavit collati beneficii, quam revera adeptus est die vigesimatertia Iulii. Postremo praefatus Presbyter A. M. post sibi relaxatum regium placitum possessionem postulavit sui Beneficii, eamque consecutus est die quinta septembris eiusdem anni.

Cum ex parte Presbyteri A. M. contendi coeperit sibi praelationem deberi ratione ordinis sacerdotalis prae memoratis beneficiatis tum in choro tum in processionibus . caeterisque ecclesiasticis functionibus, unum expertus est adversarium A. P., qui sibi potius praelationem deberi autumat ratione antiquioris ab eo captae possessionis. Hinc memoratus Pre sbyter A. M. supplici libello S. Concilii Congregationem adiit ut controversia dirimeretur tam super praecedentia quam super praelatione in iure optandi occasione futurae vacationis Canonicatus , nempe ut statuatur utrum sibi competant iura huiusmodi ratione ordinis Sacerdotalis, vel potius Subdiacono A. P. velut in receptione antiquiori.

Acceptum huiusmodi libellum S. Congregatio remisit Episcopo pro informatione et voto, et ut audito Capitulo, ac seorsim subdiacono A. P. referret de bono iure oratoris, transmissa particula Bullae erectionis collegiatae et constitutionum capitularium.

Respondit Episcopus : « Capitulum hac super re interro•
» gatum quin sententiam suam panderet, sibi remisisse actum
» resolutionis capitulariter editae, ex qua deprehenditur quod
» numquam contigerit casus similis controversiae inter cle-
» ricos ac Pre^byteros B meficiatos sive super praecedentia,
» sive super iure praelationis in optione. Dum autem remit-
» tit particulam Bullae erectionis Ecclesiae Collegiatae non
» potest remittere aliam particulam constitutionum capitula.-
» rium quae adhuc omnino desiderantur, licet pluries ab
» Episcopo cautum fuerit ut tandem aliquando conficerentur

» Cum idcirco nihil dicere fas sit ex statutis, quibus collegialis ecclesia destituitur, nihil item ab observantia, quae oriri numquam potuit ob deficientiam casuum similium, remanet, ut praesens quaestio tota pendeat a iuris communis dispositione, qua optio datur habito respectu longioris servitii. ac antiquioris receptionis in Ecclesia in qua quis militat, prout habetur in cap. *Cum in tua de Consuet. in 6.* Cuius iuris dispositionis redditur ratio a Doctoribus, quia scilicet, ut habetur in Decis. 36 n. 7 part. 17 rec. optiones sunt fructus et emolumenta possessionis.

» Quin adversetur iuri communi Bulla, fundationis, quae onus coadiuvandi Parochum imposuit ultimis duobus canonicis, et ob id argui valeat quod beneficiati ut iure optionis potiantur, debeant necessario esse constituti in Ordine Sacerdotali; quidquid enim dicendum foret si adhuc lex memoratae fundationis vigeret, cum illud onus Parochum coadiuvandi fuerit iam cum apostolica auctoritate commlitatum in obligatione retribuendi certa ac determinata pecuniae summa alium quemcumque idoneum sacerdotem, qui operam suam impendat in exercitio curae animarum, haud amplius necessario requiritur ad effectum ius optionis exercendi, ut hoc ius sit adiudicandum beneficiato, qui non solum polleat auctoritate, sed etiam honestetur charactere sacerdotali.

» Cum itaque agatur in casu de antianitafe, nullo habito respectu ad ordinem sacerdotalem, et subdiaconus P. quindecim mensibus antea possessionem obtinuerit, eidem igitur tribuenda praelatio in exercitio iuris optandi potius quam Presbytero A. M., qui posterior existit in adepta Beneficii possessione.

» Libeat EE. VV. decernere quid statuendum sit in alia parte controversiae ex causa praecedentiae, de qua simpliciter loquitur Decretum, cui innititur in suo libello Presbyter M.

» Porro si quarumdam ecclesiarum consuetudo exquiratur, beneliciatis postquam fuerint sacerdotes effecti competit re-

» integratio. Cui consuetudini valde favere mihi videntur in
» casu verba Bullae erectionis ex quibus eruitur, quatuor be-
» neficia, quae extant in hac Ecclesia Collegiali , ad eum fi-
» nem praesertim ordinata esse *ut iis qui in sorte m Doni-*
» *ni vocati sunt opportuna compararentur media quibus*
» *eorum vocationi facilius possent incumbere ita ut lau •*
» *dabitis inter eos ad Uter ar um studia enixe colendo, se-*
» *que habiles et idoneos efficiendos ad ecclesiastica inde*
» *01 uni a obeunda excitaretur aemulatio, ex qua maxima*
» *animarum saluti proveniret utilitas, et divinus quoque*
» *cultus magis susciperet incrementum.* Quem finem pro-
» tecto minus sperandum foret assequi posse, ubi hisce Cle-
» riois Beneficiatis iam in sacris ordinibus constitutis rein-
» tegratio denegaretur , eo magis quia in hac civitate alia
» deficiunt beneficia quae Clericis pauperibus conferri valeant.

» Quatenus itaque censuerint EE. VV", ex quadam for-
» san convenientia votis oratoris hac in parte assentiendum,
» mihi liceat rogare istum amplissimum Ordinem ut in diri -
» mendis quaestionibus etiam habeantur in pretio qualitatem
» i c praerogativae quibus iure merito praestat suo competi
» (ori subdiaconus P., cuius deductiones adiunctas remitto. »

Omnibus absolutis , atque partibus monitis , causa disce pianda proposita est tum circa ius praecedentiae in sacris functionibus , tum circa praelationem in iure optandi occasione vacationis.

*Et haec pro Sacerdote M. circa ius praecedentiae dicta fuere.*

Lege cautum est in honoribus quarumdam personarum ordinem et gradum servandum esse; proprium enim legis est rationabiliter et ordinate statuere. *Honores et munera non ordinatis omnibus, sed potioribus ini ungenda sunt. L Ho • ñores ff. de decurionibus.*

Et merito; si enim praecedentia maiori non daretur, ordo non subsisteret, et confusio sequeretur. Hoc posito mirum non est si in iure canonico statutum sit, ut Presbyteri supra diaconos et subdiaconos locum habeant : *Statuimus ut Pre • sbgteri primum locum, Diaconi secundum. Subdiaconi ter-*

*ti>**im** habeant, et sic de reliquis observetur ordinatim, etiam si posterius admittantur. Cap. Statuimus de maiorit, et obedienl.* Cui innixa S. R. Congregatio in S. Severini 1 Septem. 1067 statuit, praecedentiam dandam esse semper dignioribus.

Cum itaque praebendatum M. in themate'beneficiatum P. subdiaconum dignitate longe antecellere ambigi profecto non possit ob sacerdotii honorem quo condecoratur, ipsi praecedentiam dandam esse in processionibus aliisque sacris ecclesiae functionibus manifeste liquet.

Quin obsit subdiaconum P. antianitate praecellere Beneficiai u m M. eo quod prior in beneficii possessione capienda extiterit; hoc enim ipsi nullam tribuit dignitatem, ac proinde nullum ius ad praecedentiam. Quare themata accommodari posse videtur decretum Alexandri VII. su!) die 20 septembris 1659. « Auditis Pompilio Zacear ino et Michaele Angelo » Bonaccefusio canonicis clericis collegiatae ecclesiae S. Ma- » riae ad Martyres de Rotunda nuncupatae, inter non exigua » spatia dilationis, eisdem repetitis vicibus indulta, ad iura » quaecumque cumulanda, contra canonicum Ioannem Caro- » lum Vallonum in sacerdotali ordine constitutum, posterio- » rem praedictis in possessione canonicatus , ac tandem et » novissime relata per Emum et Rmum D. Carolum Ghisium » huiusmodi controversia in Congregatione S. Rit. ordinaria, * habita coram SS., Sanctitas Sua decrevit, canonicos sacer- » dotes, quamvis possessione canonicatus posteriores, ubi » praebendae non suni distinctae , semper et ubique praefe- » rendos esse canonicis inferioris ordinis etiamsi possessione » canonicatus anterioribus , non obstante immemorabili con- » suetudine quam abusum impraescriptibilem declaravit, ob » idque in praedicta collegiata Decretum emanatum sub die » 29 Martii praesentis anni debitae executioni demandari, et > posthac inviolabiliter ac inconcusse servari mandavit. »

Nec secus in Monopolitana.

« Pro parte Hyacinthi Venetiani canonici sacerdotis cathe- » dralis Monopolis adversus canonicum Antonium Sforza cle- » ricum eiusdem cathedralis, supplicatum fuit apud S. Rituum

> Congregationem per resolutionem infrascripti dubii: An su-
» pradictus canonicus clericus sedere debeat tum in choro ,
•» tum in capitulo, et stare in loco suae receptionis; an vero
» post omnes canonicos sacerdotes, etiam postquam fuerit ef
» tectus sacerdos, in loco tamen ex tunc sibi tangente; et ea-
» dem Sacr. Congr. inhaerendo aliis resolutionibus in simili-
» bus emanatis , et praecipue in una Urbis S. Mariae ad
» Martyres de Rotunda sub diebus 29 martii, et 27 septem-
» bris 1659 iterum declaravit, quod canonici, ubi praebendae
» non sunt distinctae in presbyterales, diaconales, et subdia-
» conales, quamvis antiquiores receptione . non sint praefe-
» rendi canonicis presbyteris , etiam postquam ipsi canonici
» clerici fuerint effecti sacerdotes, et tunc nec ipsis compe-
» tere reintegrationem seu praecedentiam adversus canonicos
» sacerdotes posteriores receptione, cum ius semel adeptum
» ex sacerdotio numquam amittatur , non obstante immemo-
» rabili in contrarium consuetudine , quam abusum imprae-
» scriptibilem declaravit. Et ita censuit et servari mandavit
» in praedicta ecclesia cathedrali Monopolitana, dummodo ta-
» tuen in eadem praebendae sint tantummodo presbyterales,
» tuae die 17 novembris 1674. » Quod idem a S. Congrega-
tione Concilii decretum fuit in una Sutrina *Praecedentiae*
sub die 17 augusti 1707.

Quae cum ita sint dubitationi locus non esse videtur , quod beneficiato M. utpote sacerdotii dignitate exornato prae cedentia danda sit in sacris functionibus supra caeteros beneficiatos non presbyteros etsi in possessione beneficii priores.

*Ea quae pro eodem sacerdote dicta sunt circa optionem.*

Scitum est optionem esse emolumentum, ac veluti fructum maioris servitii ecclesiae praestiti. *Cap. ult. de consuet. in 6 verbo antiquiores.* Atqui dubitari non posse videtur maius ecclesiae servitium ab eo praestari, qui sacerdotio fungitur, quam ab eo qui subdiaconatus ordine praelucet. Sane sacerdos offert sacrificium pro populo, sacramenta ministrat, et praedicat; maius ergo ecclesiae servitium praestare indubium est.

Neque dicatur maius hoc servitium ab eo praestari qui antiquior est; hoc enim intelligendum de antiquiore in ordine,

minime vero **in** receptione. Siquidem simplex clericus vel subdiaconus in beneficii possessionem immissus vel nullum , vel leve tantum servitium praestare ecclesiae valet. Cum igitur optio datur **illi** qui maius servitium praestitit, cum beneficiatus M. utpote presbyter huiusmodi servitium contulerit, sponte veluti sua fluit ipsi utpote sacerdoti, et non subdiacono P. optionem dandam esse.

Praeterea ex superius dictis manifeste apparet sacerdoti M praecedentiam dandam esse; nil igitur magis obvium et naturale , ut ei etiam praelatio in optando concedatur ; secus enim illud absurdi eveniret, ut prior posterior, et posterior prior evaderet.

*Quae tum circa praecedentiam, tum circa praefationem, in optione allegata sunt pro subdiacono P.*

Relate ad praecedentiam dictum est absolutum in iure esse singulis in classibus eos esse anteferendos, qui prius in suam classem recepti fuerint, tametsi ordine fortasse sint inferiores , quod manat ex illa iuris regula quae do;et , ut in collegiis non privatus cuiusque ordo spectari debeat, sed collegii gradus, Hinc enim fit, ut licet sacerdos canonicatum diaconalem obtineat, in collegio tamen canonicorum nonnisi pro diacono haberi debeat; et aeque sit canonicus diaconus, ac diaconali dumtaxat munere fungatur, ac alii omnes eiusdem classis. Quod idem dicendum est, si canonicatus subdiaconalis ei conferatur, qui presbyter sit, aut diaconus. Quoniam igitur qui sunt eiusdem classis aeque omnes sunt canonici diaconi, aut aeque subdiaconi, ratio utique temporis habenda est; cum inter eos qui aequales sunt gradu, certum sit, praerogativam temporis circumferre secum etiam praerogativam honoris.

Atque hinc quadrare autumat exemplum ex Cardinalium collegio desumptum. Utcumque enim in presbytère ruin ordinem quandoque adsciscatur qui aut episcopali vel patriarchali dignitate praefulgeat, aut in ordinem diaconorum qui presbyteratu polleat , non ideo reliquos antecellit eiusdem ordinis , sed suus cuique gradus manet pro antiquitate temporis, quo quisque eam dignitatem sit assecutus. Nemo autem existima-

verit in specialissimo totius ecclesiae collegio id esse inductum quod absurdum sit et iuri repugnet. Quod si non est absonum ut inter eos qui aeque sunt Cardinales ex presbyterorum aut respective diaconorum ordine, anteriores tempore promotionis posterioribus antecedant, tametsi maiori ordine privatim fulgeant, nec absonum nec repugnans videri debet, ut idipsum obtineat inter canonicos, qui in collegiata ecclesia aeque sunt canonici diaconi aut subdiaconi, nempe ex diaconorum aut subdiaconorum classe. Quin secus censendum quoad clericos qui canonicatum subdiaconalem obtinuerint, minores ordines nondum egressi. Hoc ipso enim quod clerici subdiaconalem canonicatum assequuntur, in canonicorum collegio pro subdiaconis sunt habendi, et quoad dignitatis gradum aeque sunt canonici subdiaconi ac reliqui omnes, qui vere sunt subdiaconi aut diaconatum habent aut presbyteratum. Quoniam proinde sunt pares in gradu collegialis dignitatis, recte hinc sequitur, ut si tempore anteriores sint, aliis antecedant, qui eodem illo in gradu canonicatuum subdiaconalium sunt posteriores. Hoc itaque si in collegio Emorum Cardinalium, si in ecclesiis cathedralibus et collegiatis obtinet, nihil certe absurdi aut inconvenientis esse videtur, si et in classe beneficiariorum procedat ; ubi enim eadem est ratio, ibi eadem esse debet iuris dispositio. Ex quibus omnino sequi videtur praecedentiam dandam esse subdiacono P. utpote in beneficii possessione antiquiori.

Quoad vero secundum dubium, seu ius ad optandum, notatum est pro subdiacono P., exploratum in iure esse, optionem debitam esse canonico anteriori in possessione, cum sit quidam fructus, sive emolumentum possessionis, et competat non ratione muneris, sed longioris servitii ecclesiae praestiti. *Monet, tract, de option, cap. 7. quaest. 2. num. 36 Gonzalez ad Regni. 8. Cancell. gloss. 34. num. 4. 9. ei 100.*, ita ut debeatur non uti canonico, sed uti antiquiori, prout decrevit etiam *Rota coram Merlin, decis. 746, num. 34. et decis. 308. n. 6.* Quare themati aptari posse videtur *lex 2 Cod. de offic, magistr. In gradu coeteros antecedat, quem stipendia meliora, vel labor prolixior fecerit anteire.*

Quo posito nullum dubium esse videtur, quin in iure optandi praeferendus sit beneficiarius P. qui in beneficii possessione prior extitit. Quin obiici possit, allata iuris principia unos tangere canonicos, nec facile ad beneficiarios extendi posse, cum inter hos et illos ingens intercedat discrimen; huiusmodi enim offensio nec in iure, nec in facto consistit; non in iure, quia *Monet, in tract, de option, cap. 3. n.i et cap. 4. n. 1.* tradit, optionem nedum canonicis, sed etiam beneficia! iis competere posse; non in facto, quia Bulla fundationis collegiatae mentionem faciens de istis beneficiatis, propositam difficultatem evertit dicens: *Qui* (id est quatuor clerici beneficiati) *ad canonicatus et praebendas anneooas occasione illorum respective vacationis, servato ordine antianitatis optandi iure gaudebunt.*

Quapropter tuto concludi posse videtur beneficiario P. etsi subdiacono praecedentiam in themate competere, eumque in optandi iure esse praeferendum. Hisce pro utraque parte animadversis ad sequentia dubia, quorum

1. An et cui in sacris omnibus functionibus competat praecedentia in casu.

2. An et cui competat praelatio in iure optandi occasione vacationis per obitum , vel per resignationem alicuius canonici in casu:

Eminentissimi Patres respondere censuerunt.

Ad 1. affirmative favore sacerdotis M.

Ad 2. Affirmative favore subdiaconi P.

Corollaria colligant lectores ex sequentibus quae circa praecedentiam cleri saecularis subiecto.

1. Praecedenti arum controversias in funeralibus et processionibus componere potest Episcopus brevi manu, summarie et de plano, ac sine strepitu et figura iudicii. *S. Congregat. Concilii, testibus Francisco Leone in Tliesaur. Fori Eccles, part, 1. cap. 8. n. 18; Barbosa in Summ. Apóstol, verb. Praecedentia n. 1 et aliis.*

2. Praecedentia semper dignioribus danda est. S. Rit. Congi-, in Sancti Severini 1 sept. Ï607.

3. Praecedentia inter Episcopos nulla alia ratione regu-

latur, nisi electionis, seu provisionis, ut qui prius electus seu provisus fuit de aliquo episcopatu, alteri postea electo, seu promoto praecedat *S. Rit. Congreg, in Segobien. 31 mar-' Hi 1609.*

4. Praecedentia Episcoporum in Conciliis Provincialibus statuenda est iuxta tempus ordinationis, non autem secundum dignitatem ecelesiarum. *S. Congreg. Concilii die 9 aprilis 1596.*

5. Praecedentia semper debetur canonicis ecclesiae cathedralis supra canonicos ecclesiae collegiatae etiam in associandis funeribus propriae ipsius collegiatae parochiae. *S. Congr. Rit. in Praenestina Cavarum 28 augusti 1618.*

6. Praecedentia in processionibus et funeralibus danda est canonicis Ecclesiae Cathedralis. *S. C. Rit. in Ripan. 30 Iulii 1616.*

*7.* Praecedentia debetur canonicis Ecclesiae Collegiatae supra Collegium Parochorum et aliorum Presbyterorum etiam ipsius civitatis , dum occasione Synodi , vel alterius similis causae simul conveniunt. *S. C. Rit. in Faventina Brisiguellae 12 mart. 1616.*

8. Praecedentia inter Curatos Ecclesiarum Parochialium non ratione regulae sed ratione antianitatis , seu praerogativae Ecclesiae Parochialis Curatis danda est. *S. C. Rit. in Ästen. 21 martii 1609.*

9. Praecedentia semper debetur Clero saeculari supra Regulares, etiam in ipsorum Regularium Ecclesiis. *S. C. Rit. in Firmana Terrae Sanctae Victoriae 31 martii 1618. Et alias.*

10. Praecedentia inter Presbyteros sumitur ex antiánitate ordinis, non ex gradu Doctoratus , quia Presbyteratus ordo longe dignior est, quam gradus Doctoratus. *S. C. Rit. in Mediolanen. 29 nov. 1603.*

11. Beneficiatus in Ecclesia sui beneficii praecedentiam habere debet supra alios Beneficiatus in eadem Ecclesia non sacerdotes. *S. C. Rit. in nullius Provinc. Flor, de m vse Ianuar. 1633.*

12. Praecedentia inter simplices Presbyteros debetur an-

fianis, nisi Presbyteri minores suppleant vices et muniis Parochi. *S. C.Rit. in Praenestina praecedentiae 13 Aug. 1701.*

13. In processionibus quae fiunt cum interventu Capituli cathedralis praecedentia debetur Beneficialis eiusdem supra Parochos. *S. C. Rit. in Taurinen. 2 octobr. 1683.*

14. Praecedentia quae debetur Parochis perpetuis, eadem debetur Parochis et Curatis amovibilibus ad nutum, quia etiam hi gaudent praerogativis Parochorum perpetuorum. *S. C. Concil, in una Comensi 27 martii 1706.*

Quibus et haec alia quaquaversus optima corollaria adiungo.

15. Vos autem non sic; sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator. Nam quis maior est, qui recumbit an qui ministrat? Nonne qui recumbit? *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.*

16. Vos vocatis me, Magister et Domine; et bene dicitis; sum etenim. Si ergo *ego* lavi pedes vestros, *Dominus et Magister*, et vos debetis alter alterius lavare pedes. Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodum *Ego* feci vobis, ita et vos faciatis.

17. Discite a me quia mitis sum et humilis corde.

18. Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur.

Auctor horum Corollariorum dignoscitur.

19. Ergo humiliamini in conspectu Dornini, et exaltabit vos. lacob. IV. 10.

# ELECTIONIS VICARII CAPITULARIS.

*Die 0. Auf/nstt 1862.*

eoiiiiM>Bififum facti. Episcopis Dioecesis R. vita functus est die 6. Augusti 1861. in civitate quae a sua Cathedrali haud parum distabat. Attamen duobus diebus vix elapsis, nuncium mortis transmissum fuit Capitulo per Vicarium Dioecesis alterius, epistola ad id missa. Capitulares, nulla interiecta mora, per Praepositum intimati in primam convenere Sessionem, qua destinatis Episcopo defuncto in diem 13. eiusdem mensis funerum honoribus, Canonicis ex constitutionum praescripto indicta lex est bis unaquaque die, absque nova convocatione, in aulam capitularem conveniendi ut negotiis Dioeceseos consulerent, et quae Capitulo tributa erat, iurisdictionem exercerent donec Vicarius Capitularis eligeretur. In sequenti die, quae 9. erat mensis, vespertino conventu non defuerunt qui proponerent Vicarii Capitularis electionem peragendam esse ante solemnia Episcopi funera, ne octo dies a Concilio Tridentino electioni assignati inutiles forte praeterlaberentur, verum nulla de hac re collata sententia, ab aula Canonici recesserunt.

Die 10. in matutina Sessione iterum hoc negotium ad examen demandatum fuit ; sed dividentibus in utramque partem Canonicis, nullum de anticipanda electione decretum confectum est. Interim Canonici, qui electionem diutius differri non patiebantur duos a peracta Congregatione absentes Canonicos admonitus voluerunt, vespertina proxima Sessione inceptum iri pro Vicarii Capitularis electione scrutinium. Collectis deinde in Sessionem Canonicis, quaestio mota est an inchoari electio deberet, datisque suffragiis, affirmativa sententia praevaluit. Et frustra obsistente Decano qui etiam ab aula discessit, electio coepta est. Porro cum quinque so-

lummodo Canonici magisterii doctoralis titulo decorati reperirentur, hos quinque tantum electione passiva gaudere declaratum est, et chartulae eligibilium nomine signatae cuique distributae sunt, non distributa tamen cuique ex eligibilibus Canonicis cbartula, quae nomen ipsius eligibilis praeseferebat. Depositis suffragiis, Praepositus, Canonicus a Secretis, et senior Canonicus Schedas peragerunt singillatim ; attamen ea prima vice nemo maioris partis Capituli suffragia retulit ; proindeque electione infecta, Sessio soluta est. Quod iterum et tertio contigit ; quarto tamen scrutinio, quod in vespertina Sessione diei decimaequartae mensis eiusdem celebratum est, praesentibus viginti Canonicis integrum Capitulum efformantibus, quorum tamen unus nempe clericus G. iunior electione activa ex defectu Ordinis carebat, datisque suffragiis, decem pro Canonico S. suffragia reperta sunt ; et cum enunciatum esset : « *risultata la maggioranza a favore dei Rmo Canonico S.* » statim conclamatum est Canonicum S. electum fuisse in Vicarium Capitularem. Mota vero quaestione an reapse ob praesentiam supradicti Clerici G. qui a suffragio abstinuit, maior pars Capituli electioni consenserit, res plenius definienda in aliam Capitularem Sessionem remissa est. Quae cum die 16. eiusdem mensis celebraretur, Archipresbyter solemniter protestatus est, electionem Vicarii Capitularis peractam die 14. Augusti irritam esse ; Canonicus tamen S. cum in eius sententiam caeteri praesentes Canonici concessissent, Vicarii Capitularis officium assumpsit ; illudque statim exercere aggressus est.

Male rem tulit Archipresbyter et ad Sacram Concilii Congregationem confugit, declarari expostulans, irritam prorsus, et invalidam esse electionem Canonici S. in Vicarium Capitularem. Sacra Congregatio praeprimis Canonico S. literis diei 7. Ianuarii illius anni commendavit, ut Archipresbyterum prudenti consilio et charitate a suo proposito removeret , et ad ratam habendan electionem adduceret. Qui tamen cum in irritum cessisset conatus, partibus indicta lex est, ad S. C. Congregationem propria iura deducendi.

lOfiipitìsuytero electionem oppugnanti socius adiunctus est Becanus, qui deductiones ad suam protuendam sententiam factas firmavit et ratas habuit.

## Disceptatio synoptica.

### EA QUAE IN SUI FAVOREM ARCHIPRESBYTER PRODUXIT.

Cum Concilium Tridentinum nihil de speciali forma peragendae electionis Vicarii Capitularis decrevisset, arguebat Archipresbyter, electionem hanc faciendam fuisse iuxta ea quae in *Cap. 42, de eieci.*, praecipiuntur observanda in electione Praelatorum. Vicarius enim Capitularis iurisdictionem exercet qua Praelatus; *Marchetti, prax. Vic. Capit. tit. 2.* Caput illud ita se habet: « *quia propter diversas élection a m formas, quas quidam invenire conantur, et multa impedimenta proveniunt, et magna, pericula imminent Ecclesiis viduatis; statuimus ut cum. electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus, qui debent et volunt et possunt commode interesse ; assumantur tres de Collegio fide digni qui secrete et singillatim vota cunctorum diligenter exquirant et in scriptis redacta mox publicent in communi; nullo prorsus appellationis obstáculo interiecto; ut is collatione habita eligatur in quem omnes vel maior et sanior pars Capituli consentit. Aliter electio facta non valeat.* » Ex allato capite quasdam conclusiones arguit Archipresbyter de legitima nempe convocatione praemittenda ; de scrutatoribus assumendis, de suffragiis secreto exquirendis, iisdemque publicamus, et de collatione facienda ut appareat quinam maioris et sanioris partis vota retulerit.

Quoad legitimam convocationem prae oculis habendam esse subiungit regulam, quae explicite traditur in Cap. 8, §. 7. Constitutionum Capitularium Ecclesiae R., quae ita statuunt : « *Omnia Capitula indiceniur una die pro alia, sequenti per notulae affixionem ad, valvas aulae Capitularis. Hanc, intimationem statim Sacristae minores Capitulares personaliter singulis de Capitulo propria in domo exequentur.* »

Capite vero XI. earumdem Constitutionum et alia traditur regula : « *Humana prudentia postulat ut magis ardua negotia differuntur ad sequens Capitulum, et sic maturius considerentur.* > Et iis praemissis de omnibus Capitulis in genere ; in specie de Capitulis ad electionem Vicarii Capitularis peragendam, Constitutiones anni 1831. haec habent : « *Ab obitu Episcopi usque ad Vicarii Capitularis electionem Capitulum bis in die congregetur, nimirum post Primam et post Vesperas, et absque alia intimatione . . . . . sacris completis expiationibus et Episcopi cadavere ari tumulum demandato. Capitulum celebretur pro Vicarii Capitularis electione.* » idem quoad quotidianas Canonicorum Congregationes statuunt Constitutiones anni 1851. ; distinctionem nempe satis perspicuam fieri inter ordinarias Congregationes et solemne Capitulum in quo electio Vicarii peragenda est. Congregationes illae nova intimatione non indigent ; non refert enim si aliqui absint Canonici, prout de facto saepe ob gravia munia, quibus nonnulli detinentur, abesse coguntur. Non idem vero Me Capitulari Sessione dicendum; in qua maximum, procul dubio, negotium, Vicarii nempe' electio, peragitur.

Quare Sessioni eiusmodi ea verba Constitutionum applicari debent : « *Humana prudentia postulat, ut magis ardua negotia differuntur ad sequens Capitulum.* » Hinc mos fuit ad valvas Aulae Capitularis intimationem affigi ne quis ignorantiam allegare possit, et ideo ad Vicarium rite eligendum , ordinariam Comitiorum convocationem non sufficere. Praeterea cum in memorato *Cap. quia propter,* legatur, *vota cunctorum et in scriptis redacta secrete, singillatim et 'diligenter exquirant;* Constitutiones Capitulares *Cap. XI,* praecipiunt: « *Secundum canonicas Constitutiones in hac electione omnia per Schedas peragentur.* » Porro inquisitio illa suffragiorum, quae in scriptis seu per Schedas diligenter instituenda est, ut inde collatio *zeli* ad *zelum* fieri possit, et periculum removeatur, ne sibi quis det suffragium, absque dubio exposcit, ut nomina eligentium et electorum dignoscantur. In eadem ergo scheda utrumque nomen est notandum. Collecta autem

suffragia et numerata, *mox* publicanda esse iubet Pontifex in recitato capite ; ita ut *nullo actu extraneo longiorive horae intervallo interposito** fiat publicatio. Peractam publicationem collatio suffragiorum excipere omnino debet, nisi Canonici irritam velint electionem celebrare, uti statuit Gregorius IX. in *Cap. I. de Electione.* Ex hac vero collatione ille ex praescripto Constitutionum Capitularium anni 1831. in Vicarium electum censebitur, qui *duas ex tribus suffragiorum partibus* retulerit. Ita enim Articulo XI. earumdem Constitutionum definitum esse ait Archipresbyter, cui hoc prooemium praeficitur : « *Hic articulus fuit in consulendum Canonicorum coetu lectus et approbatus die 6. Aprilis 1826 ; et ab Episcopo nostro B. confirmatus* et in Acta S. Visitationis relatus die 10. eiusdem mensis et anni.* » Haec èrgo lex est, quam Canonici R. spernere nulla ratione possunt. Proindeque electus haud erit, qui duarum ex tribus partibus suffragia non retulerit.

His animadversis, conqueritur primo Archipresbyter legitimam non praeextitisse Capituli convocationem Vicario Capitulari eligendo. Die octava Augusti Canonici convocati diem statuerunt, qua iusta solemnia Episcopo persolverentur. In Sessione vero quae die nona habita est post Completorium , proponentibus quibusdam Canonicis ad Vicarii electionem quam cito esse deveniendum, fortiter ceteri obstiterunt, neque ullum captum consilium ; in sequentibus autem Comitiis matutinis diei decimae iterum renovata quaestione, Praepositus prima Capituli dignitas, haec verba protulit, ut adversae partis studia compesceret : vos rogo supplex et per animae meae tranquillitatem ut exequiarum implementum attendere velitis sicuti in prima Sessione statuimus. Praepositi sententiae Archipresbyter pluresque Canonici adhaeserunt, et Congregatio soluta est. Patet ergo Canonicos ad electionem in Sessione vespertina eiusdem diei absque legitima et solemni convocatione de venisse. Nec tamen aliquid valet exceptio, ante electionem nempe incipiendam, maiorem partem Capituli consensisse ut inciperetur; nam octo Capitulares adversati sunt.

et cum de re agatur, quae singulos tangit, agitur enim de exercitio potestatis eligendi, quae singulorum est; eorum dissensus ceteris consentientibus officiât oportet. Hac ratione motus Decanus, protestatione emissa, ab Aula discessit.

Tamen ad electionem ceteri deveniunt, quin ullas praeponerent dispositivas consultati* nes, quae ex *Cap. 56. de Electione et Glossa* ad Cap. 21. eiusdem tituli omnino necessariae sunt; Ferraris V. Electio Art. 4, n. 5.: *Vocalibus vocatis et in unum conventis, sunt ante electionem habendi tractatus consultora ;* quin ullum de subiectorum eligendorum, praesertim pro hisce temporibus, idoneitate, ex-imen instituèrent. Nec-defuit et alius substantialis defectus ; etenim schedae distributae sunt, quae unico eligibilium, omisso eligentium nomine, notabantur ; quod uti superius monebatur alienum est a sacrorum Canonum mente, ab asserta Doctorum sententia, et rem periculi plenam facit. Haec quidem in prima Sessione, quae effectu electionis caruit, contigerunt ; sed eadem omnino in aliis Sessionibus obtinuerunt donec ad electionem deventum est. In postrema vero Sessione, praeter antecedentium Sessionum vitia et defectus, plura alia Archipresbyter contra validitatem electionis redarguii. Et primo satis compertum non esse ait, utrum Canonicus S. maiorem suffragiorum partem reapse consequutus fuerit. Nam cum novem suffragia pro eodem Canonico lecta iam fuissent, Praepositus qui scrutinio praeerat collegas respiciens motum fecit qui significat: ad finem pervenimus, et verbum protulit : at neque hodie . . . . . . Interim vero Secretarius aliam schedam exhibuit, quam Praepositus excipiens miratus, ait: adest ne et alia? eamque 1 git, quae decimum erat pro Canonico S. suffragium.

Quamvis ex nonnullis adiunctis dubitare liceat an vere decem Canonicus S. vota obtinuerit ; tamen concessis eidem etiam decem suffragiis, haud sequitur, ait Archipresbyter, eumdem Canonicum maioris partis Capituli suffragia obtinuisse. Viginti enim aderant Canonici, et licet unus ex Ordinis defectu suffragium non dederit, cum ipse tamen interesse Cu-

pitulis Tenebatur, uti praesens, Archipresbyter ait, augere debebat suffragiorum numerum. Ergo, concludit, non ad eos tantum qui ius habent suffragii, sed ad eos etiam respiciendum est qui iure intersunt ut maior pars suffragiorum definiatur.

Quod si haec electioni infirmandae paria non sunt, appellandum esse aiebat ad Constitutiones Capituli R. Etenim ut superius relatum est, Art. XI. Constitutionum anni 1831., qui Capitulo ob peculiarem acceptationem et Episcopi confirmationem loco legis est, duas ex tribus suffragiorum partibus ad Vicarium Capitularem eligendum exposcit ; has duas suffragiorum partes praedictus Canonicus non est assecutus ; Vicarius ergo Capitularis electus non est. Deinde electio iuxta Cap. 42. de Electione, §. 2. illico publicanda fuisset, quae publicatio omnino defuit iuxta Archipresbyterum. Cum enim Capitulares in eadem Sessione convenerint, Doctorum sententias exquirendas esse antequam electio publicantur, die 16. Augusti, intimato Capitulo extraordinario, quin ullum de validitate electionis examen praeponeretur, Canonicus S. Vicarii Capitularis officium occupavit.

Et haec omnia quoad formam et solemnitates electionis ; quoad electi vero personam Archipresbyter ea exhibet quae Concilium Tridentinum Sess. 24. Cap. 16, de Reform, in hac re statuit: *Item Officialem seu Vicarium constituere vel existentem confirmare omnino teneatur, qui saltem in Iure Canonico sit Doctor vel Licentiatos* vel alias * quantum fieri poterit idoneus.* Hanc ergo dispositionem expendens adnotat, Concilium subiecti idoneitatem praecipue voluisse, quae ex saniori doctrina, prudentia , iustitia, ex virtutibus scilicet in Pastore requisitis resultat. Testimonium vero gradus Doctoralis tantummodo inspexit et requisivit, quatenus idoneitati huiusmodi conferat et coniungatur, non autem illum inspexit tamquam testimonium honoris, quia honor immerentibus etiam aliquando tribuitur. His praeterea nonnulla, etiam Archipresbyter addidit de stuuio, quo Canonicus S. propitios sibi in electione nonnullos Canonicos reddere conatus est, ; ex quu

redarguendo esset, ut ait, ad tramites Cap. 26. de Eleet. : *Quo eligi non possunt', ut legitur, ambitiosi gui nempe alios sollicitarunt precibus, ut eligerentur ipsi.*

**EA QUAE IN SUI FAVOREM CAPITULUM R. PRODUXIT.**

Capitulum tamen omnibus respondebat Archipresbyteri difficultatibus. Et quoad convocationis defectum animadvertebat in prima ipsa Sessione Canonicos decrevisse iuxta Capituli constitutiones bis qualibet die absque nova intimatione Sessiones capitulares celebrandas esse, quousque Vicarius Capitularis eligeretur : idque in more fuisse anteactis etiam temporibus. Convocatio igitur prima ad omnia quae celebranda erant Comitia sese extendebat, eamque uti talem Canonici omnes habuerunt. Praeterea cum in Sessione matutina diei 10. Augusti statutum fuisset, in vespertina eiusdem diei Sessione incipiendam fore electionem Vicarii, Capitularis, qui aberant Canonici de capto consilio admoniti sunt. Minime idcirco intempestive incepit electio, licet ipsa locum habuerit contra voluntatem octo Canonicorum. . . . Canonici siquidem omnes, praeter unum, ratam habuerunt responsionem, quam duo Canonici deputati *in scriptis* Decano huiusmodi defectum obiicienti dederant, licet ratihabitio absolute necessaria non fuisset ; per sententiam enim maioris partis Capituli, de incipienda ipsa die decima Vicarii electione, potestas eligendi, quae singulorum est, nullam omnino iniuriam aut limitationem passa est. Non agebatur siquidem de cuiusque Canonici electionis iure in aliquem veluti compromissarium transferendo, in qua re voluntas singulorum requireretur ; sed de prae"-nienda ipsa electione, quae res est potius Capituli quam singulorum. Canonici praeterea qui ante funera Episcopo peragenda intempestivam existimabant electionem, suffragium ail quaestionem definiendam exhibendo, implicite decisionem, quae maioris partis Capituli esset, acceptarunt. Ceterum animadvertendum est, aiebat Capitulum, Episcopum obiisse longe a sua Dioecesi, nec deesse exempla in ipsa Ecclesia R. electionis Vicarii Capitularis ante funerum honores Episcopo tribu-

tos, celebratae; ceu constat evenisse -anno 1831.. Minime tandem veritati consonum est, quod obiiciebat tertio loco Archipresbyter, electionem nempe caruisse sp. tio uniu* ad aliam diem ; nam electio non ipsa die decima, sed in respectiva Sessione diei quatuordecimae completa est, adeoque tempus consultationibus, precibus iisque omnibus quae electioni rite peragendae poterant prodesse, nullatenus defuit.

Prosequebatur deinde Capitulum adnotando electionis formam, quae in Capite *quia propter* praescribitur, propriam esse electionis Praelatorum quorum interitu Ecclesia Pastore viduatur; ceu facile patet ex prooemio capitis.

Reperiuntur sane Doctores quidam qui hanc formam secreti scrutinii adhibendam esse commendant in Vicariis Capitularibus eligendis. Sed melioris notae scriptores uti Pignatt. tom. 8, consuli. 34; De Luca De Canonicis Disc. 26, n. 3 et seqq.; Garcías De Beneficiis Cap. 7, part. 5, n. 21. 22, docent nullo modo eam formam necessariam esse in electione Vicarii Capitularis (1).

Neque necessarium esse subiungit ad formam scrutinii secreti cum inscriptione utriusque nominis eligentis et electi sese absolute referre. Constitutiones siquidem Cathedralis Ecclesiae R. iubent electiones fieri per Schedas secundum canonicas constitutiones ; atqui fatentibus plurimis Doctoribus di-

**(1) Praetereundum haud est quod in propositum scripsit De Luca loco citato::» Licet enim reiecta opinione Gemin. n et Lambert, receptum sit, sequen- » do opinionem Archidiaconi et Fran- » chi et aliorum ut dictae ' Decretalis » dispositio procedat nedum in Praela- ti turis, sed etiam in inferioribus Bene- n ficus; attamen id procedit quando agi" » tur de actu qui exigat ad eius perfe- * ctioneu auctoritatem superioris, ut » est in casu electionis, quae indiget con. » formatione. Vel ubi agitur de praesen- fi latione seu nominatione ad Beneficium » unde necessaria sit institutio seu pro- » visi1> superioris. Secus autem in hac » subiecta materia,in qua non agitur nec » de vera electione , nec de praesenta » tione, seu nominatione exigente post se » alium actum ad sui perfectionem, sed » agitar de simplici deputatione sonan- » te in mandatum, quod Episcopus vel -•i Praelatus vel eius loco Capitulum Vi- » cario dare dicitur , quod mandatum » ad sui essentiam non exigit scripti!-- » ram sed etiam oretenus dari potest... » Litterae siquidem patentes expedian- » tur ad probationem, non autem ad sub- » stantiam vel ad perfectionem actus , « cum nullo iure cantum sit, eas requi- - ri de substantia -**

versae dantur electionum formae quae sacris Canonibus conformes omnino existimantur. Quod vero in re de qua agitur, quaestionem dirimere videtur, factum est ipsorum Capitularium, qui recentiora Statuta Capituli redegerunt, eaque simul cum aliis confirmaverunt. Ii porro Capitulares cum demortuus esset Episcopus B. Vicarium elegerunt eadem forma usi, quam hodierni Capitulares adhibuerunt.

Sed nec ulla suspicio fraudis in ipsa schedularum praeparatione et distributione oriri potuit . . . . Islam commoditatis gratia optimae fidei Canonicus Secretarius easdem praeparavit, et distributio eo modo facta est, ut nemo unus de gestorum integritate in variis Sessionibus dubitaverit. Hic vero monent Capitulares nullam hodie vim habere Constitutiones anni 1831., quas Ai chipresbv^ter invocat, ut duas suffragiorum partes pro electione Vicarii Capitularis necessarias suadeat. Eae siquidem saepius diversis propositae Episcopis ut confirmarentur numquam probatae et confirmatae fuerunt. Negari equidem non posse, subiungebat Capitulum, Art. Xl. earumdem Constitutionum auctoritatem Episcopi B. retulisse ; verum cum novae anno 1851. confectae et ab Episcopo probatae fuerint Constitutiones , quae nulla habita distinctione inter negotia maioris et minoris momenti quamlibet decisionem maioris partis Capituli iudicio tribuunt, vires Art. XI. omnino defecisse dicendum est. Regi ergo debet electio ad tramites novarum Constitutionum, quae duas ex tribus partibus suffragiorum non requirunt.

Ad obiectionem diluendam quae ex Clerici praesentia deducebatur quasi nempe hic suffragiorum numerum augere debuisset, reponens Capitulum, observabat, Clericum qui subdiaconatus Ordine caret, electionis iure non gaudere ; quemadmodum patet ex Clementina II. de aet. et qualit. et ex Conc. Trid. Sess. 22, cap. 4, de Reform. Maiorem vero pai tem aestimandam esse ait respectu *omnium Canonicorum interveniendum et suffragium ferentium,* ut habet Ferraris V. Capitulum Art. I, n. 60. Quod non obscure etiam traditur in Cap. 42, de Elect., ubi dicitur: « *Electio celebranda*

*est praesentibus omnibus qui debent, et volunt et possunt commode interesse.* » Haec porro praesentia cum referatur ad id quod sequitur de suffragiis ferendis, sensus est, electionem celebrandam esse ab **iis** qui suffragium debent et volunt et commode dare possunt.

Capitulum inde in sua allegatione progrediens veritatem decimi suffragii tuebatur animadvertens, obstupuisse Canonicos mirantes quomodo Archipresbyter tot simul potuerit adiuncta connectere, eaque ita disponere ut fraudis suspicio ingereretur. Sed Secretarii, cuius praesertim agendi ratio in scrutinio ab Archipresbytero impetitur, nota fama est, et **si** res prout contigit inspiciatur, ait Praepositus, cui ceteri adhaerebant Canonici, omnis suspicio fraudis evanescat necesse est. Praepositus praeter Secretarium, qui ex officio scrutator est, seniorem Canonicum assumpsit ; schedae videntibus omnibus in urnam deponuntur, hinc numeratae collocantur « *nel Bacino* > aperiuntur singillatim, lectaque nomina distinctis lineis adnotantur. Nullus proinde fraudi locus est quoad stuporem Praepositi cum ultima scheda a Secretario proposita est, et ipse Praepositus falsam omnino esse ait relationem Archipresbyteri. Quod si aliquando signum fecerit admirationis se illud retulisse, ait Praepositus, ad sortem electionis, quae ab unica perlegenda scheda dependebat.

Ad publicationem vero quod attinet electionis, illico eamdem factam fuisse subdebant Capitulares, cum nempe lectis suffragiis scrutinii exitus declaratus fuit : « *E risultata la maggioranza a, favore dei Rmo signor Canonico S.* » Convenerunt equidem Capitulares in vulgus manifestandam haud esse electionem, ut interim Doctorum sententiis collectis et perpensis, omnis, si quae esset Achipresbyteri difficultas ex Clerici praesentia dilueretur. Sed die decimasexta formali, ut moris erat, convocatione Capitularibus convenientibus et consentientibus omnibus excepto Archipresbytero, Canonicus S. officium Vicarii Capitularis assumpsit.

Communi Canonistarum sententia, et resolutionibus S. C. Congregationis ad ea respondit Capitulum quae Archipresby-

fer obiiciehaf de mente Concilii Tridentini super qualitatibus eligibilium in Vicarium Capitularem. Tridentinorum proinde Patrum mentem fuisse statuit ut doctorali gradu decoratus eligeretur in Vicarium , ceteros autem etsi idoneos nonnisi in prioris defectu ; afferens Pigliateli. Consult. 34 et 36, et S. C. Congreg, in Capuana 19. Ianuarii 1636.

Attamen, ut manifestum est, tempus ante Capitulo defuisset, quam selecti auctores, et resolutiones S. C. Congregationis , si suas probationes ex hac parte urgere voluisset ulterius.

Ad ea tandem Capitulum respondens quae obiiciebat Archipresbyter ile studio Canonici S. ad sibi quosdam Capitulares alliciendos in negotio electionis, aperte declarat se nullatenus huiusmodi studium expertum fuisse.

Tandem ipse Canonicus S. in Vicarium Capitularem electus Capituli ipsius testimonio innixus indignas artes ab se repulit, quarum incusatus fuit ab Archipresbytero : et de convocatione deinde agens Comitiorum eadem repetivit, quae a Capitulo deducta fuere, addens praeterea Canonicos post Sessionem qua coeptum est electionis scrutinium, inter se quaque vice convenisse de futuro celebrando consessu ad electionem ipsam conficiendam. Considerans autem electionis modum, innixus auctoritati Glossae et Canonistarum, formam Capitis *Quia propter*, non esse exclusivam tuitus est, adhibitam vero a Capitulo legitimam fuisse sustinuit ; suffragia siquidem colligebantur et legebantur a tribus, qui scrutatorum locum tenebant, omnibus spectantibus Canonicis, qui praesentia sua in singulis Sessionibus ratam habuerunt procedendi rationem. A veritate vero omnino alienum esse dixit decimi suffragii defectum ; quod ab ipsis iteratis attestationibus Capituli non minus evinxif , quam ex facto ipsius Archipresbyteri, qui eadem electionis die et post 24. horarum studium, nullam ex hoc Capite ad infirmandam electionem suspicionem adduxit, con tendens solummodo ob praesentiam Canonici iunioris, decem suffragia maiorem .Capituli partem non repraesentasse. Monente Gagliardi tandem *Inst. Iur. Can.* Lib. 1. Tit. 19.

§.' 25, non necessariam esse "dixit in electione zeli ad zelum comparationem ; sed *solum numeri ad numerum in acceptis suffragiis* collationem itemque iuxta Reiffenst. Lib. 1. Decr. tit. 6, §. 12, n. 284. 285, publicationem electionis, nil aliud esse ait nisi suffragiorum publicationem.

Hisce hinc inde rationum momentis adductis sequens propositum fuit resolvendum

**nubium.**

« An sustineatur electio Vicarii Capitularis in ca^u { »

RESOLUTIO. - S. C. Congregatio die 9. Augusti 1862.; causa cognita respondere censuit :

*Affirmative et amplius.*

Ex QUIBUS COLLIGES I

**I.** Nullam in iure adesse formam specialem pro Vicario Capitulari eligendo praefinitam ; neque ipsum Tridentinum eam constituisse dum ediceret : « *Vicarium infra o to dies post mortem Episcopi constituere vel existentem confirmare omnino teneatur (Capitulum)* qui saltem in iure Canonico sit Doctor vel Licentiatus* vel alias quantum fieri poterit idoneus.»*

IL Proindeque in electione Vicarii Capitularis sufficere si pars maior electorum praesentium in eiusdem electionem consentiat , quacumque ratione id fieret, sive in scriptis, sive oretenus : dum agatur de simplici deputatione quae in mandatum sonat et quae non exigit alium actum ad sui perfectionem.

III. Haud necessario sequendam esse formam tum Cap. 42, *Quia propter* de Eieci.,* tum Decreti Tridentini *Sess. 25, Cap. 6** ut nonnulli putant; quia in primo agitur de electione Praelatorum qui principalem et perpetuam obtinent iurisdictionem, dum Vicarii Capitulares sint temporales et momentanei ; et in secundo loquatur de electione Superiorum Regularium.

IV. Nihil in themate nostro obfuisse votorum computationi praesentiam Canonici iunioris, qui a iure prohibetur *vocem in Capitulo habere.*

# EX S. CONGREGATIONE RIT»

## ATTO **DI** CONSBCRAZIONE

# AL SACRO CUORE DI GESÙ

APPROVATO

CON DECRETO DALLA **S. C.** DE' RITI

*del 22 Aprile 1875.*

Oh Gesù mio Redentore **e** mio Dio! non ostante il grande amore che portate agli uomini, per redimere i quali avete sparso tutto il Vostro Sangue prezioso, siete pure da essi così poco riamato, anzi tanto offeso ed oltraggiato, segnatamente colle bestemmie e con le profanazioni dei giorni festivi ! Deh ! potessi io dare al Vostro Cuore Divino una qualche soddisfazione, potessi riparare tanta ingratitudine e sconosGenza, che riportate dalla maggior parte degli uomini stessi ! Vorrei poter dimostrarvi quanto io desidero riamare ed onorare questo adorabile e amorosissimo Cuore al cospetto di tutti gli uomini, ed accrescerne vieppiù la vostra gloria! Vorrei poterne ottenere la conversione dei peccatori, e scuotere l'indifferenza di tanti altri, i quali sebbene abbiano la sorte di appartenere alla vostra Chiesa, non hanno però a cuore gl' interessi della vostra gloria e della stessa Chiesa che **è** vostra Sposa ! Vorrei altresì poterne ottenere che quei Cattolici ancora, i quali non lasciano di dimostrarsi tali con molte opere esterne di carità, troppo tenaci delle loro opinioni ricusano di sottomettersi alle decisioni della Santa Sede, o nutrono sentimenti che dissentano dal suo magistero, si ravveggano persuadendosi che chi non ascolta in tutto la Chiesa, non ascolta Iddio che **è** con Lei. Ad ottenere pertanto questi santissimi fini ed inoltre impetrare il trionfo **e** la stabile pace di questa Immacolata Vostra Sposa, il benessere **e** la prosperità del Vostro Vicario qui in terra, e le sante di Lui intenzioni vedere adempiute, ed insieme perchè tutto il Clero vieppiù si santifichi e a Voi torni accettevole, e per tanti altri fini ancora che Voi, o mio Gesù, intendete conformi al Voslro Divin volere, e che in qualunque modo giovino alla conversione dei peccatori ed alla santificazione dei Giusti, aftinché tutti ne otteniamo un giorno l'eterna salvezza delle anime nostre, e finalmente perchè so, o mio Gesù, di far cosa grata al Vostro Cuore dolcissimo; prostrato ai Vostri Piedi alla presenza di Maria Santissima, e di tutta la Corte Celeste,

solennemente riconosco per ogni titolo di giustizia e di gratitudine di appartenere totalmente, ed unicamente a Voi, Redentore mio Gesù Cristo, fonte unico di ogni mio bene nello spirito e nel corpo: ed unendomi alla intenzione del Sommo Pontefice consacro me stesso e tutte le cose mie a questo Sacratissimo Cuore, cui solo intendo amare e servire con tutta P anima mia, con tutto il mio cuore, con tutte le mie forze facendo mia la Vostra volontà, e unendo ai Vostri tutti i miei desiderii.

A pubblico segno infine di questa mia consecrazione, solennemente dichiaro a Voi stesso, o mio Dio, di volere in avvenire ad onore del medesimo ' Sacro Cuore, osservare secondo le regole della Santa Chiesa, le feste di precetto, e procurarne l'osservanza nelle persone sulle quali io abbia influenza ed autorità.

Riunendo adunque tutti questi santi desiderii e propositi nel Vostro bel Cuore, quali la Vostra grazia mi ispira, confido di poter dare ad Esso un compenso delle tante ingiurie che riceve dagli ingrati figli degli uomini, e trovare per l'anima mia, e per le anime di tutti i miei prossimi la mia *r i* comune felicità in questa vita e nell'altra. E cosi sia.

Praesens exemplar concordat cum originali existente in Secretaria Sacrorum Rituum Congregationis. In quorum fidem etc Ex eadem Secretaria hac die 26 Aprilis 1875.

Pro R. P. D. Placido Ralli Secretario
Josephus Ciccolini Substituit.

# DECRETUM

Quamplures ex toto orbe ad Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam IX. Episcoporum postulationes ac pene innumerae Christifidelium petitiones in dies adveniunt, quibus enixe rogatur ut Ipse ad fovendam augendamque pietatem erga SACRATISSIMUM COR JESU CHRISTI SALVATORIS, universum mundum eidem Sacratissimo Cordi consecrare dignetur. .Iam vero Sanctitas Sua rei gravitatem coram Deo animo reputans, ut aliquo modo pientissimis hujusmodi votis satisfaciat adnexam Orationem approbans, illam quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, recitandam proponit iis omnibus qui Sacro Cordi-iesu se ipsos devovere voluerint. Ita sane omnes Christifideles hac unanimi consecrationis formula divino Jesu Cordi sese devoventes, Sacrosanctae Ecclesiae unitatem clarius asserent; ac in eodem Corde latissimum invenient, et ab ingruentibus animae periculis effugium; et in tribulationibus, quibus hodie divexatur Ecclesia Christi, patientiam; ac in omnibus angustiis firmissimam spem ac solatium.

Voluit itaque Sanctitas Sua ut per praesens Sacrorum Rituum Congregationis Decretum mens Sua omnibus Locorum Ordinariis pateat, ac ad illos praefata precationis formula transmittatur; ut, si ita in Domino iudicaverit, et ovium sibi commissarum bono expedire censuerint, eam edendam curenl; ac Fideles ipsos hortentur ut illam vel eonjunctim vel privatim recitent die 16 Junii vertentis anni, qua secundum Centenarium recurrit a revelatione facta ab ipso Redemptore Beatae Margaritae Mariae Alacoque devotionem erga Cor Suum propagandi. Omnibus vero Fidelibus qui enunciata die id effecerint, Sanctitas Sua plenariam Indulgentiam Animabus quoque Purgatorii applicabilem in forma Ecclesiae consueta concedit, dummodo vere poenitentes, confessi et Sacra Synaxi refecti Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint, ibique per aliquod temporis spatium devote oraverint juxta mentem ipsius Sanctitatis Suae. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Aprilis 1875.

CONSTANTINUS Episcopus Ostien. ei Velitern. Card. PATRIZI
S. R. C. Praefectus.

Loco Sigilli.

***Piae. Ratti S. R. C. Secretarius.***

# DECRETUM

Rmus D. NN. Episcopus N. et P. exposuit quod in sua Dioecesi plui e > inveniuntur sepulturae quae tribus ab ait iri cubitis non distant, ut leges ecclesiasticae statuunt. Quum vero aliae sepulturae construi nequeant, ac antiqu is removere locum praebere possit offensionibus, praefatus Orator a Sacra Rituum Congregatione humillime petiit, ut sepulturas iam existentes conservare liceat, sub conditione tamen quod in posterum in earumdem constructione leges ab ecclesiasticis sanctionibus praescriptas adamussim servabuntur.

Porro eadem S. Congregatio, audita relatione huiusmodi instantiae per infrascriptum secretarium facta rescribere rata est:

*Corpora defunctorum iam condita in sepulchris, quae non distant ab altari iuxta praescriptiones canonicas removeantur, si id commode fieri poterit. Posthac vero in iisdem neutiquam sepeliantur.* Atque ita rescripsit et servari mandavit.

Die 2 Aprilis i 87 5.

CONSTANTINUS EP. OSTIEN. ET VILIT. CARD. PATRIZI

S. R. C. PRAEFECTUS.

Loco ^ Sigilli,

*Placidus Rolli S. R. C. Secretarius,*

PRAGEN.

**CONFIRMATIONIS CULTUS**

AB IMMEMORABILI TEMPORE PRAESTITI

# SERVAE DEI AGNETI

PREMYSLAI OTTOKARI I. BOHEMORUM REGIS FILIAE

MONIALI ORDINIS GLARISSARUM

BEATAE NUNCUPATAE

§. 1.

## *Notitia historica.*

Inter Sacras Virgines quae Clarae Matris exempla secutae Clarissarum amplissimam familiam excellentium suarum virtutum splendore illustrarunt, recensenda merito est Agnes *Beata* nuncupata, honor decusque civium Pragensium, cuius causa *Confirmationis cultus* S. Rituum Congregationi disceptanda proposita fuit (1).

Regiis ipsa orta natalibus, nam filia fuit Premyslai Ottokari Bohemiae Regis, vel ab adolescentia coeleste tantum regnum adamavit. Regales, immo et imperatoris nuptias non semel oblatas declinavit, ac patre vita functo, cum de Clara Assisiensi audivisset, idem ac illa vitae genus amplecti statuit. Quapropter patrimonium a patre donatum in pios usus distribuit; ac primo quidem iam inceptum coenobium sodalium Franciscalium Pragae ingentibus sumptibus absolvit, deinde hospitales aedes pro pauperibus et aegrotis aedificavit ac opibus auxit; tandem monasterium sibi aliisque virginibus

(1) Decretum habent lectores fasciculo praecedenti.

paravit. Quo facto, cum nonnullis aliis nobilibus virginibus eo se recepit, monasticam sub regula S. Clarae vitae rationem professa.

Virtutum ipsius fama ad Summos Pontifices Gregorium IX, et Innocentium IV, atque ad matrem Claram pervenit. Clara amantissimas ad eam litera? dedit ac donaria misit. Sic etiam summi illi Pontifices eam laudarunt, apostolicasque literas miserunt. Gregorius vero eam Monasterio ipsi praefici iussit. Antistitae munus sanctissime Agnes obivit, sed paullo post *Abbatissae* titulum recusavit, ac appellari voluit *soror maior* monasterii. Divitias a rege fratre accipere renuit, ac nullum a sororibus suis ius aliquod aut dominium terrestrium bonorum retineri voluit; quippe quae paupertatis amantissima fuerit.

At non virtutibus tantum, sed et miraculis claruit Agnes; ideoque per totam Germaniam nomen eius insigne fuit, eiusque exemplum plures nobilissimae puellae imitatae sunt, quae vel ipsi sese in monastica vita instituendas dedere, vel in aliis Monasteriis virginitatem suam Deo dicaverunt. Obiit tandem meritis plena anno. 1282 in suo monasterio quod *Monasterium S. Agnetis* etiam nunc appellatur, quamvis sacrae Virgines ab eo iamdiu recesserint, aedesque ipsae ad profanos usus fuerint conversae. Ab obitu ad nostrum hoc aevum ecclesiastico cultu venerata semper fuit ; cuius cultus confirmationem Sacer ac Militaris Ordo Crucigerorum qui eam sibi in coelestem patronam elegit, atque conditricem sui Hospitalis reverefur, ab Apostolica Sede humiliter petere decrevit.

§. 2-

*Documenta quibus innititur cultus immemorabilis praestitus B. Agneti.*

Peractis omnibus, quae in processus compilatione peragenda erant a Iudice Deputato per Archiepiscopum Pragensem, a Promotore Fiscali, ab Actuario et Nuncio, testibusque ex officio examinatis, plurimisque documentis, de quorum authenticitate nullum dubium extabat, rite perpensis, Iudex

solemniter pronunciavit: « A tempore immemorabili, atque
» ante annum millesimum quingentesimum trigesimum quar-
» tum, quo centenarium Urbanianum initium habet, Servam
» Dei cultu publico ecclesiastico in hac praesertim Dioecesi
> (Pragen.) honöratam fuisse; atque hunc cultum numquam
» interruptum, neque essentialiter imminutum; quinimmo no-
» vissimis temporibus auctum, et ad nostram usque aetatem feli-
» citer esse deductum ; ideoque minime obstare quominus accen-
» sendus sit inter casus exceptos a Decretis sa. me. Urbani
» Papae VIII. » Atqui hanc sententiam recte fuisse pronunciatam facile ostenditur. Ac I. quidem Agnes ab obitu *ferme publice* venerata est, et solemnia dona ad eius sepulchrum deferri coepta. Sane Georgius Crugerius Societatis Iesu refert in vita quam scripsit Agnetis, Wenceslaum III. Bohemiae sextum Regem, uxoremque eius Iudith Habsburgicam, Agnetis agnatae intercessionem advocasse pro filiola Margarita de cuius sanitate actum iam erat; votique compotes factos, *gratos sospitalrici caelesti ex voto anathema fixisse.* Narrat etiam, Elisabeth Caroli IV Imperatoris matrem in vitae discrimen adductam, Agnetis ope implorata, con valuisse atque idcirco *ea testis agnatae munipcentiam regia gara prosecutum esse et continuavisse quoad vixit magnae Patronae cultu solemni donisque regiis venerationem.* Ergo paullo post obitum Agnetis, donaria publice ad eius sepulchrum delata sunt, solemnisque praestitus cultus.

Constat vero Crugerium concinnasse vitam praedictam ex vetustissimis manuscriptis Bohemicis Agneti ipsi coaevis.

*2.* Neque hoc solum; nam saeculo XIV Agnes *Sancta* appellata fuit a Ioanne Marignoli Italo Episcopo Bisinianensi, qui 1 Vagae apud Carolum IV degebat, eiusque erat ab anno 1355 commensalis. Iste chronicon exaravit, eodem Imperatore incitante, in quo haec habentur: « Anno Domini millesimo du-
» centesimo trigesimo secundo Fratres Minores receperunt
» domum Pragae. Et eodem anno Sancta Elisabeth^ canoniza-
» ta est. Et anno sequente Sancta Agnes filia Regis Premis-
» lai, spreto connubio regali et imperiali, cum decem sodali-
um bus intravit claustrum. »

Sequitur Chroiiicon *Anonymi* nuncupatum eiusdem saeculi XIV. Porro Anonymus scribit: *Eodem anno* (1348) *Elisabeth Regina transmisit Papae literas pro canonizatione Beatae Agnetis apud S. Franciscum.*

3. Quin imo eodem saeculo Festum eius solemniter celebrabatur die 2. Martii. Siquidem in Kalendario Cruci erorum cum rubra stella scripto anno 1356 et Iudici exhibito, sub die 2 Martii adnotatur *Festum Beatae Agnetis Fundatricis Ordinis Cruci g erorum cum rubra stella.*

4. Saeculo XV publico cultu Agnetem fuisse honoratam constat ex tabula, quam Peritus delegatus oepictam affirmat anno 1487. Haec enim imago Agnetem repraesentat aureola circumdatam.

5. Saeculo XVI Daniel Weleslawinus in suo Kalendario historico, quod Pragae editum fuit anno 1578, Agnetem, cuius gesta aliqua, et obitum refert, *Beatam* appellat.

Saeculo XVII eodem titulo decoratur etiam in Annalibus Ordinis Minorum anno 1662 Romae editis a Crugerio in suo opere *Sacrae Memoriae Regni Bohemiae;* Bollando in *Acta Sanctorum martii* edita anno 1668 Antuerpiae, etc.

Statuta Ordinis Crucigerorum a Clemente X anno 1672 approbata iubent Crucígeros ieiunare diebus festum diem *Beatae* Agnetis proxime praecedentibus.

Anno 1682 editum Pragae fuit a Bohuslao Balbino opus, cui titulus *Miscellanea historica Regyii Bohemiae sea Bohemia sancta.* Libro autem IV catalogum refert Sanctorum et Beatorum Bohemiae, quos vel apostolica Sedes Coelitum honoribus auxit vel, ut ipse scribit, eiusdem Sedis permissione, uti Sancti vel Beati coluntur, quos inier enumerat *Sanctam Agnetem ordinis S. Clarae Regis* Premislai *filiam.*

Monumentum cultus saeculi XVII extat in altari maximo templi Coenobio Crucigerorum Pragen, adnexi ; extant enim in eo altari *tabellae canonis in argenteis marginibus operis caelati*, quas Periti adiudicarunt postremis annis saeculi XVII. In his tabellis *Beata Agnes apparet in dimidia t a figura ut, monialis vestita dextera manu Crucifixum tenens cum corona in capite, quae est radiis circumdata.*

Saeculo XVIII Directorium Divini Officii Crucigerorum anni 1704, die sexta Martii enunciat *Festum Beatae Agnetis Fundatricis* , celebrandum ritu duplici 1. class. Sic etiam Directorium annorum 1705, 1706, 1725.

Agnetem *Beatam,* appellat Florianus Hammerschmied in suo libro, cui titulus « *Prodromus gloriae Pragenae* » edito anno 1723; idemque est auctor, Nosocomium Crucigerorum idcirco *Agnesianum* dictum , quia in ipso anno 1693 die 6 martii *Capella* sub nomine *B. Agnetis* ritu sanctae Romanae Ecclesiae benedicta fuit.

Anno 1725 Ignatius Gregorius Hettinger ex vetustis MM. SS. concinnavit librum *Memorabilium sacri ac militaris Ordinis Crucigerorum;* retulitque preces recitari solitas in honorem B. Agnetis.

In Kalendario adnexo operi Ioannis Bockovscky Crucigeri, cui titulus « *Moesta turtur* » Pragae an. 1782, inter coelites quorum memoria mense Martio proponitur celebranda, habetur die 4 *Agnes Virgo Ordinis S. Clarae nata Pragae.* In eodem opere habentur etiam preces in honorem *Beatae* Agnetis recitandae.

Monumenta cultus eiusdem saeculi XVIII sunt 1. tabula in altari maximo Monasterii Crucigerorum Pragen., quae a Perito affirmatur initio illius saeculi depicta. In ea videtur Agnes in capite coronam gestans cum aureola. 2. Altera Agnetis imago depicta in ambulacro Prioratus Crucigerorum. Agnes depicta visitur cum corona atque aureola. Hanc tabulam saeculo XVIII depictam peritus affirmât. 3. Statua lapidea supra ianuam antiqui Monasterii Clarissarum, quod iamdiu aa profanos usus conversum est. Illa Agnetem exhibet; in crepidine stat, in cuius medio clipeus applicitus est cum inscriptione *« S. Agnes »*

In Kalendario *Romano Catholico Festorum ei Sanctorum* adnexo operi « *Deus in Sanctis suis* » edito Gracii an. 1830, die 6 Martii enunciatur celebranda « *Beata Agnes filia Bohemi a e Regis Oltokari.* »

Inter *Officia propria Sa -.ri Militaris Ordinis Crucigerorum cum rubra stella* edit» Pragae an. 1853 habetur die

**2** Martii Oratio recitanda in *Festo Beatae Agnetis Virginis Fundatricis Hospitalis Pragensis.*

Operi cui titulus: « *Quinque rubra corolla* » an. 1862 adnexum est *Kalendarium Ecclesiasticum,* quod mense Martio die 7 enunciat Festum *Beatae Agnetis filiae Regis Oltokari Virginis et Monialis.*

Testes vero scientia spectatissimi, quique in documenta Vitam Agnetis respicientia sedulo inquisiverant, omnes testati sunt, cultum ab immemorabili tempore, immo ab *obitu* Agneti praestitum fuisse, idque adfirmarunt tum ex documentorum, quae afferebant, auctoritate, tum ex traditione.

Ille enim testatus est: *Agnetem statim post mortem voce populi sanctam fuisse vocatam, et veneratam;* hic: *devotionem et cultum huic Servae Dei exhibitum subito fuisse post mortem.* Alius: *Servam Dei Agnetem non interrupto cultu a Crucigeris et a populo fideli tanquam beatam et sanctam fuisse vel nominatam, vel memoria inter fideles tamquam Beatae insignitam,* ut ceteros silentio praetereamus.

Quid vero de cultu nostro hoc tempore? Profecto praestantissimum esse sequentia suadent.

*a)* Ante statuam lapideam, de qua supra, *pendet lampas quae a cultoribus S. Agnetis inde ab omni tempore conservatur.*

*b)* Agnes a Pragensibus civibus non aliter quam *S<nvta Agnes* aut *Beata* vulgo nominatur.

c) Monasterium iam ab Agnete aedificatum, etsi ad profanos usus iamdiu conversum fuerit, tamen a populo non aliter indicatur quam *Monasterium S. Agnetis.*

*d)* Fideles in suis necessitatibus ad eam confugere solent eiusque patrocinium precibus et litaniis irt libris piscatoriis impressis expostulare, cereisque in eius honorem incendendo.; deferre.

*e)* Sacer ac militaris Ordo Crucigerorum cum *rubra stella* eam sibi in coelestem patronam elegit, atque eius festum quotannis ritu celebrat solemni; fit populi ad hoc festum concursus; et eleemosynae copiosiores nauperibus distribuuntur a Crucicela*.

*f)* Crucigerorum ordo Officium proprium B Agnetis recitat ritu dup. 1. das. cum Octava, si extra tempus quadragesimale eius festum celebretur; et habetur hoc festum tamquam Ordinis principale.

*g)* In Martyrologio Universali, auctore Adalberto Muller, edito Ratisbonae anno 1860, die 6 Martii enunciatur: *Beata Agnes filia Regis Bohemiae Ottokari Virgo et Abbatis.sa Pragae in ordine S. Clarae defuncta 1282.* Cum itaque inquisitionis acta fuerint, valide confecta; cum per testes, documenta, ac monumenta probatum sit cultum ab immemorabili tempore ad nostros iisque dies fuisse Agneti praestitum . de iustitia sententiae latae a Iudice ab Emo Pragensi Episcopo delegato ambigi non posse videtur.

§. 3.

## *Animadversiones Promotoris Fidei*

### SUPER DUBIO

An sententia lata ab Ordinario super cultu ab immemorabili lempore praestito Servae Dei Agneti, sive super casu excepto a, Decretis sa. me. Urbani Papae VIII. de cultu Servae Dei non exhibendo, sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?

Praetermissis animadversionibus circa legitimam adornati processus formam, quas ipse fidei promotor levioris momenti esse affirmavit, eas tantummodo quae rei substantiam attingunt referendus. Observavit itaque

1. Documenta quae ad nos usque pervenerunt, adeo incertam tradere huius Servae Dei historiam , ut, saltem quoad plura, inter fabellas sit accensenda. Inprimis, prout de eius nativitatis anno, ita de tempore, quo mortua- est, sententiae in diversas partes abeunt. Nam cum omnes discrepent circa diem, alii defunctum tradunt inno 1283, alii anno 1282,81, 76, 65. Si parentes inquiramus, aliqui filiam dicunt Premislai Ottokari I. Bohemiae Regis III. et Constantiae Sororis Hungariae Regis Andreae, qui pater fuit S. Elisabeth, alii vero patrem habuisse Ottok i um U. filium Regis Wenceslai I. et

Otfokari T. nepotem. Eiusmodi vero discidium adeo grave est, ut subiectum ipsum, de quo agitur, inceri um plane reddat.

2. Circa cultum Agneti ab initio assertum observandum est, eam defunctam in Coenobio Clarissarum Civitatis Pragensis, fuisse sepultam in aedicula divinae Virginis, *non a Tobia Episcopo, nec a proximis illius dignitatis Sacerdotibus delatum munus recitantibus, sed a quodam_____nudipede Monacho Bonagratia dicto.* Quae profecto produnt, Antistitem et Clerum Pragensem noluisse honore indebito piae Reginae funus ac sepulturam cohonestare. Quod si eiusmodi factum recentioris aevi scriptor Ignatius Greg. Norb. Hettinger explicare tentavit, dicens, eos honorem detrectasse quod *se ad hoc munus minus dignos aestimabant,* id prorsus gratuito affirmavit.

3. In manifestum errorem labi videtur testis secundus de officio, cultus indicium inde desumens , quod *Regina Bohemiae Elisabeth... canonizationem Agnetis a Sede Apostolica flagitavit;* quandoquidem non solum nihil de cultu assertum in hisce actis reperitur, sed plura inde suppe utantur, ex quibus arguitur, nullam ad illam usque aetatem Agneti fuisse venerationem exhibitam. Nam 1. Acta Bollandiana, non Episcopi et Cleri Pragensis, sed nonnullorum hominum e laicali coetu epistolam postulatoriam tantummodo exhibent, in qua de cetero nulla fit mentio de cultu, aut *Beatae* titulo Servae Dei tributo. 2. Talia subdunt, ex quibus evincitur ipsam Dei famulam datam oblivioni fuisse; dicunt enim : *quae quidem lucerna pro Dominorum varietate, qui in regno Bohemiae successerunt, sic occultata fuit sub modio, quod Virginis vita et sanctitas ad Apostolicae Sedis, et vestram notitiam non pervenerit.*

4. Carolus IV Imperator Elisabeth praefatae filius *cum Romano Pontifice de Virginis Canonizatione tractavit;* et tamen quid actum fuerit penitus latet. Coniicere autem merito datur, Romanum Pontificem dignam Dei servam non existimasse, quae canonizationis decreto *a pulvere erueretur.* Anno 1436 processus canonizationis iterum quidem inceptus est, sed ultimo irritus factus est anno 1450 nronter impossibilitate! n inveniendi reliquia* *Beatae.*

5. Esto tamen aliqua cultus indicia olim in sepulchro Agnetis extitisse, aliqua scilicet donaria ibi apposita; certum est tamen, temporis lapsu et *sepulchrum adductum in oblivione fuisse,* et eius cultum in *plurimorum fidelium oblivionem devenisse,* ut ultro fatentur testes a Postulatore inducti.

6. Haec vero ita se habuere per annos ferme 350; nam cultus refloruisse perhibetur cum *sub regimine Em. D. Cardinalis de Harrach quaesitum et repertum est Servae Dei corpus;* id autem contigisse tradunt anno 1643 Urbaniano saeculo iam praeterlapso.

7. Nemo tamen arbitretur, sanctimoniales tum coenobium incolentes, ex intentione Servae Dei corpus quaesrvisse; etenim humum eflbdere coeperunt, *quod thesaurum pro summa monasterii necessitate se ine enturas sperarent, cum audivissent eo loci flammas erupisse, quae solent esse signa latentium thesaurorum.* At nihil aliud invenerunt praeter humani corporis ossa. Hinc paulisper dubitari coeptum est num forte reliquiae essent Agnetis; praesertim quod rumor accesserit alicuius inde manantis fragrantiam At Pragensis Antistes Cardinalis De Harrach illa ossa, utpote omnino incerta, et extra altaris locum absque ullo indicio cultus inventa, seorsim in aliqua cista in adiecta sacristia deponi iussit. Aliud utique corpus ibi postmodum repertum est albo marmore inclusum, illudque deprehensum *ipso sub altari per modum sepulchri eminere.* Sed P. Ioannes Tannerus Scriptor Bollandianus suspicatur hoc corpus esse alicuius Imperatricis aut, Reginae in eo templo sepultae.

Ex hac igitur inventione anno 1644 peracta nedum Servae Dei cultus nihil profecit, sed in ultimum potius discrimen adductus fuit, ob grave inde exortum dubium circa personam, cui aliquando idem cultus eo loci forsitan delatus fuerit.

8. Quid autem in posterum ad nostram usque aetatem ? *Ex devastatione facta tum temporibus Hussiticis, tum tempore Imperatoris Iosephi IL, monasterium partim dirutum partim transmuta tum est.* Ica testes. Unde *nulla prorsus vel sepulturae B. Agnetis, vel alia sacri cultus pristini vestigia ùi'-eniuntur.* Ita acta iudicialis visitationis. Utique supra qua-

dam porta eversi monasterii conspicitur lapidea statua an. 1703 confecta cum addita inscriptione *S. Agnes;* ac sub ista statua patet lampas, in qua in honorem B. 'Agnetis quandoque per annum lumen accendi solet. Sed quid inde? Hoc recens monumentum, quatuor iam praeterlapsis saeculis, valet ne testari *de corporis expositione ad publicam venerationem?*

9. Sed nonne testes referunt: *Secundum famam et auditionem in Ecclesia Pragensium Crucigerorum sacellum in honorem S. Agnetis consecratum esse fertur 'f* At aliis de hoc sacello non constat ; multoque minus innotescit quando extructum fuerit, quamvis Ecclesia ipsa aedificata dicatur *secundo dimidio saeculi XII* Certum tamen, ut testatur ipsius Pragensis Conventus praeses, *in praesenti talem Capellam in Ecclesia nostra non adesse.* Adest utique privatum Conventus Oratorium *cum imaginibus B. Agnetis.* At hic de cultu publico, non privato res est, ac de imaginibus in Ecclesiis dumtaxat expositis ad publicam fidelium venerationem.

10. Quod si *beatae* ac *sanctae* elogia a Scriptoribus Agnen tributa sunt. hi et pauci sunt numero, et minoris auctoritatis.

§. 4.

*Re i>i>nsiones ad praedictas animadversiones.*

Ad 1"\ Quid nocet sanctitati alicuius si dubius sit annus nativitatis aut mortis eius, dummodo historia certissima sit? Num primo id accidit? Quot in martyrologio Sancti celebrantur quorum nativitatis et mortis latet nos dies? Quis unquam nobis diem nativitatis aut S. Iosephi Ecclesiae universalis patroni inclyti,aut apostolorum, ut potiores inter sanctos recenseamus, edicere valebit'? Quis tot Martyrum, Confessorum, Virginum? Ideo ne isti inter sanctos non erant enumerandi, aut nunc sunt e Beatorum albo expungendi? De cetero, si annus est incertus, certissimum est saeculum, cum omnes scriptores conveniant Agnetem natam, et mortuam esse saeculo XIII. Cum autem ex authenticis documentis sciamus, eius cultum iam a saeculo XIV incepisse, futiliter quaerimus annum nativitatis ei mortis eius. Quocumque enim die nata vel mortua

sit, certum est eam mortuam esse diu antequam centi marius cursus TJrbanianus incepit (1).

Sed nec difficultatem facessit varietas sententiarum circa parentes Agnetis. Nam Scriptores omnes eam affirmant filiam Regis Premislai Ottokari. Qui etiam matrem eius nominant, et Reges Bohemos numero ordinativo recensent, illam Constantiam appellant, et Premislaum Ottokarum Primum dicunt. Una est inscriptio a quodam pictore imagini Agnetis appesita quae refert: *B. Agnes Ottokari II. Boemorum Regis III. filia.* Sed numquid ignotus pictor auctoritatem tot scriptorum labe fact ab it?

Ad 2"\. Clarissimus fidei vindex totam de morte Agnetis ejusque funere relationem vel non legit, vel studio praetermisit. Codex enim ille Pragensis a B dlando adductus postquam n. 15. obitum Agnetis descripserit, haec habet: « Ad » cuius visendam corpus neque rigidum neque decolor omnis » aetatis et generis conventus agminatim multis diebus fie- » bant, ter beatosque se homines ducebant, qui aut^ annulis, » aut torquibus, aut baltheis suis coelo digna membra con- » tingere possent. Inclusa tandem sunt ligneo sarcophago, » quod solidis laminis ferreis clavisque revinctum ne mern- » bratim dilaceratave distraherentur, defensabat.

» Domina interior Scholastica Sternbergae amatrix Agnetis » et amata ab Agnete, adveniens magnopere oravit. Ponti0- » cium diploma etiam interponens, ne amicissimae Virginis » privaretur extremo aspectu. Deliberantibus eius loci virgi- » nibus an petitionibus satisfacerent, non deliberavit divina » 1 onitas, quae compages sarcophagi ferratas ita dissolvit, ut » Scholastica libere desideratum thesaurum oculis venerari » possit. Sepulta est in aedicula divinae Virginis, non a Tobia » Episcopo, nec a proximis illius dignitatis Sacerdotibus de- *r* latum munus recusantibus, sed a quodam, ut praemonuerat, » nudipede Monacho Bonagratia dicto. »

Ex hac porro relatione accipimus, funus Agnetis illustre ne honoratum maxime fuisse, eo vel magis quod Deus ipse

**(1) Cursus iste incipit anno 1534; definit anno 1634.**

ad illud illustrandum prodigio accesserit. Quid vero si Episcopus ac Sacerdotes dignitate dari corpus Agnetis sepelire recusarunt ?

* Id enim contigit non quod Agnetem Sanctam non habuerint, non quod se *ad hoc munus minus dignos existimarint': sed fortasse quod feminam a Praelatis efferri indecorum putaverintj* ut habet alter Codex manuscripti^ a Bollando relatus. Sed esto quod Episcopus et Clerus maximo illo honore Agnetis funus cohonestare noluerint. Quid inde? Num haec illorum austeritas sanctitatem qua Agnes refulgebat obscurare poterit? Num aliquid contra cultus probationem ponit? Minime; nam hoc non obfuit quominus deinceps Agnetis intercessi invocaretur, miracula ad eius sepulchrum patrarentur, ab Elisabetha summopere veneraretur, a scriptoribus illius aevi *sancta* ac *beata* appellaretur.

Advertatur insuper Codicem illum Pragensem, post enarratam austeritatem Episcopi ac Sacerdotum, referre frequentem deinde factum civium, etiam ex nobilioribus, concursum ad sepulchrum Agnetis, et vota quibus se *Christo sub nomine Agnetis ligarunt;* quae sane sepulchrum Agnetis gloriosum probant, et sunt cultus argumenta (1).

Ad 3[m]. His praetermissis quae primo loco fidei vindex adducit, quia ad rem non faciunt, nullum eo tempore viguisse in Agnetem cultum ex eo praesertim deducit, quod in illa precatoria epistola haec habeantur: *Quae quidem lucerna* (Agnes) *pro dominorum varietate* etc. Quid vero ex hoc contra cultum ? Quaeritur ab inclyto Censore: utrum vita et sanctitas, immo et cultus eorum omnium, quorum cultus Sanctae Sedi approbandus et confirmandus proponitur, Pontifici ante illam propositionem innotuerit? Negative certe. Ergo ne ex hoc deduci poterit contra cultum, quem alia argumenta demonstrant Ì Minime. Quare ergo deducetur in hac causa?

**(1) Addidissem: et demonstrant, Episcopum et Sacerdotes renuisse funus Agnetis cohonestare ex causis omnino famae illius sanctitatis extrinsecis. Quandoquidem Episcopi et Cleri iudicium populum valde compescuisset ab inserendis Agnetis corpori honoribus, si illum récusassent honorem quçâ veneratione dignam non putarent. Auctoritatis enim Ecclesiasticas iudicium, seu opinio, maximum, tum praesertim temporis, pondos habuisset.**

Sed addendum praeterea, verba illa epistolae non aliud significare quam quod varietas successorum in Regno Bohemiae obstiterit quominus preces Summo Pontifici offerri potuerint ad impetrandam solemnem Agnetis canonizationem; quam petitionem non excludere cultum iam vigentem nemo negabit, cum aliud sit cultus, etsi publicus, nullo S. Sedis decreto intercedente, praestitus, aliud vero cultus qui per solemnem canonizationem praecipitur.

Et sane, Agnetis sanctitatis notitiam ad S. Sedem non pervenisse, ex eo penderet, iuxta verba illa, quod plures Reges in regno Bohemiae successerint. Qui vero nexus inter varietatem illam successorum, et notitiam Sanctitatis Agnetis ***ì*** Optime haec notitia ad S. Sedem pervenire poterat, etsi tot successissent Reges in Bohemia quot anni essent elapsi ab Agnetis obitu. Et revera Gregorius IX Agnetis Sanctitatem noverat, qui ad eam amantissimam scripsit epistolam, sicut eam novit S. Clara.

At vero varietas et frequentia eorum successorum obesse potuit, et reapse obfuit, quominus Bohemiae Rex, Clerus, populusque solemnem peterent Agnetis canonizationem. Quae sententia ex sequentibus confirmatur eiusdem epistolae verbis: « cui perfectioni vitae laudabilis (Agnetis) tantam Dominus » contulit gratiam et virtutem, quod et in vita et in morte » et post mortem tanta miraculorum claritate refulsit, quod » evidenter patuerunt et patent quotidie suae indicia sancti- » tatis. » Verba haec an significent Sanctitatem Agnetis latuisse, quisque secum animo reputet.

Quid quod eadem epistola aperte innuit Agnetem a populo Pragensi veluti caelestem patronam haberi? Haec enim legimus: «Verum quia divinae largitatis immensitas muniflçentiae suae mensuram non ponit, nec collata semel liberalitas fastidium ei praestat, *illis quos eidem regno patres contulit et piatronos* (intellige sanctos) *dedit adhuc et virginem innocentia agnam, et nominis appellatione Agnetem,* quae felicis memoriae Domini Premislai sive Ottokari Bohemiae quondam Regis filia etc. En quomodo sub modio, iuxta epistolam hanc, latebat lucerna illa! Et tamen clariss. hdei

viiiaex «usus est asserere *preti n s um hoc documentum susceptae causae tantopere adversari.*

Falsum insuper est, post illam precatoriam epistolam, rite confectam fuisse iudicialem inquisitionem ad canonizationem Agnetis obtinendam, sed tantummodo ex Bullandianis constat, Elisabetha mandante, gesta ac miracula fuisse descripta. En Bollandianorum verba: « Ut iam dicta supplicatio felicem > exitum 'sortiretur, videntur, mandante Elisabetha Regina, > undequaque conquisita illustriora acta ac miracula, atque » ex iis duplex vita B. Agnetis confecta. » Sed pone processum fuisse inchoatum; quid inde? Deperditus est. Num ex hoc probationi cultus, quae aliis documentis firmatur, detrimentum obvenire potest?

Ad 4[m]. At enim Carolus IV" Imperator cum R. Pontifice de Agnetis canonizatione tractavit. Atqui iure id negari posset, et e contra adfirmari Carolum IV. filio suo Venceslao commisisse ut de ea ageret; et id auctoritate Pisani freti (apud Bollandum) qui supremum diem obiit anno 1401, et qui scripsit, Imperato rem Carolum IV (qui mortuus est anno 1378) Bohemiae Regem bis a mortis faucibus liberatum Agnete advocata, filio suo Regi Venceslao commisisse, ut *totis viribus pro eius laboraret canonizatione; qui aliis intentus et praepeditus, hoc suum velle non adimplevit.* Sed esto: et Carolus et Venceslaus pro Agnetis canonizatione egerint. Quid ex hoc contra cultum ? Nonne Censor optime novit quanta ad canonizationem obtinendam necessaria sint, etsi iam de publico cultu constet, et apostolicum decretum de eo latum fuerit? Qua de causa neque mirari, neque difficultatem derivare poterat contra cultus probationem ex canonizatione nondum decreta cum plurimae et nunc sint Beatorum causae, de quorum cultu constat, et tamen Canonizationis decretum nondum est latum. Quod si summus Pontifex etiamsi tantis compulsus precibus nihil agendum tamen duxerit, in causa fuit quod *defuit Postulator qui ageret, qui inquisitiones habendas curaret.*

De cetero circa hanc historicam difficultatem audiendus est omnino Antonius Friud in sua Historia Ecclesiastica Bohemiae,

cui si censor fidem adhibet dum asserit processum inceptum anno 1436 irritum factum esse anno 1450 quod Agnetis reliquiae inveniri non potuerunt, adhibere fidem debet etiam dum haec alia scribit: « Admirabantur devotam principem ab » ipsa S. Clara *medietatem animae nuncupatam adhuc vi-* » *ventem sicuti s metam.* Eo magis id accidit post eius mor- » tem, ita ut brevi tempore et *Ecclesia et Monasterium a* » *populo Sanctae Agnetis nomen acceperit.* Hoc et commu- » nis fiducia in suffragia Beatae, commovit anno 1328 Re- » ginam Elisabeth, ut consentiente Episcopo Ioanne, peteret » canonizationem eius apud Papam Ioannem XXI. Etiam Ca- » rolus IV prosequebatur hoc inceptum matris, magno fer- » vore recominendans id, cum adimpletio tardaret, moriens » iam filio suo. Sed Imperator Venceslaus IV oblitus est per- » brevi desiderii paterni; denique tumultus Hussitici totam » rem reposuerunt. *Attamen accepit universus Ordo Cruci-* » *gerorum papalem permissionem celebrandi Festum Bea-* » *tae Agnetis omni anno die secunda Martii sub ritu du-* » *plici primae classis.* »

Quid ad haec Censor eximius?

Ad 5'''. Esto, ob turbas Hussiticas praevalentes , cultum Agnetis in plurimorum oblivionem devenisse. Non tamen extinctus est, Et quomodo, a Vindice quaeritur, per illud ruinarum et malorum aevum cultus in Agnetem splendescere poterat eo loci, cum et cultus aliorum Sanctorum imminutus sit? Eo, inquam, *tempore et loco quo plurima pietatis monumenta, ecclesiae, monasteria, imagines, statuae, reliquiae Sanctorum devastabantur t* Et tamen extinctus Agnetis cultus non est, illo ipso teste id affirmante, qui dixerat fuisse imminutum. *Nihilominus autem cessante procella turbarum Hussiticarum, nova recuperasse incrementa, et testantibus de hac cultus causa scriptoribus ct monumentis historicis non solummodo fauste fuisse conservatum, sed ad nostra usque tempora tamquam procer um nostrorum pia haer editas fidelibus Bohemiae esse traditum.*

Quin imo eodem illo aevo imago Agnetis cum aureola depicta fuit.

Qua de causa cultus Agnetis imminutus utique fuit ob vim, armorum strepitum, ruinasque, non vero ab fidelium animis eius ;uemoria et devotio deleta. Causae autem violentae cultus imminutioni obesse non possunt, atque de cetero nondum decurrebat ille centenarius annorum numerus qui ad immemorabile statuendum in re nostra satis est.

Ad 6™. Sed oblivionem hanc sive cultus interruptionem usque ad annum 1643 perdurasse Censor affirmat, quo scilicet anno reliquiae Agnetis a Cardinali de Harrach quaesitae sunt. Oblitus est scilicet Censor depictam illam tabulam sae culi XV quae in Oratorio Ordini* Crucigerorum asservabatur et adhuc asservatur. Oblitus est. Festum quod de Beata Agnete celebrabatur iam a saeculo XIV. Oblitus est, in Kalendario historico edito Pragae anno 1578 Danielem Weleslawinum Agnetem *Beatam* appellasse cum scripsit: *Dicto anno 1281 mortua est Beata Agnes filia Premislai Ottokari I.* Oblitus pariter est quae retulit testis U. cum ait, in Martyrologio Franciscano anno 1638 Parisiis edito extare Biographiam Agnetis *Beatae* nuncupatae. Haec vero quidquam aliud signi ficant quam quod Agnetis cultus siluerit.

Ne et illud observetur, ab anno scilicet 1420, cum Hus sitica saeviit tempestas, ad annum 1643, quo requisitae sunt Agnetis reliquiae, non anni 350, ut vult Censor eximius, sed anni 223 numerari possunt.

Ad 7m. Advertendum est, duas fuisse peractas requisitiones; alteram iussu Cardinalis de Harrach, alteram iussu Fer' dinandi III, cuius auctoritate hac in re fulcitur cl. Censor. In prima illa inquisitione inventum est corpus sanctimonia • lis cuiusdam, prouti crux et velum quo sanctimoniales ute bantur, ostendit, ac mire olens. Ioannes Tanncrus scripsit ad Bollandum sese aliquod ex ossibus illius corporis vidisse, fragrantiam sensisse, ac se putare ossa illa Beatae esse Agnetis. Idem etiam testatus est D. Tavornicus, qui tunc erat Cancellarius Archiepiscopalis. At revera, cum argumenta certissima non adessent, et cum ex antecedenti vastatione Monasterii et sepuk-hrorum dubium merito exoriri posset, Cardinalis iussit ossa «lia in cista reponi,'et in *Sacristia, ut ultcriur resolutio accederet, asservari.*

De altera inquisitione iussu Ferdinanda III peracta, de qua Censor dicit: *Aliud corpus ibi postmodum repertum,* non est cur loquamur, cum ad rem nostram non faciat. Quomodo vero asserit Censor, cultum Agnetis ex illa inventione in ultimum fuisse discrimen adductum, cum e contra scribat Bol landus: *Interim excitata fuit maior populi Pragensis erga B. Agnetem devotio, quam etiam nonnulla miracula confirmarunt?* Hoc ne discrimen dicetur^ Advertendum praeterea, Bollandum scribere excitatam fuisse non devotionem sed *maiorem devotionem.* Ergo devotio populi in Agnetem iam extabat. Nec solum extabat, sed locus sepulchri eius uti notus habebatur, secus ac Censor asseruit; nam refert Bollandus alterum ex iis miraculis *accidisse anno 1642, et ante dictam inventionem uno solo anno;* atque illud impetrasse sanctimonialem quamdam eius Monasterii, quae *petiit ad locum sepulchri B. Agnetis deferri,* et reapse, *illuc delata est.*

Falsum proinde omnino est quod Censor affirmavit, *Servae Dei cultum in ultimum discrimen adductum esse ob grave inde exortum dubium circa personam, cui aliquando idem cultus eo loci forsitan delatus fuerat.*

Ad 8.^n. Quid autem in posterum ad nostram usque aetatem? clamat Censor. Ac fere nullius momenti sint argumenta cultus quae relata sunt, queritur nullum in illa Sede nunc extare cultus vestigium nisi lapideam statuam supra ianuam eversi Monasterii anno 1703 confectam cum addita inscriptione *S. Agnes.* Id dare Iubet. Num parum hoc est? Monasterium illud tum Hussiticis temporibus devastatum, tum tempore Iosephi II. partim dirutum, partim transmutatum, atque in profanos usus conversum, statua *S. Agnetis* supra ianuam ab anno 1703 decoratum, et quamquam aliud omnino sit quam Monasterium, tamen Monasterium S. Agnetis nuncupatum, nonne indicium evidentissimum est cultus iam pridem in eo loco Agneti praestiti *ì* Nescio an validius argumentum afferri possit cultus antecedentis.

De cetero Benedictus XIV *corporis expositionem* alterum esse ex argumentis cultus docet, non autem unicum. Scribit enim £b. IL Cap. 23. N. 1. «Deficientibus testibus (ad pro-

> bandum cultum ex tempore immemorabili), locus est pro-
> bationi per authentica documenta... Nomine vero aufhen-
> ticorum documentorum in praesenti materia, primo veniunt
» historiae conscriptae a viris fide dignjs, qui eas composue-
» rint centum annis ante Constitutionem Urbanam, vel qui
» saeculo eodem decurrente sua ediderint monumenta, idque
» non solum si de cultu Servi Dei testimonium dicant, ve-
» rum etiam si eius virtutes et miracula tantummodo enar-
» rent, ipsum appellantes *Beati vel Sancti i it uh.*» Quot vero scriptores sunt, qui Agnetem *Beatam* vel *Sanctam* appellant?

Ad 9[m]. Etsi quae de inexistentia sacelli obiicit cl. fidei vindex vera essent, non moveremur; nam satis esse cuilibet ad probationem cultus Agneti praestiti de[1] erent et quod Ordo Crucigerorum iam a saeculo XIV eius festum ritu solemni celebrat, et quod effigiem eius saeculo XV pictam in eius sacello veneratur, et quod ieiunium in diebus Agnetis Festum proxime praecedentibus servet, et quod, ut alia omittamus, iuxta Antonium Frind, habita fuerit *papalis permissio cele • brandi* festum B. Agnetis *sub ritu dupHci primae classis.* At his praetermissis, de sacrae aediculae existentia dubitari nequit. Siquidem Prior Ordinis Crucigerorum Georgius Ignatius Pospuchal qui ad finem saeculi XVII erexit novum Hospitale sub patrocinio B. Agnetis ad ripam Moldavae, sepultus fuit, uti legitur in inscriptione, sub eius imagine delineata, *in Cappella Beatae Agnetis Ecclesiae Ordinis sui.* Quod et confirmant Acta visitationis Ecclesiae Crucigerorum, in quibus legimus: « In Ecclesia ipsa á magno Magistro Crucigerorum
» Georgio Pospichal secundo dimidio saeculi XVII extructa
» patet *Capella* hodie B. M. Virginis, prius S. Valentini,
» olim autem, prout traditio fert, B. Agnetis nuncupata. In
» qua Capella tumulatus est praefatus Ecclesiae conditor,
» cuius effigies optime conservata in ipso Conventu patet,
» et cuius effigici subscriptio sequentia verba continet : *Vicje-*
» *sin.a sexta Augusti 1699 in Capella B. Agnetis Eccles.*
» *et Ordinis sui, quam ipse in honorem Sancti Frar.^aci*
» *sumptuose erexerat, twuulatus est.* »

Unde vero didicit cl. Censor oratorium Conventu* Cruci-

gerorum fuisse *privatum,* quando testes dicunt: *in Aedibus Conventus nostri existere Capellani seu oratorium cum imaginibus B. Agnetis?* Et quando in relatione peritorum legimus: *in Altari maiore conventualis Sacelli Monasterii Crucigerorum reperitur imago ex initio saeculi praecedentis Ì* Privatus ne eiusmodi cultus dici potest ? privatae venerationi expositae huiusmodi imagines? privatus cultus qui a publico illustrissimoque Ordine per recitationem officii, per festi solemnem celebrationem, per ieiunium in pervigilio Festi solemniter, et summo Pontifice approbante praeceptum, praestatur? Demum cultus Agnetis publicus fortasse vel ex solo Oratorio, vel ex solis imaginibus patet, et probatus est?

Ad 10''' Responsio ex dictis.

Quare etc.

# ROMANA.

Academia Liturgica in Urbe erecta cupiens occurrere abusui, qui latius serpere incepit, adhibendi in sacrosancto Missae sacrificio Calices, quorum Cuppae ex metallo sunt confectae, a S. R. C. insequent. Dubiorum solutionem humillime exquisivit, nimirum.

*Dubium* I. An fabricari possint Calices pro sancto sacrificio Missae quorum Cuppae sint ex metallo, aurichaleo , vel cupro confectae?

*Dubium* IL An huiusmodi Cuppae etsi inauratae licite consecrari queant ab Episcopo?

*Dubium* III. An tolerari possit quod Ecclesiae, quae praedictos Calices iam habent, eorumdem usum valeant retinere ?

His tribus Dubiis aliud fuit additum ad definiendum quid esset sentiendum de usu Tabellarum ex metallo, quae nonnullis in Dioecesibus adhibentur, quando fidelibus praebetur S. Synaxis nimirum.

*Dubium* IV. An in ministranda fidelibus sacra Communione liceat loco Tobalearum linearum uti Tabellis ex metallo , vel eiusmodi usus tolerari possit in iis Dioecesibus, in quibus fuit introductus ?

Sacra eadem Congregatio voluit ut super propositis dubiis antea sententiam suam ex officio aperirent alter ex suis Theologis Consultoribus et alter ex Apostolicarum Caeremoniarum Magistris. Quum vero votis exaratis typisque ensis subscriptus Cardinalis Praefectus, eiusdem Causae Ponens constitutus, su-

praedicta quatuor Dubia retulerit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum infrascripta die habilis, Emi et Rmi Patres sacris tuendis Ritibus praepositi post ccuratum omnium examen rescribendum censuerunt.

Ad I. *Serventur Rubricae.*

Ad IL *Provisum in primo*

Ad III. *Abusum esse interdicendu.it: congruo tamen assignato tempore ut de aliis Calicibus provideantur.*

Ad IV. *Non esse interdicendum: nihilominus significetur Rmo D. Episcopo Alexandriae non esse improbandum usum Tobalearuyn linear um.* Atque ita decreverunt, ac servari mandarunt. Die 20 Martii 1875.

# EX S. CONGREGATIONE DE PROPAGANDA FIDE

## INDULTUM PRO IUBILAEO

*Favore fidelium in missionum locis commorantium.*

Ex audientia SSmi habita die 24 Ianuarii 1875

Cum in pluribus Haereticorum et Infidelium locis nullae sint Ecclesiae, in aliis vero non tot sint, quot ex nuper editis Sanctissimi Domini Nostri PII Divina Providentia PP. IX. Apostolicis Litteris VIII. Kal. Ian. anni prox. praeteriti, quarum initium *Gravibus Ecclesiae,* pro Iubilaei indictione adiri a Fidelibus extra Urbem morantibus necesse est, ut iubilaeum ipsum adipisci valeant, cumque evenire etiam possit, ut varias ob causas praescriptae Ecclesiarum visitationes iterari nequeant ; plures iis in locis fideles tam utili ac s dutari iubilaei thesauro carere cogerentur, nisi Apostolica auctoritate iis subveniatur. Haec animo suo reputans idem Sanctissimus D. N., referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide Secretario, pro sua benignitate contulit arbitrio Patriarcharum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Vicariorum Apostolicorum ac Superiorum Missionum quorumcumque, facultatem, quam etiam simplicibus Missionariis subdelegare ipsi poterunt, prorogandi, ubi necessitas id postulet, etiam per duos annos tempus ad Iubilaeum lucrandum, nec non dispensandi cum praedictis Fidelibus quoad numerum Ecclesiarum visitandarum et visitationum in ipsis peragendarum ; imo etiam , quando necesse id fuerit, commutandi in totum huiusmodi opera iniuncta in aliquod ieiunium , aut in recitationem aliquarum piarum precum, firmo remanente pro pueris, qui nondum

ad **S.** Communionem admissi sunt, onere Sacramentalis Confessionis, et pro adultis etiam Communionis; ac praeterea quoad omnes, orandi pro Catholicae Ecclesiae, et Apostolicae Sedis prosperitate et exaltatione, pro extirpatione haeredum, omniumque errantium conversione, pro totius populi Christiani pace et unitate, ac iuxta mentem Sanctitatis Suae.

Datum Romae ex Aedibus eiusdem S. Congregationis de Propaganda Fide die et anno praedictis.

IOANNES SIMEONI *Secretarius.*

*N.B.* S. Poenitentiaria occasione eiusdem Iubilaei, sub die 25 Ianuarii 1875, ex Apostolica auctoritate haec inter alia declaravit :

1. Sanctitas Sua indulget, ut eodem Iubilaeo durante, Fideles rite dispositi absolvi possint etiam a crimine haeresis; firma tamen obligatione abiurandi errores seu haeresim, reparandi scandala, etc. prout de iure.

2. Declarat, vi praesentis Iubilaei una tantum vice absolvi posso a censuris et casibus reservatis, et similiter semel tantum acquiri posse ipsius Iubilaei Indulgentiam; manere tamen in siio vigore Indulgentias a Sancta Sede concessas et expresse non suspensas aut revocatas.

3. Declarat insuper unica Confessione et Communione non posse satisfieri praecepto Paschali, et simul acquiri Iubilaeum.

4. Non posse autem absolvi Confessarios, qui complicem absolvere ausi fuerint.

# LITTERAE APOSTOLICAE

Haud dubitamus perutile gratumque futurum barum Ephemeridem lectoribus si modo illis quatuor exhibeamus Litteras SSmi D. N. Pii divina Providentia Papae IX, quae tamen variis abhinc-annis in lucem prodierunt. Temporibus hisce nostris accommodatae visae sunt. maximaeque utilitatis fore tum philosophas catholicis, tum theologis. Ideoque operae pretium esse censuimus , earum, quo magis per nos fieri possit, vulgare notitiam. Per illas enim cunctis innotescit tutus securusque trames, quem S. Sedes Romana, sedula veritatis vindex atque magistra, nobis ostendere dignata est, circa philosophiae studium, ne falsae vel erroneae philosophorum nonnullorum opiniones incautos seducant; qui autumare haud veriti sunt humanam rationem omnia a seipsa intelligere posse, quae etiam ad fidem pertinent; ideoque a philosophia Revelationem Divinam omnino esse arcendam.

Litterae porro Apostolicae sunt sequentis tenoris.

## PIUS PP. IX.

**VENERABILI FRATRI GREGORIO**

**ARCHIEPISCOPO MONACENSI ET FRISINGENSIS**

**VENERABILIS PRATER**

**SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM**

Gravissimas inter acerbitates, quibus undique premimur in hac tanta temporum perturbatione et iniquitate vehementer dolemus, cum noscamus, in variis Germaniae regionibus reperiri nonnullos catholicos etiam viros, qui Sacram Theologiam ac Philosophiam tradentes ninime dubitant quamdam inaudi • tam adhu:i in Ecclesia docendi scribendique libertatem inducere, nova-que, et omnino improbandas opiniones palam publiceque profiteri et in vulgus disseminare. Hinc non levi moerore af-

fecti fuimus, Venerabilis Frater, ubi frisfissimns ad Nos venit nuntius, Presbyterum Iacobum Frohscbammer in ista Monacensi Academia Philosophiae Doctorem huiusmodi docendi scribendique licentiam prae cete is adhibere, eumque suis operibus in lucem edit,s perniciosissimos tueri errores. Nulla igitur interposita mora, Nostrae Congregationi libris notandis praepositae mandavimus ut praecipua volumina quae eiusdem Presbyteri Frohschammer nomine circumferuntur cum maxima diligentia sedulo perpenderet, et omnia ad nos referret. Quae volumina germanice scripta titulum habent « Introductio in philosophiam, De libertate scientiae, Athenaeum » quorum primum annp 1858, alterimi anno 1861, tertium vero vertente hoc anno 1862 istis Monacensi bus typis in lucem est editum.

Itaque eadem Congregatio Nostris mandatis diligenter obsequens summo studio, accuratissiruum examem instituit, omnibusque semel iterumque serio ac mature ex more discussis et perpensis judicavit, Auctorem in pluribus non recte sentire, eiusque doctrinam a veritate catholica aberrare. Atque id ex duplici praesertim parte, et primo quidem propterea quod auctor tales humanae rationi tribuat vires, quae rationi ipsi .minime competunt, secundo vero, quod eam omnia opinandi et quidquid semper aüdendi libertatem eidem rationi concedat, ut ipsius Ecclesiae jura, officium, et auctoritas de medio orinino tollantur. Namque auctor in primis edocet, philosophiam, si recta ejus habeatur notic, posse non solum percipere et intelligere ea christiana dogmata, quae naturalis ratio cum fide habet communia (tamquam commune scilicet perceptions obiectum), verum etiam ea quae christianam religionem, fidemque maxime et proprie efficiunt, ipsumque scilicet supernaturalem hominis finem et ea omnia, quae ad ipsum spectant, atque sacratissimum Dominicae Incarnationis mysterium ad humanae rationis et philosophiae provinciam pertinere, rationemque, dato h ic obiecto, suis propriis principiis scienter ad ea posse pervenire. Etsi vero aliquam inter haec et illa dogmata distinctionem auctor inducat, et haec ultima minori iure rationi adtribuat, tamen clare aperteque docet, etiam contineri inter illa, quae veram propriamque scientiae seu philosophiae

materiam constituunt. Quocirca ex eiusdem Auctoris sententia concdudi omnino possit ac debeat, rationem in abditissimis et i nn Divinae Sapientiae ac bonitatis, immo etiam et liberae eius voluntatis mysteriis licet posito revelationis obiecto, posse ex seipsa, non ja m ex divinae auctoritatis principio, sed ex naturalibus suis principiis et viribus ad scientiam seu certitudinem pervenire.

Quae Auctoris doctrina quam falsa sit, et erronea nemo est, qui christianae doctrinae rudimentis vel leviter imbutus, non illico videat planeque sentiat. Namque si isti philosophiae cultores vera ac sola rationis et philosophicae disciplinae tuerentur principia et jura, debitis certe laudibus essent prosequendi. Siquidem vera ac sana Philosophia nobilissimum suum locum habet, cum ejusdem philosophiae sit veritatem diligenter inquirere, humanamque rationem licet primi hominis culpa obtenebratam, nullo tamen modo extinctam recte ac sedulo excolere, illusi are, ejusque cognitionis objectum, ac permultas veritates percipere, bene intelligere, promovere, earumque plurimas, uti Dei existentiam, naturam, attribuita, quae etiam fides credenda proponit, per argumenta ex suis principiis petita demonstrare, vindicare, defendere, atque hoc modo viam munire ad haec dogmata fide rectius tenenda, et ad illa etiam reconditiora dogmata, quae sola fide percipi primum possunt, ut illa aliquo modo a ratione intelligantur. Haec quidem agere, atque in his versari debet severa et pulcherrima verae philosophiae scientia. Ad quae praestanda si viri docti in Germaniae Academiis enitantur pro singulari inclytae illius Nationis ad severiores gravioresque disciplinas excolendas propensione, eorum studium a Nobis comprobatur et commendatur, cum in sacrarum rerum utilitatem profectum que convertant, quae illi ad suos usus invenerint.

At vero in hoc sane negotio tolerare nunquam possumus, ut omnia temere permisceantur, atque ratio illas etiam res, quae ad fidem pertinent, occupet ac perturbet, cum certissimi, omnibusque notissimi sint fines ultra quos ratio nunquam suo jure est progressa, vel progredi potest. Atque ad bujusmedi dogmata ea omnia maxime et apertissime spectant,

quae supernaturalem hominis elevationem, ac supernaturale ejus cum Deo commercium respiciunt, atque ad hunc finem revelata noscuntur. Et sane cum haec dogmata sint supra naturam, iccirco naturali ratione, ac naturalibus principiis attingi non possunt. Numquam siquidem ratio suis naturalibus principiis ad hujusmodi dogmata scienter tractanda effici potest idonea.

Quod si haec isti temere asseverare audeant, sciant, se certe non a quorumlibet, Doctorum opinione, sed a communi et nunquam immutata Ecclesiae doctrina recedere. Ex divinis enim Litteris, et Sanctorum Patrum traditione constat, Dei quidem existentiam, muli asque alias veritates ab iis etiam, qui fidem nondum susceperunt, naturali rationis lumine cognosci, sed illa reconditiora dogmata Deum solum manifestasse, dum notum facere voluit *mysterium, quod absconditum fuit a saeculis et generationi.bus* 1), *et ita quidem, ut postquam multifariam multisque mo'iis olim locutus esset patribus in prophetis, novissime Nobis locutus est in Filio, per quem fecit et saecula* (2)....... *Deum enim nemo vidit unquam. Unigenitus Filius, qui est in sinu Pal¡ is,ips: enarravit* (3). Quapropter Apostolus, qui gentes Deum per ea, quae facta sunt, cognovisse testatur, disserens *de gratia et veritate* (4) *qu'ie per Iesum Christum facta e.st, loquimur,* inquit, *Dei sapientiam in mgsterio, quae ab seon lita est......quam nemo principum hujus saeculi cognovit.... Nobis autem revelavit Deus per Spiritum suum..... Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit quae sunt hominis , nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita et quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei* (5).

Hisce aliisque fere innumeris divinis eloquiis inhaerentes SS. Patres in Ecclesiae doctrina tradenda continenter distinguere curarunt rerum divinarum notionem, quae naturalis intelligentiae vi omnibus est communis ab illarum rerum notitia, quae per Spiritum Sanctum fide suscipitur, et constanter

**(1) Col. 1. 26.**
**(2) Heb. v 12**
**(8) Ioan. 1. v. 18.**
(4) Ioan. 1. v. 17.
**(5) 1. Cor. JJ v. 7. 8. 10. 11.**

docuerunt, per h me ea Nobis in Christo revelari mysteria, quae non solum humanam philosophiam, verum etiam Angelicam naturalem intelligentiam transcendunt, quaeque etiamsi divina revelatione innotuerint, et ipsa fide fuerint suscepta, tamen sacro adhuc ipsius fidei velo tecta et obscura caligine obvoluta permanent, quamdiu in hac mortali vita peregrinamur a Donino (1).

Kx his omnibus patet, alienam omnino esse a catholicae Ecclesiae doctrina sententiam, qua idem Frohschammer asserere non dubitat, omnia indiscriminatim christianae religionis dogmata esse obiectum naturalis scientiae, seu philosophiae, et humanam rationem historice tantum excultam, modo haec dogmata ipsi rationi tamquam obiectum proposita fuerint, posse ex suis naturalibus viribus et principio ad veram de omnibus etiam reconditioribus dogmatibus scientiam pervenire.

Nunc vero in memoratis eiusdem Auctoris scriptis alia dominatur sententia, quae catholicae Ecclesiae doctrinae ac sensui plane adversatur. Etenim eam philosophiae tribuit libertatem, quae non scientiae libertas sed omnino reprobanda et intoleranda philosophiae licentia sit appellanda. Quadam enim distinctione inter philosophum et philosophiam facta tribuit philosopho ius et officium se submittendi auctoritati, quam veram ipse probaverit, sed utrumque philosophiae ita denegat, ut nulla doctrinae revelatae ratione habita, asserat, ipsam numquam debere, ac posse auctoritati se submittere. Quod esset tolerandum et forte admittendum, si haec diceretur de jure tantum, quod habet philosophia suis principiis, seu methodo, ac suis conclusionibus uti, sicut et aliae scientiae, ac si eius libertas consisteret in hoc suo iure utendo, ita ut nihil in se admitteret, quod non fuerit ab ipsa suis conditionibus acquisitum aut fuerit ipsi alienum. Sed haec juxta philosophiae libellas suos limites noscere et experiri debet Nunquam enim non solum philosopho, verum -itiam philosophiae licebit, aut ali-

**(1) S. Io. Chrys. Homil. 7. (9) in 1. Cor.** S **Awbr. de Fide ad Gral. 1. 10.** S. **Leo de Kativ. Domini Ser. 9. S. Cyril. Alex. Coutra Nest. tib. 3. initi©** ia **Ioan. 1. 9. S. Ioan. Dam. de Fide orat. II. 1. 2. in 1. Cor. c. 2. S. flieron. in Gal. III. 2.**

quid contrarium dicere iis quae divina revelatio, **ef Ecclesia** docet, aut aliquid ex eisdem in dubium vocare, propetereaque^ non intelligit, aut iudicium non suscipere, quod Ecclesiae auctoritas de aliqua philosophiae conclusione, quae hucusque libera erat, proferre constituit. Accedit etiam, ut idem Auctor philosophiae libertatem, seu potius effrenata»] licentiam tam acriter tam temere propugnet, ut minime vereatur asserere, Ecclesiam non solum non debere in philosophiam unquam animadvertere, verum etiam debere ipsius philosophiae tolerare errores, eique relinquere ut se ipsa corrigat, ex quo evenit, ut philosophi hanc philosophiae libertatem necessario participent, atque ita etiam ipsi ab omni lege solvantur. Ecquis non videt "quam vehementer sit reiicienda, reprobanda, et omnino damnanda huiusmodi Frohschammer sententia atque doctrina? Etenim Ecclesia ex divina sua institutione et divinae fidei depositum integrum inviolatumque diligentissime custodire, et animarum saluti summo studio debet continenter advigilare, ac summa cura ea omnia amovere et eliminare, quae vel fidei adversari, vel animarum salutem quovis modo in discrimen adducere possunt. Quocirca Ecclesia ex potestate sibi a divino suo Auctore commissa non solum ius, sed officium praesertim habet non tolerandi, sed proscribendi ac damnandi omnes errores, si ita fidei integritas et animarum salus postulaverint, et omni philosopho, qui Ecclesiae filius esse velit, ac etiam philosophiae officium incumbit nihil unquam dicere contra ea, quae Ecclesia docet, et ea retractare, de quibus eos Ecclesia monuerit. Sententiam autem, quae contrarium edocet, omnino erroneam, et ipsi fidei Ecclesiae eiusque auctoritati vel maxime iniuriosam esse edicimus et declaramus.

Quibus omnibus accurate perpensis, de eorumdem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium Congregationis libris notandis praepositae consilio, ac motu proprio, et certa scientia, matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine praedictos libros Presbyteri Frohschammer tamquam continentes propositiones, et doctrinas respective falsas, erroneas, Ecclesiae, eiusque auctoritati, ac iuribus iniuriosas

reproban¡us, damnamus, ac pro reprobatis et damnatis ab omnibus haberi volumus, atque eidem Congregationi mandamus, ut eosdem libros in indicem prohibitorum librorum referat.

Dum vero haec Tibi significamus, Venerabilis Frater, non possumus non exprimere magnum animi Nostri dolorem, cum videamus hunc filium, eorumdem librorum auctorem, qui ceteroquin de. Ecclesia benemereri potuisset, infelici quodam cordis impetu misere abreptum in vias abire, quae ad salutem non ducunt, ac magis magisque a recto tramite aberrare. Cum enim alius eius liber de anima un origine prius fuisset damnatus, non solum se min e ubmisit, verum etiam non extimuit, eumdem errorem in *in** etiam libris denuo docere, et Nostram Indicis Congregationem contumeliis cumulare, ac multa alia contra Ecclesiae agendi rationem temere mendaciterque pronuntiare. Quae omnia talia sunt, ut iis merito, atque optimo jure indignari potuissemus. Sed nolumus adhuc paternae Nostrae caritatis viscera erga illum deponere, et iccirco Te, Venerabilis Frater, excitamus, at velis eidem manifestare cor Nostrum paternum, et acerbissimum dolorem, cuius ipso est causa, ac simul ipsum saluberrimis monitis hortari et monere, ut Nostram, quae communis est omnium Patris, vocem audiat, ac resipiscat, quemadmodum catholicae Ecclesiae filium decet, et ita nos omnes laetitia afficiat, ac tandem ipse feliciter experiatur quam iucundum sit, non vana quadam et perniciosa libertate gaudere sed Domino adhaerere, cuius iugum suave est, et onus leve, cuius eloquia casta igne examinata, cuius iudicia vera, iustificata in semetipsa, et cuius universae viae misericordia et veritas. Hac etiam occasione libentissime utimur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te benevolentiam. Cuius quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi tuae curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 11 Decembris Anno 1862.

Pontificatus Nostri anno decimoséptimo.

**VENERABILI FRATRI GREGORIO ARCHIEPISCOPO MONACENSI ET KRISINGENSI.**

## PIUS PAPA IX.

**VENERABILIS FRATFR**
**SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.**

Tuas libenter accepimus Litteras, die 7 proximi elapsi mensis Octobris datas, ut Nos certiores faceres de Conventu in ista Monacensi civitate proximo mense septembri a nonnullis Germaniae Theologis, doctisque catholicis viris habito de variis argumentis, qu*e ad Theologicas praesertim ac philosophicas tradendas disciplinas pertinent Ex litteris tibi Nostro iussu scriptis a Venerabili Fratre Matthaeo Archiepiscopo Neocaesariensi Nostro et Apostolicae huius Sedis apud istam Regiam Aulam Nuntio vel facile noscere potuisti, Venerabilis Frater, quibus Nos sensibus affecti fuerimus, ubi primum de hoc proposito Conventu nuntium accepimus, et postquam agnovimus quomodo commemorati Theologi, et viri ad huiusmodi Conventum invitati et congregati fuere. Nihil certe dubitare volebamus de laudabili fine, quo huius Conventus auctores, fautoresque permoti fuere, ut scilicet omnes catholici viri doctrina praestantes, collatis consiliis, eoniunctisque viribus, germanam catholicae Ecclesiae scientiam promoverent, eamque a nefariis, ac perniciosissimis tot adversariorum opinionibus conatibusque vindicarent, et defenderent. Sed in hac sublimi Principis Apostolorum Cathedra licet immerentes collocati asperrimis hisce temporibus, quibus Sacrorum Antistitum auctoritas, si unquam alias, ad unitatem et integritatem catholicae doctrinae custodiendam vel maxime est necessaria, et ab omnibus sarta tecta servari debet, non potuimus non vehementer mirari videntes memorati Conventus invitationem privato nomine factam et promulgatam, quin ullo modo intercederet impulsus, auctoritas et missio ecclesiasticae potestatis, ad quam proprio, ac nativo iure unice dertinet advigilare ac dirigere theologicarum praesertim rerum

doctrinam. Quae sane res, ut optime noscis, omnino nova, ac prorsus inusitata in Ecclesia est. Atque iccirco voluimus, Te, Venerabilis Frater, noscere hanc Nostram fuisse sententiam, ut cum a Te, tum ab aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania Antistibus probe iudicari posset de scopo per Conventus programma enuntiato , si nempe talis esset, ut veram Ecclesiae utilitatem afferret. Eodem autem tempore certi eramus, Te, Venerabilis Frater, pro pastorali Tua sollicitudine ac zelo omnia consilia et studia esse adhibitum m, ne in eodem Conventu tum catholicae fidei ac doctrinae integritas, tum obedientia, quam omnes cuiusque classis et conditionis catholici homines Ecclesiae auctoritati ac magisterio praestare omnino debent, vel minimum detrimentum caperent. Ac dissimulare non possumus, non levibus Nos angustiis affectos fuisse, quandoquidem verebamur, ne huiusmodi Conventu sine ecclesiastica auctoritate congregato exemplum praeberetur sensim usurpandi aliquid ex iure ecclesiastici regiminis et authentici magisterii, quod divina institutione proprium est Romano Pontifici, et Episcopis in unione et consensione cum ipso S. Petri Successore . atque ita, ecclesiastico ordine perturbato, aliquando unitas, e obedientia fidei apud aliquos labefactaretur. Atque e[1] iam timebamus, ne in ipso Couventu quaedam enumerarentur, ac tenerentur opiniones et placita, quae in vulgus praesert m emissa et catholicae doctrinae puritatem , et debitam subiectionem in periculum ac discrimen vocarent. Summo enim animi Nostri dolore, recordabamur, Venerabilis Frater, hanc Apostolicam Sedem pro gravissimi sui muneris officio debuisse ultimis hisce temporibus censura notare, ac prohibere nonnullorum Germaniae scriptorum opera, qui cum nescirent decedere ab aliquo principio, seu methodo falsae scientiae, aut hodiernae fallacis philosophiae, praeter voluntatem, uti confidimus, inducti fuere ad docendas doctrinas dissentientes a vero nonnullorum sanctissimae fidei nostrae dogmatum sensu et interpretatione, quique errores ab Ecclesia iam damnatos e tenebris excitarunt, et propriam divinae revelationis et fidei indolem et naturam in alienum omnino sensum explicaverunt.

Noscebamus *ehm),* Venerabilis Frale!-, nonnullos ex catholicis, qui severioribus disciplinis excolendis operam navant, humani ingenii viribus nimium fidentes periculis haud fuisse ahsterritos ne in asserenda fallaci, et minime sincera scientiae libertate abriperentur ultra limites quos praetergredi non sinit obedientia debita erga magisterium Ecclesiae ad totius revelatae veritatis integritatem servandam divinitus institutum. Ex quo evenit, ut huiusmodi catholici misere decepti et iis saepe consentiant, qui contra huius Apostolicae Sedis, ac Nostrarum Congregationum decreta déclamant, ac blaterant, ea liberum scientiae progressum impedire, et periculo se exponunt sacra illa frangendi obedientiae vincula, quibus ex Dei voluntate eidem Apostolicae huic obstringuntur Sedi quae a Deo ipso veritatis magistra, et vindex fuit constituta. Neque ignorabam us, in Germania etiam falsam invaluisse opinionem adversus veterem scholam, et adversus doctrinam summorum illorum Doctorum, quos propter admirabilem eorum sapientiam, et vitae sanctitatem universalis veneratur Ecclesia. Qua falsa opinione ipsius Ecclesiae auctoritas in discrimen vocatur, quandoquidem ipsa Ecclesia non solum per tot continentia saecula permisit, ut ex eorumdem Doctorum methodo, et ex principiis communi omnium catholicarum scholarum consensu sancitis theologica excolerelur **r**-cientia, verum etiam saepissime summis laudi bus theologicam eorum doctrinam extulit, illamque veluti fortissimum fidei propugnaculum et formidanda contra- suos inimico* arma vehementer commendavit. Haec sane omnia pro gravissimi supremi Nostri Apostolici ministerii munere, ac pro singulari illo amore, quo omnes Germaniae catholicos, carissimam Dominici gregis partem prosequimur, Nostrum sollicitabat et angebaut animum tot aliis pressum angustiis ubi, accepto memorati Conventus nuntio, res supra expositas Tibi significandas curavimus. Postquam vero per brevissimum nuntium ad Nos relatum fuit, Te, Verabilis Frater, huiusce Conventus auctorum precibus annuentem tribuisse veniam celebrandi eumdem Conventum, ac sacrum solemni ritu peregisse, et consultationes in eodem Conventu iuxta catholicae Ecclesiae doctrinam habitas fuisse, et [ ost-

quam ipsius Conventus viri per eumdem nuntium Apostolicam Nostram imperaverunt Benedictionem, nulla interposita mora piis illorum votis obsecundavimus. Summa vero anxietate tuas expectabamus Litteras ut a Te, Venerabilis Prater, accuratissime noscere possemus ea omnia, quae ad eumdem Conventu m quovis modo possent pertinere. Nunc autem cum a Te acceperimus, quae scire vel maxime cupiebamus, ea spe nitimur fore, ut huiusmodi negotium, quemadmodum asseris. Deo auxiliante, in maiorem catholicae in Germania Ecclesiae utilitatem cedat. Equidem cum omnes eiusdem Conventus viri, veluti scribis, asseruerint, scientiarum progressum, et felicem exitum in devitandis ac refutandis miserrimae nostrae aetatis erroribus omnino pendere ab intima erga veritates revelatas adhae^sione, quas catholica docet Ecclesia, ipsi noverunt, ac professi sunt illam veritatem, quam veri catholici scientiis excolendis et evolvendis dediti semper temiere, ac tradiderunt. Atque hac veritate innixi potuerunt ipsi sapientes, ac veri catholici scientias easdem tuto excolere, explanare, easque utiles certamque reddere. Quod quidem obtineri non potest, si humanae rationis lumen finibus circumscriptum eas quoque veritates investigandas quas propriis viribus et facultatibus assequi potest non veneretur maxime, ut par est, infallibile et increatum Divini intellectus lumen, quod in christiana revelatione undique mirifice elucet. Quamvis enim naturales illae disciplinae suis propriis ratione cognitis principiis nitantur, catholici tamen earum cultores divinam revelationem veluti rectricem stellam prae oculis habeant oportet, qua praelucente sibi a svrtibus et erroribus caveant, ubi in suis investigationibus, et commendationibus animadvertant, posse se illis adduci, ut saepissime accidit, ad ea proferenda, quae plus minusve adversentur infallibili rerum veritati, quae a Deo revelatae fuere. Hinc dubitare nolumus, quin ipsius Conventus viri commemoratam veritatem noscentes, ac profitentes uno eor denique tempore plane reiicere ac reprobare voluerint recenten! illam ac praeposteram philosophandi rationem, quae etiamsi divinam revelationem veluti historicum factum admittat, tamen ineffabiles veritates ab ipsa divina revelatione propo-

sitas humanae rationis investigationibus supponit, perinde ac veritates rationi subiectae essent, vel ratio suis viribus et principiis posset consequi intelligentiam et scientiam omnium supernarum sanctissimae fidei nostrae veritatum, et mysteriorum, quae ita supra humanam rationem sunt ut haec nunquam effici possit idonea ad illa suis viribus et ex naturalibus suis principiis intelligenda, aut demonstranda. Eiusdem vero Conventus viros debitis prosequimur laudibus propterea-quod reiicientes, uti existimamus, falsam inter philosophum et philosophiam distinctionem, de qua in aliis Nostris litteris ad Te scriptis loquuti sumus, noverunt et asseruerunt, omnes catholicos in doctis suis commentationibus debere ex conscientia dogmaticis infallibilis catholicae Ecclesiae obedire decretis. Dum vero debitas illis deferimus laudes quod professi sint veritatem, qua catholici Magistri, ac Scriptores omnino adstringuntur, coarctare in iis tantum, quae ab infallibili Ecclesiae iudicio, veluti fidei dogmata ab omnibus credenda proponuntur. Atque etiam Nobis persuademus, ipsos noluisse declarare, perfectam illam erga revelatas veritates adhaesionem, quam agnoverunt necessariam omnino esse ad verum scientiarum progressum assequendum, et ad errores conf u tandos, obtineri posse, si dumtaxat Dogmatibus ab Ecclesia expresse definitis fides, et obsequium adhibeatur. Namque etiamsi ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum, aut Romanorum Pontificum huiusque Apostolicae Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio tamquam divinitus revelata traduntur, ideoque universali et constanti consensu a catholicis Theologis ad fidem pertinere retinentur. Sed cum agatur de illa subiectione, qua ex conscientia ii omnes catholici obstringuntur, qui in contemplatrices scientias incumbunt, ut novas suis scriptis Ecclesiae afferant utilitates, iccirco eiusdem Conventus viri recognoscere debent, sapientibus catholicis haud satis esse, ut praefata Ecclesiae dogmata recipiant ac venerentur, verum etiam opus esse, ui se subiiciant tum decisionibus,

quae aa. doctrinam pertinentes a Poniificiis Congregationibus proferentur, tum iis doctrinae capitibus, quae communi et constanti Catholicorum consensu retinentur ut theologicae veritates et conclusiones ita certae, ut opiniones eisdem doctrinae capitibus adversae, quamquam haereticae dici nequeatit, tamen alian) theologicam merentur censuram. Itaque haud existimamus viros qui commemorato Monacensi interfuere Conventui, ullo modo potuisse, aut voluisse obstare doctrinae nuper expositae, quae ex verae Theologiae principiis in Ecclesia re tinetur, quin immo ea fiducia sustentamur fore, üt ipsi in severioribus excolendis disciplinis velint ad enunciatae doctrinae normam se diligenter conformare. Quae nostra fiducia praesertim nititur' iis Litteris, quas per Te, Venerabilis Frater, Nobis miserunt Siquidem eisdem Litteris cum summa animi Nostri consolatione ipsi profitentur, sibi in cogendo Conventu mentem nunquam fuisse vel minimam sibi arrogare auctoritatem, quae ad Ecclesiam omnino pertinet, ac simul testantur, noluisse eumdem dimittere Conventum, quin primum declararent summam observantiam, obedientiam, ac filialem pietatem qua Nos et hanc Petri cathedram catholicae unitatis centrum prosequuntur. Cum igitur hisce sensibus supremam Nostram, et Apostolicae huius Sedis potestatem, auctoritatemque ipsi recognoscant, ac simul intelligant, gravissimum officium Nobis ab ipso Christo Domino commissum regendi, ac moderandi universam suam Ecclesiam, ac pascendi omnem suum gregem salutaris doctrinae pascuis, et c ntinentor advigilandi, ne sanctissima fides, eiusque doctrina ullum unquam detrimentum patiatur, dubitare non possumus, quin ipsi severioribus disciplinis excolendis, tradendis, sanaeque doctrin .e tuendae operam navantes uno eodemque tempore agnoscant, se debere et religiose exsequi regulas ab Ecclesia semper servatas, et obedire omnibus decretis, quae circa doctrinam a suprema Nostra Pontificia auctoritate eduntur. Haec autem omnia Tibi communicamus, ac summopere optamus, ut ea iis omnibus signifiées viris, qui in memorato Conventu fuere, dum, si opportunum e-se censuerimus, haud omittemus alia, 'l'ibi, et Venerabilibus Fratribus Germaniae Sacrorum Antistitibu**0**

hac super re significare, postquam Tuam, et eorumdem Antistitum sententiam intellexerimus de huiusmodi Conventuum opportunitate. Demum pastoralem Tuam sollicitudinem, ac vigilantiam iterum vehementer excitamus, ut una cum aliis Venerabilibus Fratribus Sacrorum in Germania Antistitibus curas omnes, cogitationesque in tuendam et propagandam sanam doctrinam assidue conféras. Neque omittas omnibus inculcare, ut profanas omnes novitates diligenter devitent, neque ab illis se decipi unquam patiantur, qui falsam scientiae libertatem, eiusque non solum verum profectum, sed etiam errores tamquam progressus impudenter iactant. Atque pari studio et contentione ne desinas omnes hortari, ut maxima cura, et industria in veram christianam et catholicam sapientiam incumbant, atque, uti par est, in summo pretio habeant veros solidosque scientiae progressus, qui, sanctissima ac divina fide duce, et magistra, in catholicis scholis habiti fuerunt, utque theologicas praesertim disciplinas excolant secundum principia, et constantes doctrinas, quibus unanimiter innixi sapientissimi Doctores immortalem sibi nominis laudem et maximam Ecclesiae, et scientiae utilitatem, ac splendorem pepererunt. Hoc sane modo catholici viri in scientiis excolendis poterunt. Deo auxiliante, magis in dies, quantum homini fas est, noscere, evolvere, et explanare veritatum thesaurum, quas in naturae et gratiae operibus Deus posuit, ut homo postquam illas rationis fidei lumine notaverat, suamque vitam ad eas sedulo conformaverit, possit in aeternae gloriae claritate summam veritatem, Deum scilicet, sine ullo velamine intueri, Eoque felicissime in aeternum perfrui et gaudere. Hanc autem occasionem libentissimo animo amplectimur, ut denuo testemur et confirmemus praecipuam Nostram in Te caritatem. Cuius quoque pignus esse volumus Apostolicam Benedictionem, quam effuso cordis affectu Tibi ipsi, Venerabilis Frater, et gregi Tuae curae commisso peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die z\ Decerni)iis Anno 1S63.

Pontificatus Nostri Anuo Decimoctavo.

VENERABILI FRATRI HENRICO EPISCOPO URATISLAVIEMSÏ

# PIUS PAPA IX.

VENERAI»! Ii FRATER SALUTEM ET APOSTOLICAM BKNH;>I TI O N F.M.

Dolore haud mediocri litteris quas nuper ad Nos dedisti percepì m us dissidia catholicorum per Antonii Guntheri philosophiam enata posteaquam Sedes apostolica de huius scriptoris operibus et doctrina iudicasset, nondum esse penitus extincta; propterea quod tum alibi tum in ista Uratislaviensi Academia etiam inter sacrae doctrinae magistros reperiantur, qui nonnulla saltem guntheriana dogmata retinere atque deiendeie multis videantur. Quorum unus dilectus scilicet illius Ioannes B. Battzer Uratislaviensis Ecclesiae canonicus, cum libellum in quo de hominis natura disseritur Tibi, V. F. tradidisse!, precibus eius obsecundans libellum eumdem ad Nos transmisisti, rogans ut nostro iudicio quid de doctrina in eo contenía sentiendum sit definiretur. Ac nos quidem tuum, V. F. studium catholicae doctrinae tuendae magnopere laudantes, atque pro muneris nostri officio nihil magis curae habentes, quam *fidei deposi um* ubique terrarum intactum custodire, interque christifideles *servare unitatem spiritus in vin alo pacis,* Battzeri scriptum nonnullis huius almae Urbis theologis discutiendum tradidimus. Quotami fida relatione compertum Nobis est, in eo doctrinam eamdem quae in Guntheri libris traditur et ante horum prescriptionem a Batfzero quoque propugnaba tur, retineri, nihilque aliud agi, nisi ut hat c doctrina demonstretur et Verbo Dei scripto ac tradito conformis, nec ulla ratione contraria esse iis quae ss. Concilia, nominatim Conc. Oecumenicum VIII. et Viennense sub Clemente V. statuerunt, aut ipsi nostris litteris ad dilectum filium nostrum Cardinalem presbyterum de Geissel Archiepiscopum Coloniensem die 15 junii 1857, datis indicavimus, dicentes *hominem corpore et anima ita absolvi, ut ''nana eaque rationalis sit vera per se atque immedia'a carpar, s f/r ma.* At vero Nos non modo his verbis calimi:-

cani rie homine doctrinam declaravimus, sed etiam hanc ipsam *cathoHcam doctrinam doctrina, Guntheri laedi* pronuntiavimus. Ad quod si Baitzer animum advenisset, intellexisset sane doctrinam de homine, quam in suo scripto profitetur tamquam ecclesiasticis dogmatibus consentaneam defendere idem esse atque Nosmet incusare quod in guntheriana doctrina iudicanda erraverimus. Notatum praeterea est Battzerum in illo suo libello cum omnem controversiam ad hoc revocasset sitne corpori vitae principium proprium, ab anima rationali reipsa discretum, eo temeritatis progressum esse, ut oppositam sententiam et appellaret- haereticam et pro tali habendam esse multis verbis argueret. Quod quidem non possumus" non vehementer improbare, considerantes hanc sententiam, quae unum in homine ponit vitae principium, animam scilicet rationalem, a qua corpus quoque et motum et vitam omnem et sensum accipiat, in Dei Ecclesiae esse comniunissimam atque doctoribus plerisque, et probatissi a ds quidem maxime, cum Ecclesiae dogmate ita videri coniunctam, ut huius sit legitima solaque vera interpretatio, nec proinde sine errore in fide possit negari.

Quae cum Tibi, V. F. ex certa scientia et motu proprio rescribimus, ardenter cupimus imo fidenter speramus fore, ut dilectus filius Ioannes Battzer et caeteri qui huic aliisve Guntheri opinionibus a Nobis reprobatis quocumque modo adhaeserint, iam se erga hanc Ecclesiam, quam Christus Dominus reliquarum matrem et magistram esse voluit, dociles, et morigeros exhibeant, quemadmodum et Battzer ipse et alii dudum laudabiliter sunt polliciti. Te vero *V.* F. hortamur ut Apostoli exc n pio *in captivitatem redigens omnem intellectum in obsequium Christi,* hanc plenam submissionem ab iis praesertim qui alios docent auctoritate tua postules, licentiam autem eorum qui forte audire detrectant potestate quam dedit Tibi Deus coercens. Superest ut Tibi V. F. ac gregi universo Tuis curis commisso apostolicam benedictionem toto cordis affectu im • pertiamur. Datum Romae apud S. Petrum die XXX aprilis MDOOCLX, P. N. anno decimocuarto.

DILECTO FILIO NOSTRO IOANNI
TITULI S. LAURENTII IX VIMINALI PRESBYTERO
S. R. E. CARDINALI DE GEISSEL ARCHIEPISCOPO COLONIENSI

## PIUS PAPA IX.

Eximiam tuam Nobisque plane cognitam pastoralem in catholica doctrina tuenda curam et sollicitudinem non mediocri certe animi Nostri iucunditate undique elucere perspeximus in litteris, quas, dilecte fili Noster, die XVI proximi mensis aprilis ad Nos dedisti super decreto pontificia nostra auctoritate sancito, atque a Nostra Indicis Congregatione die VIII mensis ianuarii huius anni edito, quo opera dilecti filii presbyteri Antonii Gunther proscripta fuerunt. Nos quidem pro apostolici Nostri ministerii officio nullis umquam parcentes curis nullisque laboribus, ut fidei depositum Nobis divinitus concreditum integrum inviolatumque custodiatur, ubi primum a pluribus VV. FF. spectatissiinis Germaniae Sacrorum Antistitibus accepimus non pauca Guntheri libris contineri, quae ipsi in sincerae fidei catholicae veritatis perniciem cedere arbitrabantur, nulla interposita mora eidem Congregationi commisimus, ut ex more opera eiusdem Guntheri accurate diligenterque excuteret, perpenderet, examinaret, ac deinde omnia ad Nos referret. Cum igitur ipsa Congregatio Nostris mandatis obsequuta suoque munere iuncta omnem in hoc, gravissimo sane maximique momenti negotio curam et ope • ram scite riteque collocaveris nullumque praetermiserit studium in guntheriana doctrina accuratissimo examine no scenda ac ponderanda, animadvertit plura in Guntheri libris reperiri omnino improbanda ac damnanda, utpote quae catholicae ecclesiae doctrinae maxime adversaretur. Hinc rebus omnibus a Nobis etiam perpensis eadem Congregatio decretum illud suprema Nostra auctoritate probatum Tibique notissimum edidit, quo guntheriana opera prohibentur et interdieunfur. Q,iod quidem decretum Nostra auctoritate sancitum Nostroquc iussu

vulgatum sufficere plane debebat ut quaestio omnis penitus dirempta censeretur, et omnes qui catholico gloriantur nomine clare aperteque intelligerent sibi esse omnino obtemperandum, et sinceram haberi non posse doctrinam guntherianis libris contentam , ac nemini deinceps fas esse doctrinam iis libris traditam tueri ac propugnare, et illos libros sine debita facultate legere ac retinere. A quo quidem obedientiae debitique obsequii officio nemo immunis propterea videri censerique poterat, quod in eodem decreto vel nullae nominatim propositiones notarentur, vel nulla certa stataque adhiberetur censura. Ipsum enim per se valebat decretum ne qui sibi integrum putarent ab iis quae Nos comprobavimus utcumque discedere"." Sed vehementer errant qui generalis eiusdem prohibitionis causam inde profectam esse arbitrantur, quod ipsa Congregatio nullas singillatim guntherianorum operum sententias nullasque praecise opiniones censura dignas deprehenderit. Etenim non sine dolore apprime noscimus in iisdem operibus erroneum ac perniciósissimum et ab hac apostolica Sede saepe damnatum rationalismi systema ampliter dominari; itemque noscimus in iisdem libris ea inter alia non pauca legi, quae a catholica fide sincereque explicatione de unitate divinae substantiae in tribus distinctis sempiternisque personis non minimum aberrant, in compertis pariter habemus neque meliora neque accuratiora esse quae traduntur de sacramento Verbi Incarnati, deque unitate divinae Verbi personae in duabus naturis divina et humana. Noscimus iisdem libris laedi catholicam sententiam ac doctrinam de homine qui corpore et anima ita absolvatur, ut anima eaque rationalis sit vera per se atque immediata corporis forma. Neque ignoramus ea iisdem libris doceri et statui quae catholicae doctrinae de suprema Dei libertate a quavis necessitate soluta in rebus procreandis plane adversantur. Atque illud etiam vel maxime improbandum ac damnandum quod guntherianis libris humanae rationi et philosophiae, quae in religionis rebus non dominari sed ancillari omnino debent, magisterii ius temere attribuatur, ac propterea omnia perturbentur quae firmissima manere de-

bent, tum de distinctione inter scientiam et fidem, lum de perenni fidei immutabilitate, quae una semper atque eadem est, dum philosophia humanaeque disciplinae neque semper sibi constant, neque sunt a multiplici errorum varietate immunes. Accedit nec ea Sanctos Patres reverentia haberi, quam Conciliorum canones praescribunt, quamque splendidissima ecclesiae lumina omnino promerentur, nec ab iis in catholicas scholas dicteriis abstineri, quae recolendae memoriae Pius VI decessor Noster solemniter damnavit. Neque silentio praeteribimus. in guntherianis libris vel maxime violari sanam loquendi formam, ac si liceret verborum apostoli Pauli oblivisci (2 ad Tim. ) aut horum quae gravissime monuit Augustinus (de C. D. lib. X. c. 23) « Nobis ad certam regulam loqui fas est, ne verborum licentia etiam de rebus quae his significantur impiam gignat opinionem. » Ex quibus omnibus profecto vides, dilecte fili Noster, qua cura et studio tum Tibi tum VV. FF. Episcopis Tuis suffraganeis sit ¿idvigilandum ut ab istis dioecesibus guntheriana opera amoveantur, et qua singulari sollicitudine excubandum: ne doctrina eisdem operibus contenta et iam proscripta ullo unquam modo sive in philosophicis sive in theologicis disciplinis a quovis in posterum tradatur aut comprobetur. Iam vero dum Guntheri opera damnanda esse censuimus ac censemus, haud possumus quin Tibi significemus, ipsum dilectum filium presbyterum Antonium Gunther non mediocri nos affecisse consolatione, quandoquidem obsequentissimis suis litteris die X Februari ad Nos scriptis, cum summa sui laude amplissimis verbis semel iterumque professus est, nihil sibi potius, quam supremae Nostrae et huius apostolicae Sedis auctoritati semper obtemperare, et idcirco se humillime subiicere commemorato decreto de suis operibus promulgato. Hoc autem egregium sane Guntheri exemplum pari animi Nostri gaudio imitati sunt plures dilecti filii doctores theologiae, philosophiae, historiae ecclesiasticae et canonici iuris in variis Germaniae lycaeis ac primarii Guntherianae doctrinae asseclae, qui suis ad Nos datis litteris contestati se commemorato decreto humillime subiicere

nihilque sibi magis cordi esse, quam pontificiae ritrae, ct-huius sanctae Sedis auctoritati animo obedire. Dum vero in hac re summopere laetamur, in eam porro spem erigimur fore ut alii omnes Gunlherianae doctrinae sectatores ch ri • stianam tum ipsius auctoris tu-n horum animi docilitateni et obedientiam debitamque magisterio nostro subiectionem, Deo bene iuvante, aemulari velint, atque ita ipsius auctoris coronam augeant, et Nostram expleant cumulentque laetitia n. Habes, dilecte fili Noster, quae tibi de hoc argumento rescribenda esse existimavimus; atque hac etiam occasione libentissime utimur- ut iterum ostendamus et confirmemus praecipuam, qua te in Domino complectimur benevolentiam. Cuius quoque certissimum pignus esse volumus apostolicam benedictionem, quam toto cordis affectu Tibi ipsi, dilecte fili Noster, et gregi tuae vigilantiae commisso peramanter impertimur.

Datum Bononiae die ***XV*** Iunii anno MDCCCLVII pontificatus nostri anno undecimo.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII-

## VACATIONUM A CHORO

### *Die 20 Decembris 1862.*

«•«sBïBM'ïGtïiwm facti. Capitulum insignis collegiatae Ecclesiae S. Mariae Maioris loci B. Dioecesis T. supplicibus litteris sub die 21 Martii anni 1862 SSmo Domino Papae exposuit, quod, Canonicis perfruentibus ab antiquissimo tempore alternativa in chorali servitio, piissimus Sicerdos ignatius Q. testamento diei 28 Novembris 1762 quoddam praedium Legatum eidem Capitulo reliquerit, indicta lege ut fructus eiusdem fundi *aequis porti< n>hu> inter illos sive Dignitates sive Canonicos dividen ntur, qui per s- militer Choro eo tempore interfuerint, quo ob altern-iti no c, indultum abesse possent.* id ideo iniunctum esse patet, ut spe lucri temporalis plures allicerentur Canonici, vacationis respectivae tempore, ad divinas laudes Deo persolvendas. Laudabili testatoris voluntati diligenter usque ad annum 1862 adhaesere Capitulares; at eo anno tum ob amissos fundos, tum ob adaucta tributa imminutis praebendarum redditibus addebantur ad quotidianum Chori servitium, cum fructus praedii legati ab Ignatio constituerent praecipuum proventum congruae canonicalis. Exinde Capitulum Sanctissimum rogavit *ut dignaretur concedere Dignitatibus et Canonicis vel in perpetuum* vel saltem quousque Ecclesia Archiepiscopalis B. erigeretur, tres vacatio num nwns'S iis in hebdomadibus, quibus iuxta testatoris Q. mentem Choro interesse debebant; atque interea distributionibus frui.*

Rogatus Archiepiscopus, ut, audito in scriptis Capitulo, referret de annuo redditu et oneribus uniuscuiusque Praebendae, transmissa particula fundationis, simulque doceret de qualitate servitii choralis et de causis ex quibus annui Capituli redditus imminuti sint, mentemque suam super porrectis precibus aperiret, respondit

1. Annuum cuiuslibet Praebendae redditum, deducto missarum onere, assurgere ad libellas 170.

2. Quotidianas distributiones ad libellas 90.

3. Servitium Chori alternativum esse, exceptis diebus festis in quibus omnes Canonici interesse debent sacris functionibus. Has vero consistere in divinis officiis sive cum cantu sive lectis iuxta dierum solemnitatem ; et in missa conventuali canenda.

4. Redditus annuos praedii legati a pio testatore assurgere ad libellas plus minus 8211.50. qui, uti quotidianae distributiones, ab iis solummodo percipiuntur qui Choro intersunt.

5. Multos Ecclesiam illam Collegiatam praeterito tempore redditus amisisse, quos pariter Choro praesentes lucrabantur, quamvis quantitas determinari non possit.

6. Ob adaucta tributa quinta parte redditus annuos esse plus minus imminutos.

Rogabat demum Episcopus S. Sedem pro gratia.

His acceptis epistolis causa proposita est atque

*Pro petitione Canonicorum haec adducta.*

Capituli precibus suffragare Tridentinam Synodum, quae Sess. XXIV cap. 12 de reformat, trimestres vacationes indulget Canonicis omnibus tum Cathedralium, tum Collegiatarum, *ut humanam sublevar et infirmitatem,* ceu notat S. Congregatio Concilii in Alexandrina *Serr.itii Chori 20 Martii 1790* §• 3.

Et sane cum Canonici Collegiatae B. si eis redditum demas fundi legati, vix exiguum capiant lucrum, comprehensis etiam distributionibus, libellarum circiter 256, iuxta Ordinarii relationem, iam in ea tristissima conditione versantur, ut vel cum gravissimo eorum incommodo chorum quotidie, ac veluti sine ulla

interspiratione petere teneantur, ne praecipuum redditum ex legato fundo derivantem amittant, vel si aliquandiu quiescere pro humana infirmitate voluerint, id amittant quod honestae emum sustentationi necessarium veluti est. Atqui non desunt exempla concessae vacationis a choro quotidiano per aliquod temporis ob nimis grave iniunctum servitium; ceu concessum fuit per duos menses in Atrien. 19 Dec. 1722, et in Signina 17 Februarii 1838. Residentia siquidem totius anni dura nimis apparet.

Accedit Canonicalium proventuum imminutio post mortem fundatoris Q. secuta, quam si Fundator ipse praevidisset, indulgenter fortasse erga eos praesumi potuisset quibus directe legatum reliquit, atque adeo gratifican intendit. S. vero Congregatio Concilii non semel ob tenues vel imminutos redditus huiusmodi servitii reductiones concessit, sicut *in Romana 18 Aprilis 1722.* et alias. Adnotandum est etiam, remitti ad arbitrium S. Sedis indultum vel perpetuum concedere, vel saltem quousque Collegiata B. Cathedralis evaserit ; ex quo etiam capite admittenda videtur Canonicorum petitio, cui Episcopalis etiam Curia ex parte favet.

*Quae contra petitionem dicta fuere.*

Observatum est in primis, gratiae concedendae obstare manifestam testatoris voluntatem, qui ad alliciendos canonicos ad chorale servitium pro tempore, quo ratione hebdomadae vacarent, redditum insigne destinavit veluti praemium singularis diligentiae, quod vere praesentibus tantum, ut ait, accrescerei., non secus ac distributiones ex pio legato provenientes, quae inter eos tantum ex voluntate testatoris partiendae sunt, qui realiter choro inserviunt. Quare non sine voluntatis huius immutatione ac derogatione Capituli precibus annueretur, cuius derogationis haud evidens ratio SL »est. Etenim allegata reddituum imminutio, si eam demas, quae ex auctis publicis vectigalibus dérivât, ceteros capitulares fundos potius quam fundum legatum respicere videtur. Aliunde vero Fundator in sua institutione non respexit meliorem Capitularium conditionem, sed plenius dumtaxat chorale servitium, proposito sci-

licet extraordinario praemio, obtinendum; cum *velim ut choro intersint numero plures Dignitates et Canonici ad laudandam et benedicendum SS.. Trinitatem pro anima mea, Francisci fratris mei, et Xnveriae sororis meae,* sunt testamenti verba. Iam vero si defunctorum voluntates integras expedit servari iugiter, fortius id tenendum est quoad ea quae tendunt ad augmentum divini cultus, quod eo melius obtinetur, quo plures in Choro divinae psalmodiae assistunt. S. Congr. Concilii in Signina Servitii Chori, 16 Decembris 1837.

Tridentina porro Synodus etsi trimestres indulgeat vacationes cit. sess. 24. cap. 12. de Reform, subdit tamen: *Sahis nihilominus earum Ecclesiarum constitutionibus quae longius S''rcitii tempus requirunt;* quod autem de constitutionibus dictum, de peculiari benefactorum placito intelligendum esse ex paritate rationis facile patet.

Accedit quod etsi Canonici per aliquot menses honestae récréation is causa a choro vacarent, atque ita respondentem praedii legati redditum amitterent, adhuc tamen singulis forte superesset quantum decenti eorum sustentationi sat est; siquidem praedii legati redditus qui in totum ad annuas libellas 8211 plus minus supputantur, singulis Capitularibus quotam praebere videntur libellarum circiter 525.

Quibus mature consideratis ad propositum dubium

*An et quomodo annuendum sit precibus Oratorum in casu.*

S. Congregatio Concilii respondit: *Negative in omnibus et amplius.*

QUARE COLLIGANT LECTORES

1. Non esse licitum Canonicis abesse a Choro neque per tres menses quando constitutiones Ecclesiarum suarum longius servitii tempus requirunt.

2. Multo minus licitum eis est a longiori servitio chorali abesse, cum ob servitium eiusmodi lucrantur distributiones speciales ea de causa a pia testatorum voluntate assignatas.

3. Nam velle distributiones eiusmodi lucrari, et servitium praescriptum non praestare, sapit animum parum iustitiae et religionis amantem.

# IURIS FUNERANDI ET EMOLUMENTORUM FUNERALIUM.

*Dic 27. Augusti 1864.*

*omg»eiulium facti. In quadam civitate alliae Dioecesis N. duae inter alias Paroeciae recensentur quarum una S. Elisabeth et altera S. Nicolao dicata. In paroecia S. Nicolai domicilium sibi constituerat quidam sacerdos nomine Nicodemus, postquam officio parochiali nuncium miserat, quo antesa functus erat; et in ea subita morte peremptus obiit die o" decembris 1861. Presbyter iste Missae sacrificium hora populo magis commoda quotidie celebrabat ad nutum Parochi et officialium fabricae in altera parochiali ecclesia S. Elisabeth, accepto ad hoc annuo stipendio. Quapropter huius Ecclesiae Parochus denunciava; Parocho S. Nicolai se ius h t bere ad ducendum et peragendum funus illius Presbyteri, utpote Ecclesiae S. Elisabeth servitio addicti licet in Parochia S. Nicolai domicilium habuisset. Cui Parochus S. Nicolai respondit, se, ne ex contentione scandalum oriretur, permissurum, ut funus in parochiali ecclesia S. Elisabeth persolvere tur, reservatis tamen iuribus, si et quae sibi competerent, ceu Parochus ipse etiam sub iuramenti fide, si opus fuerit, se testari paratum fuisse, S. C. Congregationi renunciavit.

Interim eadem die 7 decembris litteras dedit Episcopo, in quibus, enarrata facti serie, expostulabit: ut quamprimum sibi responsum daretur, eoquod paucis infra diebus funeralia locum habere deberent; quod responsum insequenti die 8 decembris obtinuit a Vicario Generali. Qui censuit ius esse Parocho S. Elisabeth funeralia peificere; ea ductus ratione quod defunctus Cleri huius Paroeciae partem fecerat; et exemplum adduxit in quo casus analogus sic resolutus fuerat.

Attamen eiusmodi responsum haud satisfecit S. Nicolai Parocho; sententiasque canonistarum ea super re exquirere coepit, easque sibi propitias unanimiter obtinuit.

Litteras quoque dedit ineunte mense martii 1862 S. Elisabeth Parocho eidem, ut suam de quaestione voluntatem et opinionem panderet. Hic vero sub die 10 mensis eiusdem respondit, se nullam emittere opinioneai in propositum: eoquod quum lis a tribunali Vicariatus penderet, ab eodem tractanda esset; se nil agere aut dicere ut uno potius quam altero modo resolutionem accipiat quaestio haec de re, quae primo accidit post huius saeculi initium et amice consilium praebere Parocho sibi scribenti ut a quaestione desisterei ne plurimae molestiae absque successu illi obvenirent.

Quum Parochus S. Nicolai comperisset iura sibi favere pei sententias Canonistarum quas acceperat; et ex adverso S. Elisabeth Parochum eadem iura agnoscere renuere, formiter petiit ab Episcopo iuridicam quaestionis resolutionem. Ast nil aliud obtinere valuit quam Vicarii Generalis privatam responsionem sub die 27 iulii 1862 his prope conceptam verbis: ad normam iuris communis etiam Canonicos titulares subesse debere iurisdictioni Paroeciae domicilii ; ast in Civitate illa consuetudinem obtinuisse contrariam, quam Clerum totum, ait, observare neque ullum Parochum minime cogitavisse in dubium revocare iurium eiusmodi legitimitatem, qua Capituli Decanus potitus est ex consuetudine. Haud acquievit huic V. Generalis opinioni Parochus, et instituit validius coram Episcopo pro sententia iuridica super funerandi iure et consequenti emolumentorum restitutione. Haud extare assertam consuetudinem dispositioni iuris communis refragantem in civitate illa quoad presbyteros, missae sacrificium in aliqua ecclesia celebrare solitos cum stipendio, demonstrare conatus est litteris ipsius Parochi S. Elisabeth, qui de ea nullimode mentionem fecit; quin imo asseruerit primum fuisse casum post hominum memoriam, super quem praesens lis orta est. Quoad casus nonnullos adductos in contrarium, in quibus nempe exequiae persolutae fuerunt non in Parochiali Ecclesia defunctorum ,

sed m ea in cuius servitio addicti erant; etiam istam consuetudinem **reiecit** dicens agi in eiusmodi adductis casibus de Cantoribus pro quibus Parochus domicilii assensum praebuerat. Praemisso etiam quod his in casibus facile a Parochis domicilii consensus praestari soleat cum exequiae cantorum gratis plerumque expleantur ab Ecclesia, cui serviunt ; prosequebatur animadvertens quod etsi pro cantoribus aliisque in locis a Vicario notatis consuetudo existeret, quippe quae esset contra ius et in re odiosa extendi non posset de persona ad personam eoque minus de loco ad locum.

Sed inter haec elapso unius anni intervallo, cum iuridicam super exorta controversia sententiam, iteratis etiam officiis , Parochus S. Nicolai non obtinuisset, Beatissimo Patri preces obtulit die 4 iulii 1863, et de non reddito sibi iure conquestus, petiit ut quaestio inter ipsum et Parochum S. Elisabeth orta ad iuris tramites dirimeretur, allatis etiam documentis et testimoniis ad rem facientibus.

Preces ablegatae fuerunt, Episcopo Parochi a S. C. Con • gregatione ; a quo eadem S. Congregatio rogavit scitu necessaria cum animi sui sententia ; simulque percontata est quare non fuerit ab Ordinario prolata in forma iuris sententia super enunciata controversia. Transmisit quidem Episcopus animadversiones Parochi S. Elisabeth; at siluit omnino super non prolatae sententiae causis et a quolibet animi sui sensu aperiendo penitus abstinuit.

## **Disceptatio synf»|»tic».**

EA QUAE PAROCHI S. ELISABETH FAVORE PROSTANT. Parochi! ^ S. Elisabeth animadvertebat quod, sequutus sententiam quorundam Canonistarum affirmandum clericos Beneficiatus absque sepulturae electione decedentes in Ecclesia sui beneficii fore sepeliendos, facile ostendi possit Presbyterum Nicodeinum, nisi verum Beneficiatum in sensu iuris, certe tamen Beneficiatorum iuribus et oneribus espective \ raegravatum fuisse quoad Parochialem ecclesiam S. Elisabeth; ita ut debuerit in ea sepeliri. Id ut suaileret praemonuit, post deplo-

randam cladem, qua tum in Gallus, tum in Belgio, tempore gallicanae perturbationis et occupationis antiqua simplicia beneficia extincta fuerunt, nonnullas fundationes quarum bona adhuc inalienata permanserunt restituías fuisse a Gubernio Fabricis Ecclesiarum ad quas olim attinebant, firma remanen • te adimplementum onerum obligatione. Quod favore etiam fabricae Ecclesiae S. Elisabeth peractum fuisse enarravit, quinque recensitis antiquis fundationibus eidem restitutis. Arguta deinde ratiocinatione animadvertebam sacerdotes, qui *habituait* dicuntur, praedictis oneribus sive missarum, sive divinorum officiorum adimplendis electos (qualis erat praefatus Nicodemus -respectu Ecclesiae S. Elisabeth) non minus arcte Ecclesiis, in quibus beneficia olim existebant devinctos esse, quam antiqui Beneficiati; licet ipsi Presbyteri proprie dicti Beneficiati non sint. Ex quo arguit, quod Sacerdotes *habituati* quantum fieri potest in Parochia, cui adscripti sunt, residere teneantur, nec alibi domicilium habere possint, nisi de consensu eorum, quorum interest, vel de Ordinarii licentia (uti cum Presbytero Nicodemo peractum fuisse arbitratur) ; iique praeterea ex obligatione in praedictis Ecclesiis divinis officiis intersint, Sacra Mysteria celebrent et Ecclesiastica Sacramenta recipiant.

Quae quidem omnia dum viveret praestitisse, autumavit, Sacerdotem Ni eodem um Ecclesiae S. Elisabeth, cum ex Beneficiorum illius Ecclesiae reditibus sustentaretur, missas pro fundatoribus ibi quotidie perlitaret, et in Choro divinis officiis cum reliquo clero interesset, sub oculis et absque ulla querela Parochi S. Nicolai.

Merito idcirco in Ecclesia S. Elisabeth eumdem fuisse sepultum contendit ad textum in *Cap. 2, cum quis de sepulturis in 6* et allata auctoritate Ferraris qui Voc. *Sepultura* n. 71 aperte docet. Bénéficiâtes cum onere residendi decedentes sine electione Sepulturae et sepulchro maiorum carentes, sepeliri debere in Ecclesia Beneficii vel residentiae, non vero in propria Parochia, chaos hac super sententia, quam communem appellat, innumeros auctores quos inter R arbosam ,

Pirli mg, Reiffenstuel; quam maxime enim decet ut fideles in ea sepeliantur Ecclesia, in qua caelesti pabulo reiiciebantur; et ita iuxta Apostolum sint consolationum socii, ubi fuerunt passionum.

Propitius deinde ad speciem affert Van-Espen tit. 28 *de scpultwis cap. 3* num. 18 ubi ait << *quotidiana praxis consona, quae respecta Bénéficiât ovum reputat propriam ecclesiam, cui sunt per Beneficium incorporati, atque in ea sepeliri volunt si commode fieri possit, tametsi forsitan in alia Paeociua habitent.* » Idemque infei t ex dispositione Statutorum Dioecesis Tornacensis anni 1761, in quibus proposito casu X « *quis pastor habet ius ad sepulturam Beneficia forum qui obligantur ad residentiam, et iii alia Parochia commorantur* » responsum datum est, ius competere pastori Parochiae beneficii, non vero domicili.

Dispositioni huic, subiunxit, accedit et observantia; quam confirmare studuit ex casibus connexis et aequiparatis , mutuatis a Civitate Tornaci et aliunde. Ostendit enim consuetudinem esse in illa civitate Cantores Sacristas et *Bidellos,* qui laici non sunt, in Ecclesia, cui inserviunt, Sacramenta etiam in Paschate recipere, ibique sepultura n habere , etsi in alia parochia domicilium habe mt. Et ita conclusit « *non enim alia de causa cantores et alii laici in Ecclesia cui adscribuntur, sepulturam recipiunt, nisi quia ei ecclesiae* ***sei****-vitidm praebent; porro Sacerdotes habituafi longe praestantius et magis continuum praebent Ecclesiae suae servitium; a fortiori ergo in sua Ecclesia sepulturam obtinere debent.* » Quod vero excipitur a Parocho S. Nicolai veniam in dictis casibus a Parocho domicilii fuisse petitam, id tribuendum existimat actui urbanitatis mere gratioso; vel ad summum necessariam esse licentiam ad cadaver exquirendum et funus ducendum intra limites alienae Paroeciae. Postquam vero haec pro sui iuris tuitione disseruerit Parochus S. Elisabeth, in casu de quo agitur exceptionem opposuit rei iudicatae, ita ut nequeat amplius de re disputari. Asseruit enim onlro\eisii.e definitionem utrimque iudicio et arbitrio Episcopi fui. e

commissam: cumque per suum Vicarium Generalem Episcopus quaestionem vi consuetudinis definierit favore Parochi S. Elisabeth, in eaque Ecclesia funus et sepultura Nicodemi reipsa locum habuerit, rem actam esse, ait, et e limine fore reiiciendum Parochi S. Nicolai recursum.

EA QUAE FAVORE PAROCHI S. NICOLAI ALLATA FUERUNT. In primis observatum fuit nullam haberi posse rationem de eiusmodi exceptione, eoquod ex factorum historia, documentis comprobata, nullimode constat de compromisso; sed insuper satis pateat et contrarius animus Parochi S. Nicolai saltem ex querelis altera post Nicodetni obitum die subsecutis et petitionibus ad Episcopum pro iuridica rei definitione. Hoc praemisso ita ratiocinari coeptum est. Iuris est regula generalis Christi fideles sive laicos, sive clericos decedentes absque electione sepulturae, et sepulchro maiorum in parochiali ecclesia sepeliri debere, ubi officia consueverunt audire divina et ecclesiastica recipere Sacramenta, *ex cap. 12 et 3 de sepuft. et cap. 2 eiusd. tit. in 6* quam regulam confirmant passim auctoies quos inter Barbosa de offic, parodi, part. ?> cap. 27 n. 1. Card. De Luca de Parodi, disc. 27 n. 2. 3. Et Ferraris V. *Sepultura n. 68. et 69* ait « *Clerici ei Presbyteri decedentes non electa .s<pidtura. sepeliendi sunt in Cathedrali si ibi adsit* **sepultura** *propria, separata pro Presbyteris et Clericis, etiam non ait nto Sepulchro Maiorum. Si vero non adsit in Cathedrali sepultura propria separata pro Presbyteris et Clericis, Clerici et Presbyteri decedentes sine electione sepulturae sepeliendi sunt in Sepulrhro maiorum si habeant, et si non habeant in propria Parochia. Et ratio est quia iura nihil speciale de eis statuunt, adeoque est discur r cndum de eorum sepultura , ac de sepultura Cat/tolicorum Saecularium, cum ubi ius non distinguit neque nos distinguere debeamus.* »

Indubitatum praeterea est ius sepeliendi suos Parochianos recenseri inter iura parochialia; proindeque etiam ius faciendi officium funebre super cadaveribus spectare debet privative tamquam connexum et ab eo dependens ad Parochum.

Etsi non defuerint Auctores, quos inter Ferraris loco cit. n. 71 et alii qui eam amplexati fuerunt sententiam ut Clerici seu Presbyteri alicuius Ecclesiae servitio addicti titulo tamen beneficii residentiali, eoque perpetuo in Ecclesia beneficii sepeliri debeant: cum arctius sit illis vinculum cum ecclesia in qua residere tenentur, ibique divina audiunt et sacramenta percipiunt , quam cum Parochia ubi lares tantum habent ; << *Clerici beneficiati* » ibi « *cum onere residendi, tam simplices, quam Curati décédantes sine electione sepulturae et carentes sepulcro maiorum, sepeliri debent 'in ecclesia sui beneficii et residentiae et non in propria Parochia.* » Omnes tamen consentiunt ad hoc requiri duas praefatas conditiones, titulum videlicet beneficii residentialis , eumque perpetuum. Tertiam praeterea conditionem omnino necessariam statuit ad nativum parochiae ius infringendum, maxime post Concilium Tridentinum parochiarum divisionem certis finibus praecipiens tum S. Rota in magistrali *decis,* in Hydruntina sepulturae 27 novembris 1713 cor. Arnaldo, tum saepissime et constanter S. C. Congregatio, quod nimirum in Ecclesia beneficii peculiare et distinctum adsit sepulchrum pro Canonicis aliisque beneiiciatis destinatum. Id quidem praeseferunt tam antiquae, quam novae S. C. C resolutiones; quas inter recolere liceat praecipuas *in Narnien 16 septembris 1677* in Tiburtina 12 maii 1685 aliisque innumeris. Et quia compertum erat nullum adesse sepulchrum pro Canonicis Collegiatae Clavari peculiariter extructum in *Ianuen* 24 iulii 1827 S. Congregatio resolvit Canonicum decedentem extra parochiam Collegiatae sepeliendum esse in Parochia domicilii. Planum igitur esse videtur quid sit in praesenti themate statuendum ; cum non modo sepulchrum illud separatum et distinctum haud extet, sed etiam exulare videatur in Nicodemo qualitas Beneficiati, cum potius ad simplex Missarum officium persolvendum electus dici queat in Ecclesia S. Elisabeth , et quidem *amqvibiliter* ad Parochi et officialium fabricae voluntatem; de piorum enim legatorum (hoc enim audiunt fundationes ita dictae) satisfactione tantum agebatur.

A<1 consuetudinem vero quod attinet obiectam in contrarium, controverti profecto nequit de illius valore etiam in hac funerum et tumnlationum materia si rite sit introducta, praescripta, atque probata, *ex cap. 1, 4, 6, 15 et 18* de praescriptione et tradit Piringh h. tit. 22 quae si non probetur bonum ius fave i Parochis; eoquod ipsi habent iuris adsistentiam in tumulatione istorum carentium sepulcro maiorum decedentium sine electione sepulturae. Attamen consuetudinem alleganti onus incumbit eam concludenter probandi ad text *in cap. 1 de py ae scriptione* in 6. Barbosa ad hoc *cap.* quia nimirum consuetudo in facto consistit, ut ait Bonifacius VIII *in cap. 1 de constit, in 6.*

Cum dein agatur de iure alieno praescribendo-et ius commune praescribens resistat, ultra actuum frequentiam tempus ad praescribendum vel annorum quadraginta cum titulo vel tempus immémoriale, necessarium putant passim DD. *ex cap. 1 de praescripi.* in 6 et prae caeteris Barbosa ei Schmalzgrueb. *loco nuper cit.* Ferraris V. Praescriptio n. 9 et 10.

Tandem quia huiusmodi consuetudo odiosa est ut ait Card. De Luca de Benef. disc. 30 n. 11 et 12 et Barbosa ad cap. 18 de praescript. n. 4 hinc eam esse stricti iuris et tantum habere de potentia quantum habere de usu et actu ; ita ut extendi nequeat de loco ad locum, de persona ad personam aut de casu ad casum etiamsi concurrat identitas imo et maioritas rationis ; sed probandam esse in specie et in individuo docent Card. De Luca de Benef. *disc. 30 n. 12 et de feud.* disc. 53 n. 4. Schmalzgrueber lib. 1 n. 1 tit. 4, 18.

In specie vero super materia funerum recolenda est resolutio S. Congregationis in Eugubina 2 aprilis 1729, in qua contendente Capitulo Cathedralis et simul parochialis Ecclesiae ius pri vati vum administrandi sacramenta Clericis et Sacerdotibus infirmis in aliena parochia commorantibus ex perantiqua consuetudine in Synodalibus statutis anni 1637 agnita insuper et confirmata, S. Congreg, ad Dubium, *An Parocho Ca • tlted ralis Euyubii* Urit *um sit subministrare Sacramenta quibuscumque Clericis et Sacerdotibus infirmis, et in alie-*

*nis Parochiis commorantibus, etiam privative ad proprium. Parochum domiciliarium respondit « Negative et spectare privative ad Parochos domiciliarios et amplius. »*

Haec quae notata fuere prae oculis habenda sunt ad agnoscendum quid vel quantum obiectae in contrarium consuetudini sit tribuendum, quippe quae non modo nec probata nec pacifica videatur; sed dato etiam quod esset plene probata extendenda foret de loco ad locum et de personarum genere ad genus diversum, de Cantoribus videlicet et Sacristis cid Presbyteros.

Haec quoad primum dubium. Alterius autem resolutio pendere videtur a primi resolutione: ita ut si iudicatum fuerit funus et tumulationem Nicodemi spectasse ad Parochum domicilii, consequetur emolumenta funeris percepta Parocho S. Nicolai fore restituenda. Beneficia enim omnia occasione indebitae sepulturae recepta cum integritate esse restituenda praecipitur *in cap. 6 et IO de Sepult, in cap. 1 eiusd. tu. in 6.* Unanimiter consentiunt DD. et conformis , atque constans agnoscitur S. C. C. praxis; permultis enim in eiusmodi casibus una semper fuit resolutio, ut videlicet emolumenta funeris occasione percepta, integre restituerentur; ceu decretum fuit, omissis aliis, in *Tudertina 4 iul. 1792,* in Sorana *24 aprilis 1773* et in Viterbien. 10 maii 1766. Quae quidem regula adeo firmiter observata conspicitur ut in Callien. seu Urbinaten. Iuris tumul. diei 30 augusti 1817, etsi quaedam bona fides et boni iuris umbra concurreret in Parocho Dioecesis Urbinatis, qui funus et tumulationem peregerit cuiusdam sui Parochiani Sacerdotis, qui casu obiit in Parochia Dioecesis Calliensis , in qua sepulchrum maiorum eidem erat; minime obstante quod Parochus Urbinatensis Dioecesis faventes pro se constitutiones synodales et sepulcrum appositum pro Sacerdotibus in propria Ecclesia haberet, coactus est emolumenta restituere Parocho Dioecesis Calliensis , quia S. C. iudicavit de bono iure Parochiae in qua extabat Sepulcrum maiorum. Perpendendum nihilominus est utrum in casu, de quo agitur, a restitutione emolumentorum excusare

valeat Parochum S. Elisabeth sive opinio emissa a Vicario Generali cum asserta acquiescentia Parochi S. Nicolai, sive allegata in contrarium consuetudo.

His aliisque praenotatis proposita fuerunt enodanda sequentia

**Dubia**

**Ï.** *An et de cuius bono iure constet super funere et tumulatione Sacerdotis Nicodemi in casu.*

Et quatenus affirmative favore Parochi S. Nicolai.

II. *An et quae emolumenta occasione funeris percepta a Parocho Elisabeth sint restituenda in casu.*

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 27 augusti 1864, causa cognita respondere censuit.

Ad L *affirmative favore Parochi S. Nicolai,*

Ad II. *affirmative in omnibus.*

Ex QUIBUS COLLIGES

I. Presbyteros omnes et laicos catholicos decedentes sine electione Sepulturae et absque sepulcro maiorum ex iure communi sepeliri debere in propria Parochia.

II. Eximi solummodo a iure communi beneficiatos obtinentes titulum beneficii residentialis; eumque perpetuum ; si tamen in Cathedrali adsit etiam Sepultura propria et separata pro Clericis et Presbyteris

III. In themate nostro Sacerdotem Nicodemum omnibus destitui requisitis praenotatis; dum agatur de simplici Missarum officio persolvendo in Ecclesia S. Elisabeth ad nutum Parochi et Fabricae officialium.

IV. Aliquando ius nativum Paroeciae infringi etiam per consuetudinem in contrarium; dummodo ista rite introducta, praescripta et probata sit ab eo qui illam allegat.

V. Consuetudinem tamen esse stricti iuris; proindeque habere tantum de potentia, quantum de usu et actu; neque extendi posse de loco ad locum, de persona ad personam, de casu ad casum.

# IURISPATRONATUS

*Die 28 Martii 1874.*

**Compendium tfa«ti.** Die 13 Aprilis anni 1849 vacans efficiebatur Capellanis sub titulo B. M. Virginis erecta in quadam Ecclesia Archipresbyterali Dioeceseos A. per mortem sui titularis ; et ab hoc tempore usque ad annum 1865 viduata remansit suo rectore.

Attamen hoc vertente anno sub die 26 Iunii quidam Presbyter C. quum patronorum nominationem obtinuisset, institutionem petiit canonicam ; quam Episcopus antequam concederet , edicta de more affigenda curavit ad valvas ecclesiae Archipresbyteralis. Ex quo factum est ut Sacerdos P. et Marchionissa L. adiverint Curiam episcopalem per interdictum quod audit *nihil transeat* rogantes ne institutio petenti concederetur. Presbyter C. protinus in ius vocavit adversarios suos penes curiam Ecclesiasticam eum in finem ut interdictum eiusmodi removeretur. Marchionis L. interea, qui ex indulto Apostolico administrationem retinuerunt tum aliorum beneficiorum, cum praefatae Capellaniae a S. O. Congregatione indulti prorogationem petiverunt. Cum eiusmodi postulationi Presbyter C. oppositionem interponeret, decretum editum fuit ut causa poneretur in folio et peculiariter videretur quoad Capellaniam praefatam ; simulque Episcopus partibus congruum praefigeret terminum ad iura sua deducendum. Qua de re Curia episcopalis, quae iam in eo erat ut sententiam di • ceret quoad appositum interdictum, supersedendum duxit donec S. **C.** Congregatio controversiam dirirneret.

Interdum tamen etiam Clericus A. per libellum supplicem oblatum S. O. C. asseruit ius in Capellaniam ; et contendit sibi dandam esse institutionem; quae preces dimissae fuerunt

per rescriptum « *Lectum idque notificetur Episcopo* » qui iam retulit Clericum A. matrimonium iniisse post oblatas preces. Partes post haec parumper siluerunt; verum Presbyter C. iterum, precibus admotis, petiit ut controversia quoad Capellaniam tandem dirimeietur. Ex quo factum est ut causa disceptaretur in plenis EE. CC. comitiis ut definiretur an concedenda vel deneganda esset Marchionibus L. administratio, vel potius danda Presbytero C. institutio.

**Vjseegittt&io s» y applica.**

Ante omnia praemittebatur, ex officio, apud acta desiderari fundationis tabulas, quibus deraonstraretur quaenam fuerit pii testatoris voluntas, quoad patronos huius Capellaniae cum activos , tum passivos. Et nihil aliud proinde superfuisse in eiusmodi caligine, quam eius mentem colligere per argumenta aequipollentia. Iamvero quatuor Episcopales Bullae institutionis ad rem penes acta habentur ; quarum prima data fuit anno 1680, altera anno 1713, tertia anno 1737, postrema vero anno 1754; quaeque proinde spatium 74 annorum cumulatim amplectuntur. In istis autem constanter Capellania haec dicitur *de iuspatronatus laicorum familiae S.* Adesse insuper praesentationum acta, ex quibus erui datum est eos tantum, qui ad familiam S. sive per masculos sive per foeminam pertinebant patronorum iura exercuisse; solummodo anno 1713 et 1737 obiisse praesentandi munus, pro quarta vocum parte unum ex Marchionibus **L.** ceu donatarium cuiusdam foeminae quam haeredem instituerat quidam ex familia S. Verum quoad iuspatronatus passivum nullum indicium reperiri posse : et ex documentis duxisse eum semper obtinuisse institutionem, qui sacerdotali officio potiretur, quin aliquid obstaret utrum ad familiam **S.** pertineret, an potius extraneus foret. Neque ex actis dignosci posse quaenam sint onera huic Capellaniae inhaerentia ; sed tantum haud dubitari posse videtur iuspatronatus activum Capellaniae eiusmodi ad familiam S. pertinuisse.

**H o c** constituto, pronum est inferre aliquem sibi ius no-

minandi ad hanc Capellaniam vindicare po^se cum probaverit se ad familiam S. pertinere sive per masculinum sive per ibemi neu m latus.

Observabatur praeterea duos tantum esse qui hac in controversia patronorum iura sibi vindicare satagunt; nempe unus de Marchionibus L. pro se et suis, alter Ecclesiasticus C. pro sua familia. Relate ad primam observatum fuit, quod si recoli memoria libuerit quatuor status, de quibus supra, apparet anno 1713 et 1737 praesentationis iure pro quarta vocum parte usum fuisse quemdam e Marchionibus L., ceu donatarium, ut dictum est, cuiusdam foeminae quam haeredem fecerat unus de familia S. Cum autem iuspatronatus ex donatione in aliquem, assentiente Episcopo, transmitti queat, in id enim omnes Canonistae conveniunt, iam patet ipsum qui a Marchionibus L. suum ius derivare asserit in patronorum numerum referri debere. Ex arbore genealogica insuper quam pars contraria pro suo tuendo iure exhibuit, erui licet quamdam Pudentianam S. matrimonium iniisse cum quodam e Marchionibus L.; proindeque eum qui ab isto ortum ducere dicit, nemo inficias iverit inter Patronos cooptandum esse. Denique facto constat Marchiones L. administratione huius Capellaniae potitos fuisse per plures annos ex Pontificis indulto; hoc autem eos esse patronos omnino demonstrat: siquidem ex praxi patronis tantum hoc privilegium conceditur. S. Congreg, *in Segovien. Capellanis 17 Novembris 173i, in Aseulana dispensationis 20 Me it 1786', in Aquen. Capdhmiae 3 Februarii 1787, in Civitatis Plebis 23 Decembris 1826* et alibi passim. Neque obstaculum ponere potest Ecclesiasticus C. aut eius familia ; hanc enim numquam huiusmodi patronatus iure fruitam fuisse patet; et si aliquando hoc ius habuit profecto illud amisit, eoquod per diuturnissimum temporis spatium numquam exercuit.

Ecclesiasticus C. ex adverso ea quae sequuntur adnotavit. Per arborem genealogicam, quam typis impressami exhibuit, demonstrare conatus est se nepotem esse cuiusdam Vincentiae de familia S. ideoque succedere in ipsius iura. Probare itidem

nisus est familiam suam derivare e gente S. ac proinde ad eam iuspatronatus in themate transivisse ; et nihil obstare subdit familiam suam nominationis iure numquam usam fuisse. Siquidem ignorantiae invincibili id tribuendum sit, cum series praesentationum et institutionum ante hunc diem inveniri nequi erint. Accedit insuper quod ab anno 1754 nulla nova praesentatio locum habuit, eo autem tempore nondum fortasse ius praesentandi meae familiae (ait) inhaerebat. Denique usum iurispatronatus facultativum esse, ideoque contra ipsum non decurrere praescriptionem ad tradita per Piton, de controv. patr. alleg. LXVI num. 30 et 32 ubi ait : *et hoc acta negativo non remansit deperditum iuspatronatus cum praesentare sit actus facultatum per cuius omissionem non amittitur ius praesentandi, nisi concurrente contradictione cum acquiescentia subsecuta ut firmavit Ruin. cons. 50 num. 10 p. 5. rec. coram Arguell. decis. 115 n. 8, et 9 eorum Priol. decis. 46 num.. 13.* Concludit itaque ad familiam suam iuspatronatus in themate unice pertinere : ipsam enim e gente S. derivare arbor genealogica perhibet. Quod si admittere placeret, prosequebatur, etiam ad familiam Marchionis L. spectare, oporteret ut id ab ea probaretur. Verum etiam hoc paulisper admisso, illud unice concludi posse, aiebat, iuspatronatus in themate nonnisi pro minimis partibus ad eam pertinere, in reliquis autem ad familiam suam.

Gradum faciens autem ad secundum caput observabatur Presbyterum C. petiisse institutionem, seu potius institutionis actum , iam ab Episcopo in sui favorem inceptum, et per inhibitionem oppositam suspensum, iudicio S. C. absolvi postulasse. Eius preces exaudiri debere nedum iurispatronatus pertinentiam sed et ipsius Capellaniae naturam declarare. Ex iam dictis enim fluit ius eiusmodi ad eius familiam unice spectare ; et ad aliam nonnisi de minimis partibus ad summum pertinere. Hoc posito ipsi dandam esse institutionem nemo non videt. Asseruit enim Presbyter C. se nominatum fuisse et praesentatum ab omnibus suae famuiae patronis, et unicum fuisse ecclesiasticum qui superfuit. Et ideo quoque ex hac parte sibi

institutionem unice competere, quandoquidem Capellaniam in themate qualitatem ecclesiasticam praeseferre ambigi haud posse videatur. Scitum est enim apud canonicarum rerum Tractatores ad constituendam beneficii ecclesiastici qualitatem duas tamquam essentiales conditiones requiri ; quarum primam esse ut in fundatione episcopale canonicae erectionis decretum intercesserit ; alteram vero ut in Capellaniae collatione Bullae canonicae institutionis expediri debeant. Reiffenst. lib. 3. tit. 5. num. 17. S. C. Ep. et Reg. in Aesina Capellaniae 18 Iulii 1851. Primum enim illud efficit ut quae bona antea in civili commercio erant, post decretum erectionis destinata in ecclesiasticum usum, non amplius in commercio civili sint, sed inalienabilia uti ecclesiastica sint habenda. Bullarum autem expeditio facit ut nullus nisi clericus canonice institutus in eiusdem capellaniae possessionem immitti queat. E contra in Capellaniis laicalibus, quoniam legatis piis accensentur, satis est ut accedat actus Episcopi, quo in scriptis mera ac nuda capellaniae acceptatio fiat, iuxta ea quae ad formam Constitutionum Apostolicarum docet Benedictus XIV de Syn. Dioec, lib. 13 cap. ult. num. 10. Ut earumdem autem possessio legitime acquiri queat auctoritatis ecclesiasticae interventus nequaquam praescribitur, sed sufficit ut possessio per acta notarii, iuxta legum civilium sanctiones adeatur. Hisce positis etsi non liqueat ex actis utrum intercesserit Episcopale decretum in erectione Capellaniae, de qua agitur, attamen cum illius collationis episcopales Bullae perpetuo habitae fuerint, erui posse videtur illud in fundatione non defuisse, ideoque praefatas conditiones pro beneficii ecclesiastici qualitate adstruenda verificari. Insuper aliud argumentum ex eo colligitur quod institutio huius Capellaniae ecclesiasticis tantum personis et quidem Sacerdotibus hactenus concessa fuit. Quamobrem concludi posse edicit iuspatronatus in themate ad familiam Presbyteri O. pertinere, ipsique utpote ecclesiastico unico a patrinis praesentato institutionem esse concedendam.

Hisce vero minime obstantibus Marchio L. ipsi unice competere iuspatronatus insistit, eoquod per longissimi temporis

spatium, illud sola eius familia exercuit ; ideoque etsi ad familiam Presbyteri C. ab initio peitinuisse dicere placeret, illud per non usum tanti temporis amisit. Hinc admissa etiam qualitate ecclesiastica controversae Capellaniae ex aequitate administratio ipsi concedi deberet. Et revera nihil aequitati magis consonum, et penes S. Sedem nihil antiquius quam pauperibus patronis suppetias ferre modo onerum reductione, modo aetatis dispensatione, modo denique nominationis suspensione, et beneficii administratione. Idque eo vel magis quia huiusmodi administrationem iugiter Marchiones L. habuerint.

Hisce perpensis sequentia proposita fuere dirimenda

liai Ilia.

I. An et cui competat iuspatronatus in casu ?

II. An Capellaniae institutio danda sit Presbytero C., seu potius concedenda sit administratio Marchioni L.

RESOLUTIO. — S. Congregatio Concilii die 28 Martii 1874, causa cognita, respondere censuit :

Ad I. Affirmative favore descendentium familiae S.

Ad II. Negative ad secundum.

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Duplici modo procedi posse ad dignoscendum quis succedere debeat in iuspatronatus tum activo , cum passivo; nempe per fundationis tabulas, si adsint; si autem desint, per argumenta, quae audiunt, aequipollentia.

II. Canonistas in eo convenire quod per donationem transmitti possit in alios iuspatronatus, dummodo Ordinarii assensus non desit.

III. Ad probandum iuspatronatus super aliquo beneficio argumentum desumi etiam ex facto ; ut puta, si cui a remoto tempore ex indulto pontificio beneficii illius administratio concessa fuerit ; dum ex praxi privilegium eiusmodi patronis concedi tantum soleat.

IV. Ad constituendum Beneficium ecclesiasticum duo essentialiter requiri ; nempe ut in fundatione adsit Episcopale decretum canonicae erectionis: in collatione vero ut expediantur Bullae canonicae institutionis.

# CIRCA MÍSS A M PRO POPULO

***Die 23 Ianuarii 1875.***

**Compendium facti.** Episcopus Dioecesis B. sub die 18 Maii 1874 Principem Sacratissimum supplici libello adivit exponens: *Cura parochialis in civitate B. eiusque suburbiis a remotissimis iam temporibus apud Capitulum Cathedralis Jiabitualiter residebat, cura actualis a Sacristis duobus in civitate et Suburbiis a sex Capellanis ab ipso Capitulo electis, exercebatur. Anno autem 1834 duae in civitate, sex vero in Suburbiis erectae sunt Paroeciae, quibus totidem veri nominis Parochi praeficiuntur , servatis tamen iuribus ad Capitulum pertinentibus. Porro tam ante, quam post huiusmodi paroeciarum erectionem, falsa circa celebrationem Missae p^o populo sententia invaluit, vi cuius, cum veteres Sacristae, et Capellani, tum recentiores parochi aut numquam aut raro perl da runt, rati per Missam conventualem , quae in Cathedrali ecclesia a. Parocho habituali seu Capitulo quotidie offertur, satis superque parochiale etiam onus expleri.*

*Idem abusus, prosequitur Episcopus, iisdemque innixus rationibus F. obtinet quoad ditos parochos , licet a tribus iam saeculis hae paroedac institutae fuerint, et Capitulum Catiiedrale nudamparodti habitualis appellati nem retinuerit.*

*Quae omnia cum stare nequeant, ut in posterum provideatur, Orator adprecatur expostulans 1° ut in favorem modernorum octo parochorum B. duorumque Dioecesis F. tum eorum omnium, qui anteacto tempore parochi vel oeconomi munus in iisdem Ee -lesiis obierunt, super praeteritis omissionibus absolutio concedatur. 2° ut ad levamen tum eorumdem modernorum decem parochorum, qui onus haud*

*leve carenili eleemosyna festis diebus pro missae applicatione nunc pri aio suscipiunt, quique omnes, temporum praesertim conditione spe. tata, tenui beneficio fruuntur ; tum eorum qui intra septennium eisdem in oeconomi aut parochi munere successerint, obligatio Missam pro populo offerendi ad dies tantum dominicos, Apostolica auctoritate coarctetur ac reducatur.*

Hisce habitis precibus rescriptum editum fuit: *Per Summaria precum.*

**Disceptatio synoptlca.**

Ea quae sequuntur ex officio adnotata fuerunt: Nempe ex enarratione facti constare duo per Episcopum efflagitari idest I° absolutionem super praeteritis Missis pro Populo non celebratis: 2° Reductionem in posterum Missae pro Populo ad solos dominicos dies. Attamen contra eiusmodi preces videntur afferri posse quae a Concilio Tridentino praescripta legimus *Sess. 23 Cap. 1 de Reform.,* ex quibus dubio procul liquet omnes animarum pastores teneri ad celebrandum pro ovibus suis, et hoc de iure divino esse eis impositum. Quae verba sic se habent : « *Cum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.* » Eiusmodi obligatio cum generalis et indeterminata sit, a iure ecclesiastico determinata et coarctata fuit ad omnes dies dominicos et festos , quibus fideles Missam audire debent. Id patere luculentissime tum ex variis S. C. declarationibus in Pistorien, et Praten. 14 Februarii 1699, quae adprobata et confirmata Mt ab Innocentio XII peculiari Brevi diei 24 Aprilis dicti anni, quod incipit - *Nuper* - tum praesertim ex Constit. Bened. XIV. *Cum semper oblatas* diei 19 Augusti 1744 (1). Obligatio eius-

(1) BENEDICTUS XIV IN CITATA CONSTITUTIONE SIC SE HABET: « ET QUIDEM QUOD » NUPER ENUNCIAVIMUS , SACROSANCTUM » MISSAE SACRIFICIUM A PASTORIBUS ANIMA- » RUM APPLICARI DEBERE PRO POPULO IPSO- » RUM CURAE COMMISSO, ID, VELUTI EX DI- » VINO PRAECEPTO DESCENDENS A S. Tri- » DENTINA SYNODO DISERTE EXPRIMITUR » SESS. 23. CAP. 1. DE REF. PER HAEC NO- li TABILIA VERBA:-CUM PRAECEPTO DIVINO » MANDATUM SIT OMNIBUS, QUIBUS ANI- V MARUM CURA COMMISSA EST, OVES SUAS

modi adeo gravis et efficax in Ecclesia Dei semper habita fuit, ut pastores curam animarum gerentes teneantur Missas pro populo celebrare etiam in festis, in quibus, firma manente obligatione audiendi Missam, permissum tamen Christifidelibus est opera servilia exercere. Hac de re recolere praestat quid in §. VII. memoratae Constitutionis praescripserit Benedictus XIV. « ibi » *Et quia in n nn ulli s Dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto, de Apostolica nostra auctoritate et consensu eatenus est imminutus ut nempe in aliquibus festis Christifideles et Missam audire et ab ope • ri bus servilibus abstinere debeant; in aliis vero populo permissum sit opera seroilia exercere, firma remanente obligatione audiendi Missae sacrificium ; Nos ut obortae iam dubitationes circa onus applicationis Missae parochialis in huiusmodi diebus festis penitus eliminentur , statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus Missae interesse debet, et servilibus operibus vacare potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro Populo celebrare et applicare teneantur».*

Quae autem in memorata Constitutione statuta sunt extendi etiam debent ad dies festos in posterum a Pio VI absque ulla limitatione suppressos; quia S, Pontifex in supprimendo illa festa prae oculis tantum habuit illis (diebus fideles ab obligatione audiendi Missam et abstinendi ab operibus servilibus eximere; non vero onera parochos períingentia relaxare. Quare obligatio Parochi celebrandi pro Populo, quemadmodum ante Benedictinam limitationem , et imminutionem a Pio VI peractam , ita nunc urget et est in vigore , ceu patet ex non-

» agnoscere, pro his sacrificium offerii re....-Et quamvis minime defuerint, » qui per inanes et frivolas interpre- » tationos huiusmodi obligationem a *n* S. Syaodo menoratam de medio tol- » 1ère yel s*ltem extenuare contende- » rint: cum *°/mea relata Concilii verba » satis clara et perspicua sint, cumque » praedicta Congregatio eiusdem Con- » cilii interpretationi privative propo- *n* sita consti»"*"" edixerit, eos, quibus » animarum cura demandata est, non •*n* modo Sacrificium Missae celebrare, sed » illius etiam fructum medium pro po- » pulo sibi commisso applicare debere, » nec noa illud pro aliis applicare, aut » pro huiusmodi applicatione eleemo *y*> synam percipere posse ; quodque ma- » gis interest cum haec intelligentia » a praedecessoribus Nostris Romanis » Pontificibus approbata f auri* <t con- » firmata. •>

nullis declarationibus S. Poenitentiariae, quae ab auctoribus onerum moralium collectae et relatae sunt.

Huiusmodi vero onus animarum curam gerentes pertingens adeo firmum semper retentum fuisse, ut eorum preces semper a Summis Pontificibus reiectae fuerint, nulla habita ratione ad tenuitatem congruae , quam ipsi ut rationem ad gratiam implorandam deducebant. Re enim vera audiatur Benedictus XIV in pluries citata et percelebri Constitutione *Cum semper oblatas* § 8. « *Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus aliquos esse parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur— idcirco nos istorum inopiam summopere miser antes, eisdemque , quantum nobis integrum est consulere volentes. . . . . .unicuique vestrum facultatem concedimus cum iis , quos revera tales esse noveritis opportune dispensandi ad hoc ut etiam diebus festis huiusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare, quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant— ea tamen adiecta conditione ut tot Missas infra hebdomadam pro Populo applicent, quot in diebus festis infra eamdem hebdomadam occurrentibus iuxta peculiarem intentionem alterius pii benef actoris obtulerint* ».

His tamen iuris regulis non obstantibus, rationum momenta, quae ab Episcopo in supplici libello prolata sunt, tanti esse videntur, ut eius petitiones excipi posse viderentur. Sane quod attinet ad absolutionem elargiendam super anteactis Missis pro Populo omissis, tum bona Parochorum fides, tum etiam eorum grave damnum id suadere videntur. Enimvero quod militet bona fides satis superque eruitur ex ipsius Episcopi verbis, qui ait: « *falsam circa celebrationem Missae pro Populo invalui ss e huc usque sententiam deprehendit Orator..,. Parochi eamdem Missum aut numquam aut raro perlitarunt, rati per Missam conventualem quae in Cathedrali Ecclesia a parocho habituali, seu Capitulo quotidie offertur, satis superque parochiale etiam onus impleri*». Quod autem grave damnum eis obveniret, si preces in themate non exci-

perentur, id luculenter ex eo apparet, quod ipsi eas omnes Missas pro Populo nunc celebrare tenerentur, quas pei- tot annorum congeriem singulis diebus festis applicare omiserunt. Quod quam grave illis foret, nemo est, qui non videat: praesertim habito respectu tum ad beneficiorum tenuitatem , qui bus ii Parochi fruuntur, tum ad temporum exigentias et angustias, quibus fit ut vitae sustentatio difficilior evaserit ob annonae caritatem.

Ratio postrema haec tanti ponderis esse videtur ut nedum absolutio quoad praeteritas omissiones indulgeatur, sed etiam ut in posterum Missae pro Populo ad solos dominicos dies reducantur. Sane explorati iuris est eleemosynas Missarum ideo introductas esse ut suppleatur sustentationi Sacerdotum: id cum D Thoma docere communiter Theologos et Canonistas ut videri potest apud Bened. XIV *de Synod. Dioec. lib. 5 cap 8 B.eiffenst. lib. 5 decret, tit. 3 de Simonia, 10 n. 185 et seqq.* Quare si congrua parochialis tanta est. ut ad Parochorum sustentationem, et ad onera suo ministerio adnexa adimplenda satis non sit; novum in iure non est quod recur sus fiat ad Missarum eleemosynam ut eorum sustentationi provideatur, ad evitandum turpe spectaculum quod parochi et alii animarum curam gerentes negotiis non convenientibus vacent ut sibi necessaria comparent.

Ex altera vero parte si augendi congruam spes non appareat nec sint legata aut alia onera quae reduci possint, aequum esse videtur aliqua mitiori provisione cum iis parochis agendum esse, deveniendo scilicet ad aliquam dictorum Decretorum moderationem; scitum cum sit quod qui altari servit, de altari vivere debet; et bovi trituranti os claudendum non est.

Tandem Benedictus XIV in pluries laudata Constit. , loquendo de obligatione quam habet Capitulum satisfaciendi Missae conventuali pro animabus piorum benefactori! m, eam comparat cum Missis, quas parochus tenetur applicare pro Populo, ad easque refert. Iam vero haud raro factum est, ut propter insufficientiam, aut propter supervenientes reddituum tenuitatem aliasque iustas causas ad reductionem Missarum conventualium de approbatione et auctoritate S. C. Congrega-

tionis üeventum sit. Pari hinc ratione ad huiusmodi temperamentum in themate deveniri posse videtur, cum iusta, legitima et rationabilis causa praesto sit ab Episcopo in suis precibus exposita. Quapropter nedum absolutio super praeteritis Missis non celebratis sed et onus celebrandi Missam pro Populo ad solos dies Dominicos ut reducatur, indulgen posse videretur.

Hisce hinc inde praeiactis propositum fuit sapientiae ac religioni EE. CC. ut décernèrent quod animarum saluti magis expedire censuerint.

RESOLUTIO

Sacra Concilii Congregatio die 23 Ianuarii 1875, causa cognita respondere censuit:

*Celebrata una Missa a singulis Parochis pro gratia absolutionis quoad praeteritas omissiones; quoad vero futurum pro gratia reductionis applicat" n>s Missae pro Populo ad dies dominicos, aliosque festos in loco actu de praecepto ad septennium facto verbo cum SSmo.*

EXINDE COLLIGES:

I. Parochos nullimode declinare posse onus applicandi Missam pro Populo neque consuetudinis vi neque paupertatis causa.

II. Realem et personalem eiusmodi obligationem dici posse: ita ut si causa interveniat canonica, aut necessitas, quibus Parochus per se applicare nequeat Missam, per alium applicare eam teneatur.

III. Obligationem hanc diebus dominicis et festis Parochos urgere, neque transferri posse in alios dies, nisi ex causa legitima, aut ex indulto pontifìcio.

IV. Canonicos Ecclesiarum Cathedralium et Collegiatarum teneri *quotidie* ad applicandam Missam *conventualem* pro benefactoribus; neque excusari a contraria consuetudine, etiam immemorabili, **aut** a redituum ¿enlútate.

# EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARI UM
EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARI UM

## SUBSTITUTIONE.

*Anno 1874.*

**rom pen «linai fa«ti.** Iosepha Eleonora O. Archidioecesis F. ultimis quibus decessit tabulis diei 11 Novembris 1823 Sacristiam Monasterii S. Clarae haeredem instruebat praedii cuiusdam vulgo dicti Cascina cum sequentibus oneribus 1. scilicet, ut in perpetuum missa quotidiana in Ecclesia monasterii praedicti celebraretur pro anima sua atque parentum defunctorum a Capellano eligendo a Sanctimonialium Capitulo cum approbatione tamen auctoritatis Ecclesiasticae; 2. ut in Capellanum prae ceteris eligeretur tesiatricis consanguineus qui tamen esset vel Sacerdos vel in aliquo ordinum rnajoruni constitutus; qui postremus cum per se non posset missam celebrare, per alium huic oneri satisfaceret; 3.. ut monasterium Capellano sic electo quotannis libellas 500 persolveret pro eleemosyna missarum celebrandarum hora a sanctimoniales constabilienda; iis vero esset facultas Capellanum just is de causis, a Curia etiam Archiepiscopali cognoscendis, removendi; 4. ut ex abundantioribus praedii legati redditibus quotannis persol merent Sorori suae in eodem monasterio professae libellas 400; eaque defuncta, ex ejusmodi pensione missae 400 litarentur pro anima ejus; 5. ut perpetuo quotannis celebraretur Festum Patriarchae S. Ioseph illa majori solemnitate quae a Sanctimonialium Capitulo decerneretur.

Praevidens tamen pia mulier casum novae suppressionis Ordinum religiosorum, praefatae dispositioni sequentem substituit : *quavis de causa praedicto monasterio atque praedicta Sacristia cessante, ex b< n>s legatis erigatur Capella/***ita**

*in insignì Collegiata SS. Petri et Pauli civitatis C; e' ex iisdeni bonis dos constituatur.*

Patronatum activum, seu jus Capellanum nominandi conferebat Parocho pro tempore illius Paroecialis Ecclesiae cum iisdem oneribus supra recensitis.

Cum lege lata die 29 Maii 1855 aboliti religiosi Ordines fuissent, pia testatricis voluntas illico executioni demandata non fuit; qua de causa demanio dos Capellaniae fuit addicta, et monialibus constituta pensio libellarum 350 ad adimplenda Ecclesiae suae onera.

Die 24 Augusti 1873 Parochus Ecclesiae C. Episcopum certiorem reddebat de Capellaniae statu, adiungens, sibi ab anno 1855 jus fuisse Capellanum nominandi, id tamen praetermisisse tum quia ejusmodi suppressio ab Ecclesia improbantur, tum ne monialium doti a gubernio constitutae praeiudicium inferret, tum ut se judicio cujusdam iurisperiti accommodaret, qui adfirmabat, praedictam substitutionem ut fidecommissum habendam esse, proindeque a lege proscriptam, et nullius valoris.

Verum cum publicata fuisset lex diei 15 Augusti 1867 , qua a Gubernio de cetero non habebantur ut entia moralia Capellaniae iurispatronatus Ecclesiastici ant laicalis, ne gravius juribus suae Paroeciae Parochus vulnus indigeret, nominavi! Capellanum D Franciscum C. id animo cogitans, administrationem fundorum cultus cogi posse ad assignandam portionem necessariam pro onerum adimplemento, etsi per Capellani mortem Capellaniae bona fìsco essent addicenda ; quod perfici non potuisset si institutio cum monasterio fuisset extincta.

Die 13 Iulii 1867 rogatus notarius fuit pro actu nominationis, atque sacerdoti praefato ejusmodi onera imposita.

1. Celebrandi missam quotidianam diebus ferialibus summo mane, festivis circa meridiem in Ecclesia Collegiata urbis O.

2. Celebr ndi festum S. Ioseph solemniter.

3. Resarciendi Sacristiam Ecclesiae praedictae de iis omnibus quae pro celebrandis missis suppeditarentur.

4. Re^ar'iendi, de superioris Ecclesiastici judicio, Sancti-

moniales monasterii **S.** Clarae, de quolibet damno iis obventuro pro recuperando a Daemanio fundo in Capellaniae dotem.

5. Sustinendi aere proprio expensas necessarias ad litem gerendam pro fundi recuperatione.

His ergo conditionibus in realem Capellaniae possessionem Sacerdos Franciscus immissus est.

Capellanus illico ad administratores fundorum pro cultu ut dotem Capellaniae recuperaret se convertit; sed nihil obtinuit ; quare litem intentavit ; quam administratores veriti , praedictum Sacerdotem ut Capellanum ultro recognovere juxta legem diei 13 Iulii 1867. Rationibus confeci is assignatus Capellano fuit annuus redditus libellarum 1100 una cum libellis 6000 pro pensior.e quinquennio non percepta; ex qua fructuum restitutione obligatio satisfaciendi piis oneribus a die institutionis, seu captae possessionis oriri videtur, dato quod adimpleta non fuerint.

Archiepiscopus interea sub die 18 Octobris 1873 dedit huiuscemodi literas ad Capellanum C. *Dos hujus Capellaniae cons'ituebat partem dotis monasterii S. Clarae. Utique pia tes'a'rix voluit, ut monasterio cessante, ex bonis legatis Capel***la nia** *erigeretur; sed monasterium existit in faciem Ecclesiae; quod si coram statu civili non existit, id contingit ob causam, quam Summus Pontifex nullam declaravit, quasque proinde expoliare monasterium jure suo nequit. Verum est etiam causam illam uti legitimam judicatam habitamque fuisse ; sed ne dos a gubernio devoraretur. Paucis: erecta ex bonis monasterii Capellanía fuit, atque possessio Ecclesiastico collata ut hic coram civili magistratu jura monasterii tueretur.*

*Ecclesiasticus iste juxta leges latas incessit, atque a Gubernio libellas 1097 obtinuit a die captae possessionis compútalas, tum libellas plus minus 6000pro fructibus quinquennio non solutis. Ex quo juri conforme videtur, ut Capellanus, sibi compensatis expensis, summam reliquam sancti monialibus soleat ; quae summa dimidium, est fortasse sa .n.nae quam antea percipiebant.*

*fVtamcn Sanctimoniales praedictae eo consilio vertantur*

*ut Capellano dimittant libellas annuas 300, quolibet on°re liberas, dummodo reliquum ipsis restituatur, incipiendo a die 13 Iulii 1867; qua re valde Cappellanus contentus esse debet.*

Die vero 24 Octobris ejusdem anni Archiepiscopus iterum Capellano scribebat: *Ea in sententia per st o ut libellae 300 tibi oblatae quo sanctimonia tibiis conserventur annuae libellae 1093 satis tibi videri debeant, neque aequis conditionibus te oppositurum spero.*

Verum cum haec Capellanum non adeo moverunt, sub die 27 Octobris iterum scripsit Archiepiscopus, censuras eidem comminatus si parere recusasset. *ita agis, ut neque sancti* monialibus, neque Collegiatae per solvas quod jus exigit. In instrumento possessionis onus tibi assumpsisti celebrandi missam quotidianam hora adeo incommoda, ut pro tali onere satisfaciendo requirantur libellae 700, et tu vis persolvere libellas 350. Haec ab Episcopo ferenda non sunt; quare cum meo vicario generali, a'que advocato Fiscali negotium age, ne cum meo animi dolore Ubi suspensionem a dioinis i afligere compellar.*

Et reapse die 12 Novembris 1873 negotium coram Vicario Archiepiscopi generali pertractatum est, et ejusmodi rationes pro tuendis juribus suis a Capellano adductae, ex quibus Archiepiscopus intelligeret conditiones a se propositas graves esse.

1. Capellaniam fuisse legitime erectam juxta testatricis mentem, quae eam monasterio supprimendo substituit; quare se legitime investitum esse et judicari debere (1).

2. Sibi onus gravissimum assumpsisse eripiendi a Daemanio Capellaniae dotem, ut sine monasteri detrimento, cui persolvere semper volebat libellas 350 quae antea ipsi a Gubernio persolvebantur, Collegiatae Ecclesiae C. jus asservaret, quod in eo erat ut extingueretur, si tempore habili Capellania erecta fuisset.

3. Dotem ad dimidium redactam fuisse; justum proinde

(1) Einsmodi ratio a Capellano adducta adeo gïavis est ut fem conficiat.

esse ut etiam onera adnexa reducerentur, juxta redditum a Gubernio assignatum.

4. Tandem , monasterium esse non posse rationabiliter invitum si quod antea a Gubernio percipiebat in futurum a Capellano perciperet, cum hic tot ac tanta tulerit pro bonis monasterii recuperandis.

Vicarius generalis, auditis partibus, firmas hinc inde rationes animadvertit, quare quaestionem componere huiuscemodi studuit, ut a summa a Daemanio soluta id tantum distraheretur quod necessarium esset applicationi missarum; reliquum aequis divideretur partibus monasterium inter et Capellanum.

Capellanus compositionem acceptavit, tum Episcopo tum Vicario placere studens. Et interea Parochus supplices libellos Archiepiscopo porrexit 1. ut concedere dignaretur, ut pia onera quae in monasterio adimplenda erant, in Collegiata adimpleantur, 2. ut piorum onerum reductionem obtinere satagere!,, si compositionem acceptare putaret, juxta reddituum imminutionem.

Verum cum sub die 2 Decembris Vicarius generalis certiorem Capellanum reddidisset, propositam compositionem non esse habendam cum effectu litis finitae, sed si ab Episcopo respueretur ad nihilum reducendam , Capellanus ad Sacram Concilii Congregationem rem detulit, atque exposuit 1. se cum Archiepiscopo sentire circa legem a gubernio italo latam die 29 Maii 1855, eamque uti nullius valoris retinere; *attamen factum suppressionis etsi criminas um* cum a pia testatrice praevisum fuerit, eaque de causa Capellaniam substituent juxta leges canonicas et civiles , ne bona gubernium depraedaretur, Capellanía legitime erecta, et investitura legitime collata judicanda est.

2. Se numquam in ea fuisse intentione ut nomen tantummodo praestaret ad monasterii bona recuperanda; ob bonum tamen pacis, et ad scandalum quodlibet evitandum velle conditionibus a Vicario generali propositis annuere. 3. Suppliciter R. Pontificem rogare ut, visis videndis et. consideratis considerandis, sibi permittat assignatam pensionem retinere, pia onera reducere, ipsumque a censuris praeservare.

Interea die 17 Decembris 1873 Archiepiscopus ipse, sanctimonialium nomine, ad S. Congregationem EE. et RR. recursum habuit, ut ab ea *justam sententiam* obtineret; et repetita historia factorum, incipiendo a testamento usque ad postremas rationes confectas inter Gubernium et Capellanum C. adfirmat, hunc a Gubernio pro fundo legato obtinuisse pensionem annuam libellarum 1003. 88. ceterasque summas quinquennio non solutas a die I. Iulii 1867; ipsum tamen morari in urbe T. non pergere ad urbem C, missas non celebrare, et exhibere sanctimonialibus libellas 365 erogandas in celebratione missarum, et libellas 30 pro Festo S. ioseph; ceteras libellas $00 sibi arrogare a die 1, Iulii 1867 sine ullius oneris praestatione.

Observat insuper, quaestione accuratissime examinata, monasterium non fuisse superiori auctoritate suppressum , quia R. Pontifex nullas omnino esse suppressionis leges declaravit; sanctimoniales quapropter neque jus ad fundum legatum amisisse, neque ad redditus. Hinc rogat Emum Praefectum ut compellat Capellanum C. quominus Sanctimonialibus solvat libellas annuas 7i0 incipien. a die 1. Iulii 1867; libellas insuper 4550 pro fructibus quinquennio non solutis, satis vero ei sint libellae 303 annuae ; quae plus quam sufficiens compensatio videri debent.

Missis de more ad Archiepiscopum Epistolis *pro informatione et voto auditis interesse habentibus,* respondit.

1. Compellendum esse Capellanum C. ad ineundam conventionem in scriptis cum Curia Archiepiscopali, qua se obliget, singulis semestribus divisis, persolvere Curiae praedictae annuas libellas 650 incipien. a I. die Iulii 1867. reliquae libellae 351. 48 ipsi Capellano cedant, sine ullo onere.

2. Curia onus assumat piis oneribus satisfaciendi.

3. Curia Sanctimonialibus summam praedictam persolvet, qua Capellano honorarium tribuant, ut celebret juxta reductionem obtentam Missas annuas 80, et festum S. Ioseph solemniter peragat.

4. Capellanus obligetur, Curia mediante, Sanctimonialibus dare summam libellarum 4225, quas ipse percepit pro fru-

ctibus a gubernio quinquennio non solutis a die 1. Iulii 1867 ad diem 1 Iulii 1873, et pro semestri non soluto a die 1 Iulii 1873 ad diem 1 Ianuarii 1874 deductis tamen libellis 200 quas postremo tempore Sanctimoniales persolvit, et duas tertias partes expensarum quas subiit pro Capellaniae recuperatone.

5. Si vero contingat monasterium in totum iri dissolutum, Capellanus C. obligetur missas celebrare in Collegiata C. juxta conventiones peractas ; et Curia integram summam ei dimittat.

His acceptis epistolis S. Episcoporum et Regularium Congregatio decrevit, coram Eminentissimis Patribus rem esse disceptandam, et die 16 Maii 1874 terminus partibus praefixus est ad deducenda ulteriora jura si vellent.

*Ea quae pro Capellano adducta sunt.*

1. Demonstratum est, testamentum et actum , quo Capellanía sacerdos C. investitus fuit, esse actus publicos habentes omnia requisita et conditiones praescriptas a jure Canonico et civili ; violari proinde non posse quin offendatur voluntas piae testatricis, praejudicium Capellano inferatur, et juris Canonici et civilis leges violentur. Testatricis enim expressa voluntas fuit, ut cessante, suppressionis gratia, monasterio, *semper quando, et quovis tempore,* proindeque *vi dispositionis superioris cessante pio legato sacristiae monasterii facto, ex bonis substitueretur Capellanía cum piis illis oneribus ab ipsa testatrice expressis.* Voluntas a testoribus expressa veluti sacra ab omnibus est habita , et in casu nostro ab ipso Daemanio observata fuit; neque Ecclesia vult ut testatorum voluntas violetur ; quidquid igitur testatricis voluntati in tabulis supremis expressae opponitur, veluti injustum, et inacceptabile respuendum est.

Capellani nominatio nil aliud est quam consequentia legalis a pia testatrice volita ut testamentum executioni mandaretur.

Dato autem et non concesso tum Capellaniae erectionem, tum actum nominationis aliquo vitio laborare, nihil nunc ejus-

modi vitia officere, cum jus canonicum quamlibet actionem contra illum qui per triennium pacifice beneficium possedit inhibeat, et Codex Civilis regni Italiae Art. 1300 conformiter ad Codicem Albertinum Art. 1395 eamdem actionem inhibet contra eum qui quinquennio: at verojam septimus annus est quo Capellanus Capellaniam adeptus est.

Insuper si actus nominati aliquo vitio laborarent, Daemanium nullimode Capellani jura recognovisset; Capellaniae igitur existentia et Capellani institutio nullo modo impeti possunt.

2. Sed neque indemne monasterium reddendum est iis oneribus quae in actu nominationis n. 4 recensentur. Nam 1. ex contextu et-verbis adhibitis constat, nova onera praeter ea quae in Testamento praescribuntur Capellano non fuisse iniuncta ; illa vero onera erronee in actu nominationis fuisse recensita; ab errore autem obligationem nasci non posse ; neque eum qui gaudet jurepatronatus activo opus imponere posse contra manifestam piae Fundatricis voluntatem.

2. Quia indemnitas illa adversatur testatricis voluntati, quae voluit ut Capellanía substitueretur in totalitate bonorum legatorum.

3. Quia monasterium juxta legem a Gubernio latam sub die 29 Maii 1855 recepit assignationem seu redditum respondentem redditui omnium bonorum quae tunc possidebat, consequenter etiam bonorum testatricis, et quia pensiones Sanctimonialium super reddituum totalitate attributae fuerunt; qua de causa detrimentum passae non sunt.

4. Quia non integra bona testatricis a Gubernio restituta fuere sed tantum summa aliqua, et quidem tenuis.

5. Quia realia damna monasterium passum dici nequit cum haec nedum probata non fuerint sed nec proposita Quin imo cum eleemosyna missarum a cent. 80. ad lib. 1. et lib. 1. 50 elevata fuerit, summa lib. 350 insufficiens evasit pro piorum onerum adimplemento; et monasterium cum obtinuerit illorum onerum reductionem, aliquid ex parie hac lucratum est.

Hisce ex officio additum est, non raro evenisse quod pii fundatores prae videntes finem suae institutionis alia substi-

tuerint opera, vel institutiones etiamsi ratio mala fuerit et improbanda, ut prorsus in casu nostro.

Quod vero gravius est, ita non semel a S. Congregatione Concilii decisum fuisse repetimus; ut in *Fulginaten. substitutionis* diei 12. Ianuarii 1859, in qua cum a Daemanio domus aliqua vendita fuerit, in qua exercitia spiritualia bis in anno ex testatoris voluntate peragenda erant, et Orphanotrophium substitutum; usurpatio illa certe attendenda non erat, eo vel magis quod causa finalis fundationis alio exequi poterat; et tamen S. Congregatio ad Dubium — *An et a quo te npore factus sit locus substitut Ioni ad haereditatem Feliciani Iacobilli favore piae domus Orphanarum, itaut danda sit eidem immissio, seu redintegratio possessionis , et restituendi fructus in casui* respondit: *affirmative in omnibus; fructus autem esse restituendos a die motae litis.* Id autem illi juris principio conforme videtur: *uti legassit ita jus esto.*

*Quae pro Archiepiscopi propositione allegata sunt.*

Dictum est 1. non esse locum substitutioni usque dum spes aliqua superest observandi dispositiones testamentarias; ut in casu nostro contingit ; nam Sanctimoniales simul vivere possunt, et suppressio non est censenda totalis; testatricem vero nullimode facturam locum substitutioni fuisse, si haec fuisset contemplata.

2. Gubernium parum referre quomodo redditus disponantur, dummodo caute dispositio fiat.

3. Illud de cetero observandum, in suppressione entium moralium antiquarum provinciarum Gubernium minime concessisse pensiones juxta redditus fundorum, sed restrictive ; etenim Art. 9. legis latae die 20 Maii 1855. N. 878 statutum est, ut pensio pro professis non excedat libellas 500, et 240 pro laicis; praeter haec pomaria quae jaceant infra claustra.

Qua de eausa, Archiepiscopus inferre volebat, quae supersunt ratione praesertim fructuum praeteritorum monasterio danda omnino esse, cum ex bonorum daemaniatione damna passum fuerit.

Gratia demum pro piorum onerum reductione non posse

negari videtur, cum redditus reapse fuerint, imminuti; etiamsi reductio missarum jam reductam m difficilius concedi soleat.

His omnibus consideratis ad proposita dubia, quorum

l'n *An et quomodo sit locus substitut'ani Legati Tace pliae Eleonorae O. in favorem Capellaniae, vel potius Ar chic piscopi propositio exequenda sit in casu ?*

2m *An et quomodo petitae missarum reduc/ioni annum - dum siti*

S. Congregatio Episcoporum et Regularium respondit:

Ad lm *Ad mentem: mens est ut scribatur Archiepiscopo expedire ut servetur compositio, de qua in pag. 29 Consultationis n. 13.* (1), *addito ut summa a Ttieologo, seu Capellano C. -solvenda monialibus, directe solvatur Curiae Archiepiscopali , et addatur Art. 5. de quo in pag. 31 ejusdem Consultationis* (2) , *facto tamen de iis omnibus verbo cum SSmo.*

Ad 2m *Negative quoad Theologum seu Capellanum C.*

Ex **QUIBUS COLLIGE :**

1. Generaliter dari locum substitutioni etiam ex facto improbando caussatae, si a testatoribus praevisa et volita fuerit.
2. Substitutioni derogari posse ex partium interesse habentium conventione, ut in casu.
3. Hanc quaestionem non ad tramites iuris, sed ex conventione fuisse diremptam.

**(1) Articulo illo decernebatur, ut ex libellis 1001. 48 nunc dotem Capellaniae constituentibus attribuerentur libellae 440. 14 Capellano; et reliquum Monialibus daretur cum onere satisfaciendi missarum celebrationi ad 80 redactarnm, et celebrandi Festum S. Ioseph, et ut haec propositio effectum haberet a die 1 Iulii 1867; ex quo sequebatur Capellanum pro opere praestito percipere summam annuam libellarum 440. 14 immunem a quolibet onere; atque de cetero resarciretur de omnibus et singulis expensis quae pro bonorum recuperatone sustinuit.**

**(2) Habetur hic articulus V. in informatione et voto Archiepiscopi.**

# EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

## SUPER DUBIIS (1) NONNULLIS

### INDICTUM IUBILAEUM RESPICIENTIBUS

### DECLARATIONES

**I.** Utrum privilegium concessum in Bulla Iubilaei in favorem navigantium et iter agentium eos respiciat qui, intra praesentem annum non poterunt se recipere ad sua domicilia, seu alio ad certam stationem, quibus proinde tempus visitationum peragendarum prorogetur, an eos spectet qui se ad sua domicilia aut ad aliam certam stationem conferre possunt ?

R. *Indultum pro navigantibus ct iter facientibus, qui impediuntur, quominus curren' <' anno Iubilaei opera iniuncta pro lucrando Iubilaeo exequi possint, extendi etiam it I tra annum.*

II. Utrum verba *totidem vicibus,* quibus significatur quoties navigantes et iter agentes Ecclesiam Cathedralem vel maiorem aut parochialem visitare debent, exprimant quindecim tantum vices an vero sexaginta ?

R. *Navigantibus et iter agentibus quindecim non vero sexaginta visitationes Ecclesiae Cathedralis, vel maioris aut 'Parochialis loci eorum domicilii seu stationis praescribi.*

II. Utrum ubi quatuor Ecclesiarum visitationi unius Ecclesiae visitatio, quater repetita, ex quacumque causa substituía est, hae quatuor visitationes unius Ecclesiae aeque uno die complendae sint ac quatuor visitationes ecclesiarum , an vero iuxta arbitrium visitantium aliter et in plures dies distribui possint ?

(1) Alia eir jtnodi habentur pag. 266 et 359 Vol. hnius.

R. *Requiri ut per ingressum et regressum q u w . per quindecim dies Ecclesia visitetur.*

V. Utram lucretur iubilaeum qui conditiones praescriptas adimplet in aliena Dioecesi, ubi non habet domicilium, si observet ordinationes Ordinarii loci ubi moratur?

R. *Affirmative.*

V. Utrum lucretur Iubilaeum qui confessionem et communionem peragit in aliena Dioecesi ubi non habet domicilium dum cetera opera iniuncta in propria Dioecesi adimplevit aut adimplere intendit iuxta modum a proprio Ordinario praescriptum ?

R. *Affirmative.*

VI. Utrum lucretur Iubilaeum, qui postquam partem visitationum peregit in Dioecesi sui domicilii, in aliam Dioecesim se transfert, ibi novum acquisiturus domicilium, si in ea numerum visitationum iuxta praescriptum Ordinarii novi domicilii complet?

R. *Affirmative.*

VII. Utrum facultates quas forte Confessarius sive a S. Poenitentiaria obtinuit, sive a proprio Ordinario subdelegatas habet per modum habitus pro foro interno, et in actu sacramentalis confessionis tantum, eas scilicet vel omnes, vel ex parte quas S. Poenitentiaria Episcopis concedere solet, perdurent etiam tempore iubilaei.

R. *Affirmative.*

VIII. Quid iis agendum, qui antequam visitationes praescriptas impleverint mutant domicilium vel quasi domicilium, ratione ex. gr. officii, servitii, matrimonii, vel alia quacumque de causa ?

R. *Opera incepta uno in loco impleri et perfici posse in alio, ubi quis vitam degere debeat ratione officii* servita, vel matrimonii.*

# EX S. CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

Ordinarius quidam ad pedes Sanctissimi D. N. Pii Papae IX Immilli nie provolutus , ea quae sequuntur patefecit. : Sacram Indulgentiarum Congregationem sciscitantibus Episcopis an tempore Iubilaei solemniter populo benedicere, eique Indulgentiam plenariam nomine eiusdem Beatitudinis largiri possent, sub die 24 Decembris anni 1824 respondisse: *Negative.* Quapropter idem Antistes quaesivit al) eadem S. Congreg.

I An negativa huiusmodi responsio iis ipsis Benedictionibus, etiam tempore nuper indicti Iubilaei sit applicanda.

II. Postulavit, ut si ea responsio dictas quoque Benedictiones respiciat, sibi tamen consuetam binam Papalem Benedictionem cum Indulgentia plenaria, hoc ipso Anni S m ti Iubilaeo perdurante, propriae Christifidelibus Dioeceseos impertiri liceat.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita sub die 8 Aprilis 1875 respondere censuit:

Ad I. *Negative iuxta Diteras Apostolicas diei 24 Decembris 1874.*

Ad II. *Provisum in primo.*

I. CARD. FERRTERI Praefectus.

*Dominicus Sarra Substitutus.*

Antistes auxiliator Episcopi S. ad pedes SSmi D. N. Pii Papae IX humillime provolutus exposuit: in Litteris Apostolicis *Gravibus Ecclesiae* quoad plenariam Indulgentiam edici: *Annuentes etiam, ut haec Indulgentia animabus' quae Deo*

*in caritate coniunctae ʳx hac vita mi gr aver int per modum suffragii applicari possit ac valeat;* ex quibus verbis illi subiisse in luentem sequens dubium: An fidelis, qui, expletis necessariis conditionibus pro lucrando Iubilaeo, applicare cupiat plenariam Indulgentiam pro alicuius anima defuncti et ipse eodem tempore eandem consequatur indulgentiam.

*Ex audientia SSmi diei 25 Aprilis 1875 Sanctitas Sua benigne declaravit Iubilaei Indidgentiam* CUMULATIVE *pro se et Defunctis lucrari posse.*

I. CARDINALIS PERRIERI Praefectus

*Dominicus Sarra Substitutus,*

# EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

**Neapolitana. Decretum quo Canonicis Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae ius confirmatur eanendae Missae Conventualis adsistente Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo.**

## DECRETUM

Per Concordiam initam die 11 Maii 1700 inter Rmos DD. Canonicos et admodum RR. DD. Hebdomadarios Metropolitanae Ecclesiae Neapolitanae finis impositus esse videbatur controversiae, quae diu inter praedictos Canonicos ex una et Hebdomadarios ex altera partibus exarserat super Iure celebrandi Missam Conventualem, adsistente Emo et Rmo D. Cardinali Archiepiscopo. Verum res non ita se habuit; et Hebdomadam illam Concordiam labefactare identidem aggressi sunt; licet ipsis consentientibus fuerit facta, a Rmo Dioecesano Ordinario approbata, et a Sacrorum Rituum Congregatione per decretum diei 16 Septembris 1702 confirmata. Eo tandem res devenit, ut Canonici ad sua iura tutanda ad Ecclesiasticam Curiam Archiepiscopalem recurrere coacti fuerint, quae tum die 28 Februarii 1838, tum die 14 Maii 1872 validitatem Concordiae asseruit. His non obstantibus Hebdomadam nuperrime apud Sacram Rituum Congregationem oblato Libello institerunt ut Concordia supradicta invalida declararetur. Sacra vero Congregatio tum Votum cum Informatione ab Emo et Rmo D. Cardinali Archiepiscopo requisivit, tum illi commisit ut moneret Canonicos de Hebdomadariorum petitione, quo ad Sacram Congregationem, quae juri proprio defendendo putarent idonea, transmitteret.

Post hoc concordationi Dubii locus factus est. Illud vero, quum Partes in eodem concordando non convenirent, fuit ex oflicio exaratum videlicet — *An observanda sit Con* ordin,

*diei* ***11*** *Maii* ***1700*** *et Decretum Sacrae Congregationis diei* ***16*** *Septembris* ***1702***, *vel potius sit exequenduni Decretum Sacrae Congregationis diei* ***26*** *Septembris* ***1682*** *in casu ì*

Sacra eadem Congregatio, utraque Parte voce et scripto informante audita, visisque iuribus hinc inde deductis; ad relationem Emi et Rmi D. Card. Cannili Di Pietro Causae Ponentis, die 7 Februarii anni vertentis rescripsit — *Attentare iudicata diei* ***28*** *Februarii* ***1838***, *Affirmative ad primam partem: Negative ad, secundam.*

Verum ad instantiam Hebdomadariorum vigore novae Audientiae ab ..ipsis obtentae reproposita Causa per eumdem Emum Ponentem sub eodem Dubio, Sacra Congregatio iterum partibus auditis, visisque novis iuribus exhibitis. Rescriptum protulit — *In decisis et amplius.* Atque ita decrevit et servari mandavit. ***Die 28*** *Novembris* ***1874.***

L . S.

C. EP. OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI
*S. lì. C. Praefectus.*

*D. Bartolini S. R. C. Secretarius.*

**Vercellen, seu Tridinen. confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti servo Dei Oglerio ex Ordine Cis.eroiensiu abbati monasterii Locedii prope Tridinum in Archidioecesi Veroellensi Beato nuncupato.**

## DECRETUM

In Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis subsignata die ad Vaticanum coadunato, instante Rmo D. Aemiliano Manacorda Episcopo Fossanensi et huius Causae Postulatore, Emus et Rmus D. Cardinalis Aloysius Bilio eiusdem Causae ponens sequens proposuit dubium: *An sententia Iudicis delegati a Rmo Vicario Capitulari Arcliidioeceseos Vercellen, sit confirmanda in Casu et ad effectum de quo agitur ?* Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative.* Die 20 Martii 1875.

Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 8 Aprilis Anni eiusdem.

CONSTANTINUS Episcopus Ostien. et Veliternen. CARD. PATRIZI
S. R. C. Praef.

Loco Sigilli

*Piae. Rolli S. R. C Secretarius.*

**Ventimiiien seu OrdHis Prledieatorum Confirmationis Cultus ab im momo ra ìli tempore praestiti servo Dei Christophoro de BT e disiano Sacerdoti professo Ordinis Praedicatorum Beat^ nuncupato.**

## DECRETUM

In Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis subsignata die ad Vaticanum coadunato, ad instantiam R. Patris Fr. Vincentii Acquarone Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Prae licatorum per Emum et Rmum D. Cardinalem Aloisium Oreglia de S. Stefano huius Causae Ponentem proposito dubio: *An Sententia Iudicis delegati a, Rmo D. Episcopo Ventimilien. super immemorabili Cultu praedicto Servi Dei praestito, seu super casu excepto a Decretis Sa: Me: Urbani Papae VIII. sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur i* Sacra eadem Congregatio , omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit *Affirmative.* Die 20 Martii 1875. Quibus per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 3 Aprilis Anni eiusdem.

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEF.

Loco)J< Sigilli

*Piae. Ralli S. R. C. Secretarius.*

# LITTERAE APOSTOLICAE

VENERABILIBUS FRATRIBUS ANDREAE IGNATIO ARCHIEPISCOPO ULTRAJECTENSI EJUSQUE SUFFRAGANEIS, ET DILECTIS FILIIS CATHOLICIS UNIVERSIS IN HOLLANDIA COMMORANTIBUS.

## PIUS PP. IX.

Venerabiles Fratres et Dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem. In universa Dei Ecclesia custodes ac vindices catholicae fidei et unitatis pro supremo Nostro Apostolico ministerio constituti omnem sollicitudinem adhibere debemus, ut hoc munus sancte et fideliter tueamur. Hac Nos sollicitudine impellente, praesentes has litteras ad Vos, VV. FF. et DD. FF. mittendas esse putavimus. Agnovimus enim ex epistola ad Nos data superiori mense exeunte, cui subscriptum erat nomen Cornelii Joannis Mulder, qui decanum se appellat pseudo-Capituli Ultrajectensis, Henricum Loos, qui ab Ultrajectensibus schismaticis temere, inaniter, irrito Archiepiscopus fuerat electus, et illicite, illegitime ac sacrilege consecratus, atque ideo cum electoribus et consecratorum s suis ab hac Sancta Sede majori excommunicatione confixus, interdicto etiam ipsi omni cum ordinis tun) jurisdictionis exercitio, ex hac vita migrasse, ac in ejus locum pseudo Canonicos Ultrajectenses alium quemdam nomine Joannem Heykamp subrogasse, eumque in Ultrajectensem Archiepiscopum die 15 Decembris anno proxime elapso elegisse. Nec porro erubuerunt praedicti Ianseniani schismatis et errorum asseclae summa dissimulatione, tamquam ipsi essent in Catholicae Matris Ecclesiae sinu, quem dilacerare pergunt, suis luteris quibus Nos de hac electione docuerunt, ejusdem electi confirmationem a Nobis efflagitare. Nos quidem,, VV. FF. et DD. FF. magno commiserationis sensu nuncium accepimus de

illius pseudo-Archiepiscopi Ultrajectensis vitae exitu dolentes, quod non ante a pertinacia sua quam a vita decesserit, ac deploravimus vehementer infelices eos ejusdem schismatis et errorum socios in sua contumacia nihil divinis judiciis deterritus permanere.

Iamvero hanc luctuosam animi obstinationem in iis perspicientes, qua inconsutilem Christi vestem scindere pergunt et toties irrogatas sui similibus poenas aspernantur, Apostolico munere sacrisque Canonum legibus adducti, ut qui ad sanitatem redire nolunt, saltem ab aliis repellantur, Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, qui paria omnes judicia in hujusmodi electiones aliosque contumaces ausus exercuerunt, electionem Ioannis Heykamp in pseudo-Archiepiscopum Ultrajectensem a pseudo-Canonicis Ultrajectensibus factam, nullam, inanem, illegitimam ac sacrilegum Apostolica auctoritate declaramus, eamque rescindimus, dolemus, abrogamus.

Deinde sub poena excommunicationis ipso facto, et sine alia declaratione incurrendae districte indicimus praedicto Heykamp, sibi ab iis omnibus plane esse abstinendum, quae Episcopalis sunt propria jurisdictionis. Quamobrem nunquam ipsi fas erit, quemquam ad animarum curam et sacramentorum administrationem, quovis etiam necessitatis praetextu constituere et deputare, ac alia quaecumque agere quae ad Episcopalem Jurisdictionen! pertinent, qua omnino caret.

Praeterea sub eadem poena excommunicationis ipso facto et sine alia declaratione incurrendae mandamus tam eidem Ioanni Heykamp ne se cuiquam Archiep. aut Episcopo consecrandum praebeat, quam pseudo-Episcopis e suorum coetu aliisque Archiepiscopis aut Episcopis ne eumdem inaniter et execrabiliter electum Archiepiscopum consecrare audeant. Has autem poenas decernimus sine praejudicio illarum, quas tam electus pseudo-Archiepiscopus, quam electores pseudo-Canonici Ultraiectenses noverint se incurrisse.

Dum autem haec ad vos scribimus VV. FF. DD. FF. ut Apostolicae Nostrae sollicitudinis partes impleamus, vos pariter hortamur, ut férvidas preces vestras Nostris adiiciatis, Deum

obsecrantes, ut hos infelieiter errantes ad Christi ovile et **âd** salutis portum dignetur adducere. Nobiscum ab Ejus Clementia enixe exposcite, ut ipsi veram pacem et consolationem tandem exquirant; quae in solo Deo et Ecclesia ejus reperiri potest, ac pietate permoti erga se ipsos, si vocem Domini audiunt, sua corda nolint obdurare. Vobis vero VV. FF. et DD. FF. praecipuam ac sinceram benevolentiam Nostram confirmantes et uberrima divinarum gratiarum munera a Domino postulantes Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu singulis universis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 31 Martii an. 1875.

Pontificatus Nostri Anno Vigesimonono.

PIUS PP. IX

DILECTO FILIO

ALPHONSO TRAVAGLIMI DOCTORI EDICO-CHIRURGO

## ALPHONSO TRAVAGLINI DOCTORI MEDICO-CHIRURGO

**FUNDATORI SOCIETATIS PHILOSOPHICO-MEDICAE (1)**

## PIUS PP. IX.

*Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Dum praeterito mense martio te, dilecte fili, una cum sacerdote Ioanne-Maria Cornoldi e Societate Iesu quo consiliario et adiutore potissimum usus fueras ad excogitatam Societatem instituendam, aliisque praestantibus viris eidem addictis excepimus: gratulati tibi fuimus, quod scientiam medicam iamdiu a sanae philosophiae principiis aberrantem ad ea revocare decrevisses, et per medicos praesertim, qui non mediocrem contulerant operam suadendis vulgandisque materialismi erroribus, restituere rectam de rerum essentia et origine doctrinam, ac in primis quoad hominem, circa quem medicina versatur: scilicet **Ut** inde haberetur medela, unde malum magna **ex** parte ìnanaverat. Gaudemus autem in praesentiarum faustis ominibus Nostris eventum respondisse, et iam plus centum e doctis Italis nomen dedisse natae nuper Societati, eique maiora quoque incrementa parari.

Libentius etiam videmus, vos proposito vestro fideles, eos tantum sodales vobis adsciscere constituisse, qui teneant et propugnatum sint doctrinas a sacris Conciliis et hac sancta Sede propositas, ac nominatim Angelici Doctoris principia de animae intellectivae unione cum corpore humano, deque substantiali forma et materia prima.

Nec aliter certe reparari poterunt inducta in religionem **et** scientiam a materialismo detrimenta, aut scientia ipsa ex

**(1) Litterae eiusmodi negligi nequibant; quippe quae idem praeseferant ee i u in ac illae quas retulimus pag. 429 voluminis huius.**

errorum illius ambagibus extricari, et ad verum impelli progressum, nisi per veritatem. Quae sane cum a Deo procedat, sicut perspicue tutissimeque traditur a theologia, sic philosophia physicisque disciplinis discordare nullatenus potest: quo fit, ut dum spectari tantum videtur inclinandis animis in obsequium fidei, scientiae simul soliditati, explicationi et provectui prospiciatur, et homo materialismo cum brutis turpiter convolutus in coeno ad dignitatem relevetur filiorum Dei. Cavete igitur, ne quemquam inter vos admittatis e novarum opinionum sectatoribus, qui vano inflatus eruditionis apparatu sensim inter vos dissidia serat, mentesque abducat ab auctoritate magisterii Ecclesiae, in qua sola posita fuit a Christo Domino infallibilis veritatis Cathedra.

Si in suscepto consilio perseveretis, si studiose vitétis falsorum fratrum fraudes, si omnes eodem illecti religionis amore, obsequio, studio veritatem assequi, illustrare et propagare nitamini, optime certe merebitis de Ecclesia, de scientia, de sacra et civili societate, consociationesque vestram brevi complurium sapientum accessione et honestorum omnium plausu commendatam videbitis.

Haec nos vobis adprecamur; et interim divini favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus, tibi dilecte fili, sodalibusque omnibus Societatis philosophico-medicae sancti Thomae Aquinatis Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

*Datum Romae apud s. Petrum die 23 iulii anno 1874. Pontificatus Nostri anno vicesimonono.*

PIUS PP. IX.

# EX ACUS CONSISTORIALIBUS

## NOMINATION KS EPISCOPORUM

SSmus Dominus N. in consistorio secreto habito die 5 Iulii 1875, postquam Emus et Rmus D. Cardinalis Bizzarri, dimisso titulo S. Hieronymi de Illyricis optavit alium S. Balbinae, sequentes proposuit Ecclesias;

*Ecclesiam Patriarchalem* Indiarum Occidentalium pro R. P. D. Francisco di Paola Bonavides y Navarrete, iam Episcopo Seguntino;

*Ecclesiam Metropolitanam* Toletan, pro Emo et Rmo D. Cardinali Ioanne Ignatio Moreno Tituli S. Mariae de Pace, translato ex Ecclesia Vallisoletanensi ;

*Ecclesiam Metropolitanam* Messanen, pro R. P. D. Iosepho Guarino, translato ex Ecclesia Syracusae;

*Ecclesiam Archiepiscopalem* Larissae in partibus infidelium pro R. P. D. Francisco Maria Beniamino Richard, translato ex Ecclesia Bellicensi, quam in administrationem retinet, et deputato Coadiutore cum futura successione Emi ac Rmi D. Cardinalis Iosephi Hippolyti Guibert Archiepiscopi Parisiensis;

*Ecclesiam Metropolitanam* Syracusae pro R. P D. Benedicto La Vecchia Guarneri e Minor. Obser. S. Francisci, translato ex Ecclesia Netensi ;

*Ecclesiam Metropolitanam* Bambergae pro R. P. D. Friderico Schreiber, Sacerdote Dioecesis Augustanen^is Parocho in Engel brecktz-Mtmster, et Inspectore in sch Ii **s** Territorii Landesberg;

*Ecclesiam Metropolitanam* S. Iacobi de Cuba Americae Meridionalis pro R. P. D. iosepho Maria Martin d'Her-

rera y de la Iglesia, Sacerdote Dioecesis Salmanticae Decano Cathedralis de Leon, Doctore S. Theologiae et SS. Canonum.

*Ecclesiam Cathedralem* Malachae pro R. P. D. Stephano iosepho Perez y Martinez Fernandez, iam Archiepiscopo electo Tarraconensi;

*Ecclesias Cathedrales canonice unitas* Tergestensis **et** Iustinopolitanensis pro R. P. D. Georgio Dobrila, translato **ex** Ecclesiis Parentinensi et Polensi.

*Ecclesiam Cathedralem* Mindoniae pro R. P. D. Francisco de Sales Crespo y Baulista, translato ex Ecclesia Arcensi in partibus infidelium;

*Ecclesiam Cathedralem* Wladislaviae pro R. P. D. Vincentio Theophilo Poppiel translato ex Ecclesia Plocensi;

*Ecclesiam Cathedralem* S. Marthae in Nova Granata pro R. P. D. Iosepho Romero, translato ex EcclesiaDibonensi in partibus infidelium;

*Ecclesiam Cathedralem* Cordubae pro R. P. Zeffirino Gonzalez y Dias Tunon Sacerdote Dioecesis Oretensis, professo ex Ordine Praedicatorum S. Dominici, Examinatore Synodali plurium Dioecesium, Doctore philosophiae nec non S. theologiae, electo, et renuntiatario Ecclesiae Malacitanensis;

*Ecclesias Cathedrales* canonice unitas Callii et Pergulae pro R. D. Aloisio Raphaele Zampetti, Sacerdote Dioecesis LauretanensisCanonico Theologo, Parocho, Vicario Capitulari Pergulae, Iudice Synodali in sua Dioecesi, Doctore S. Theogiae et utriusque iuris;

*Ecclesiam Cathedralem* Neti pro R. D. Ioanne Blandini, Sacerdote Dioecesis Calatayeronii, Parocho, Doctore S. Theologiae et iuris canonici;

*Ecclesiam Cathedralem* Regino-Gracilii pro R. D. Iosepho Hais, Sacerdote e Dioecesi Budovicensi Canonico, Exa • minatore synodali, Seminarii Rectore, vinculi matrimonialis vindice, et S. Theologiae doctore;

*Ecclesiam Cathedralem* Bellicii pro R. D. Iosepho Mar cha) Presbytero **e** Dioecesi S. Deodati, **et** illius Dioecesis Vicario Generali;

*Ecclesias Cathedrales canonice unitas* Galagurris et Calçeatae pro R. D. Gabino Catalina del Amo, Presbytero e Dioecesi Seguntinensi, Canonico, Licentiato in SS. Canonibus, et S. Theologiae Doctore;

*Ecclesiam Cathedralem* 1 egionis pro R. D. Saturnino Fernandez de Castro, Canonico, Seminarii Rectore, et S. Theologiae Doctore;

*Ecclesiam Cathedralem* Santanderiensem pro R. D. Vincentio Calvo y Valero Canonico, et S. Theologiae Doctore;

*Ecclesiam Cathedralem* Punii in Peruviana Republica pro R. D. Petro Iosepho Chavez, examinatore pro-Synodali, et in S. Theologia Doctore;

*Ecclesiam Cathedralem* Auriae in partibus infidelium pro R. D. Vitale Galli, Presbytero e Dioecesi Calliensi, Examinatore pro-Synodali, Vicario Capitulari, Doctore philosophiae et utriusque iuris et Coadiutore cum futura successione R. P. D. Hyacinthi Luzzi, Episcopi Narniensis;

*Ecclesiam Episcopalem* Gerrae in partibus infidelium pro R. D. Victore Iosepho Doutreloux, Sacerdote e Dioecesi Leodien si Canonico, Vicario Generali illius Dioecesis, magni Seminarii Rectore, S. Theologiae Doctore, et Coadiutore cum futura successione R. P. D. Theodori Iosephi de Montpellier Episcopi Leodiensis.

Post haec SSmus Pater notificavit sequentes electiones per Breve Pontificium peractas nempe;

*Ecclesiam Metropolitanam* Cassiliae in Hibernia collatam R. P. D. Thomae Croke translato ex Ecclesia Aukopolitanensi;

*Ecclesiam Archiepiscopalem* Adanae in partibus infidelium collatam R. D. Ambrosio Notyn Darauni, Procuratori Generali Congregationis Maronitarum;

*Ecclesiam Archiepiscopalem* Abderaein partibus infidelium collatam R. P. I). Riccardo Roksell, iam Episcopo Nottinghanensi;

*Ecclesiam Episcopalem* Marcopolitanensem in partibus infidelium collatam R. D. Paulo Durien e Congregatione

Oblatorum Mariae SS. Immaculatae, Deputato Coadiutori in Vicariatu Apostolico Columbiae Britanicae Praesulis Aloisii Iosephi d' Hosbonnez Episcopi Melitopolitanensis in partibus infidelium.

Denique Advocato Consistoriali qui petiit a SSmo Patre sacrum Pallium pro Ecclesiis Metropolitanis Toleti, Messanae, Syracusae, Bambergae, S. Iacobi de Cuba ei Cassiliae, SSmus dignatus est respondere: *dabimus propediem.*

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## IURIS CONFERENDI CANONICATUS

*Die il Maii 1872.*

**Compendium facti.** In oppido G. Dioecesis N. est Ecclesia aliarum vetustissima. Ab immemorabili haec constabat, praeter clericos inservientes, quatuor dignitatibus, nempe Archipresbytero cum animarum cura, Archidiacono, Cantore et Primicerio. Delitescit in tenebris quid anteactis saeculis in hac ecclesia servatum fuerit; ast hoc unum exploratum esse videtur quod sub anno 1626, aucto clericorum inserviendum numero, memoratis Dignitatibus placuerit viginti tantum canonicos admitti.

Adiverunt, causa huius rei, Episcopum Sacra visitatione tunc temporis fungentem, ut suum assensum praeberet; quod indubie praebuit aspiciens rem in divini cultus augmentum cessuram fore. Insimul nonnulla redacta fuere Statuta circa qualitates et Canonicorum promotionem. Inter caetera statutum fuisse repertum est « ut gradatim procedatur. . . . et id » intelligi debere pro Canonicis, haud pro Dignitatibus circa » canonicatuum dictorum creationem; quod Canonici huius » oppidi cives esse deberent non autem advenae... »

Usque ad annum 1674 acta perhibent haud in pace res processisse quoad ius succedendi. Siquidem anno 1663 aeris exarsit quaestio coram Tribunali Sacrae Rotae. Et anno 1674 legitur in aclis quod ad sedandas contentiones, dissidia et lites motas et maximis expensis diu agitatas, concordi voto placuit Episcopo, Dignitatibus et Canonicis alios duodecim presbyteros uti mansionarios assumere, ea adiecta conditione, ut

ab Episcopo prima vice eligerentur, dein vero post cuiusque eorum obitum alii de clero succédèrent iuxta temporis anterioritatem in assumptione ad Sacerdotium iure suo, absque nova provisione, aut ulla declaratione.

Eiusmodi decretum concordiae editum fuit ab Episcopo tempore S. Visitationis, et S. C. Congregatio illi robur adiunxit rescribens Episcopo sub die 21 Maii 1675 « *Eminentissimi Patres concordiam huiusmodi tamquam tendentem in augmentum divini cidtus laitdaverunt et confirmandam esse censuerunt.* »

Hoc ipsum in posterum confirmatum fuisse ab Episcopis nonnullis apparet; et observantia quaedam accedit, ex qua eruitur mansionarios ad canonicatus vacantes iuxta ordinem antianitatis admissos fuisse. Et hoc modo usque ad annum 1818 ventum est; quo conventione inita inter ecclesiasticam et civilem auctoritatem illius ditionis, factum est ut Ecclesia oppidi G. dignitate Collegiatae donata fuerit.

Post haec visum est Episcopo illius temporis ad illum et ad S. Sedem in vim articuli 10 initae conventionis spectare provisionem canonicatuum et mansionariatuum. Hinc per litteras eum exhortante Archipresbytero, nonnulla vacantia contulit beneficia, et dein, nullo reclamante, hoc ipso iure usus est in ceteris vacationibus, etsi iugiter nominaverit iuxta ordinem antianitatis. Placuit tamen Episcopo qui Dioecesi praeerat anno 1859 deserere antianitatis ordinem, duos promovens presbyteros; quae promotio Capitulo G. displicuit; eiusque procurator protestationes! emisit coram Episcopali Curia contra promotionem eiusmodi.

Episcopus id aegro animo ferens suspendit a divinis, ex informata conscientia, protest ationis auctores praecipuos qui tres fuerunt, illosque ad recessum in domum religiosam damnavit ut spiritualibus exercitiis vacarent. De qua re illico recursus habitus est ad S. C. Congregationem, quae mense Martii 1860 rescripsit: *Episcopo pro informatione, et voto, et referat de causis inflictae suspensionis, transmissa copia decreti, aliisque documentis ad* ***rem*** *fa ientibus.*

Verum quaestio istaec, perturbationis politicae causa,

usque ad annum 1870 siluit; et hoc vertente ad S. O. Congregationem libellus transmissus fuit, quo Capitulum, reformata priore instantia, petiit « *ut ad participationem admitterentur presbyteri loci inservientes iuxta antianitatis ordinem, absque ulla in Ordinario electionis facultate, sartis telis manentibus collationis iuribus, quae ad S Sedem pertinerent.* »

Hoc accepto quasi novo libello per S. C. Congregationem rescriptum fuit: *Audiatur Episcopus super expositis;* qui respondit tandem sub die 15 Decembris 1871. Retulit in primis Ecclesiam G. per praedictam conventionem inter duas auctoritates nempe ecclesiasticam et civilem recognitam fuisse ut veram Collegiatam sub die 23 Augusti 1842. Et prosequebatur: in vim huius recognitionis et articuli 10 *Concordati,* quo constitutum fuerat ut Canonicatus liberae collationi? tum Cathedralium, tum Collegiatarum conferantur a S. Sede et ab Episcopis alternatim per sex anni menses; Ordinarius F. praedecessor anno 1843 contulit octo Canonicatus quos putavit esse in sua potestate. Anno 1848, ait, Ordinarium G. contulisse Canonicatum Presbytero G.; et tandem annis 1850, 54, 59 se contulisse unam Dignitatem et quinque Canonicatus. Retulit etiam idem Ordinarius res tranquille processisse usque ad annum 1859; et anno 1860 Mansionarios nonnullos illius Ecclesiae (iidem qui recursum habuerunt ad S. C¿ Congregationem) emisisse contra illum protestationem nomine Capituli ob collationes duorum Canonicatuum a se factas. Quam protestationem Capitulum, cuius nomine factam **esse** dicebatur, haud recognovisse Subiunxit quoque Ordinarius Mansionarios illos et alios numero tresdecim per seipsos signa canonicalia assumpsisse, et absque ulla canonica institutione **sese** nuncupasse canonicos.

Verum ex libellis nunc nomine Mansionariorum, nunc nomine Capituli oblatis, nec non ex litteris informationis Ordinarii dubitari forte poterat, utrum Capitulum vel nonnulli **ex** Mansionariis nomine Capituli huiusmodi litem foverent. Quapropter sub die 27 Ianuarii litterae missae fuerunt ad Episcopum ut Canonici capitulariter collecti dicerent, utrum ipsi manda-

tum dederint ad litem instituendam. Capitulum sub die 26 Februarii 1871, capitulariter collectum retulit, causam non fuisse a legitimis canonicis introductam, sed a Mansionariis qui se canonicos nominaverunt. Verumtamen die sequenti, iterum collecto Capitulo, in maiori numero decretum fuisse, *sustinendum esse recursum ad S. C. Congregationem.* Hisce omnibus absolutis sub die 11 Maii 1871 rescriptum editum fuit: « *Ponatur in folio, et notificetur Episcopo causam proponendam esse in plenis comitiis, ideoque liberum ipsi esse infra terminum quadraginta dierum deducendi ulteriora iura sua per Promotorem Fiscalem Curiae coram S. Congregatione, et moneat Capitulum, ut infra praedictum terminum deducat pariter iura sua, quatenus velit.* »

### Disceptatio sinóptica.

EA QUAE **PAVORE CAPITULI** ET **MANSIONARIORUM PROSTANT**

Orator Capituli et Mansionariorum antequam intima causae momenta attingeret, obiectionem reiecit ex recenti Capitulorum clade ac bonorum publicatione desumptam, quasi idcirco disputandum non esset de successione ad Canonicatus qui evanuerunt. Attamen primo *in iure* Collegium non desiisse probavit ex Piton, disc, eccl. 8 n. 17. In facto autem nihil obsistere quominus Capitula coetus habeant, functiones peragant, ut antea, et ecclesiastica iura exerceant. Re autem vera etiam post bonorum publicationem Episcopus novos in titulum huius Ecclesiae Sacerdotes adlegit. Tum quidquid sit de *prae • benda,* hodie de *canonia* disputatur quae ab illa differt iuxta Piton, disc. eccl. 17 n. 14 nec umquam esse desiit.

Accedit quod maxima actorum pars in hoc iudicio omnino dimicare cogitur *ne pensionem amittat.* Ante publicationem bonorum plerique ex hodiernis canonicis non Episcopi collatione, sed anterioritatis ordine successerunt, idcirco anno 1860, ante bonorum publicationem lis exarserat. Si iuxta Episcopi propositum uti canonici actores agnoscendi non essent, plane sequeretur pensionem eis adimi debere. Omnino igitur disputandum contendit de iure succedendi, a quo pendet validitas admissionum.

Huc pertinet, ait orator, alia Episcopi exceptio, quod actores legitimam iudicio sistendi personam non habent, utpote non ab Episcopo electi; et quod maior Capituli pars a lite dissentiat. Atqui inficiatur hunc maioris partis dissensum, quia cum S. Ordo Capitulum convocari iuberet ut veritas erumperet, duo supra viginti, partim Canonici, partim mansionarii iudicium sustineri mandarunt. Sex tantummodo Episcopo adhaeserunt. Absurdum putavit autem de legitima actorum persona dimicare, quia definitum prae^**u** ìpsit Episcopus quod definien ium esset, utrum ille an Capitulum canonicos admittere debuisset. Caeterum illius obiectio numquam mansionarios «fficejret, quorum maxime interest sibi ius succedendi confirmari.

Hisce praemissis ad causam veniens, quaerendum proposuit utrum vacantes participationes beneficiorum more ab Episcopo conferri debeant, seu potius a mansionariis iure passivo occupari, ordine anterioritatis. in quo duo potissimum attendit: hoc perpetua consuetudine viguisse: et iuris fundamentis consuetudinem niti.

Ad consuetudinem evincendam huius receptitiae ecclesiae declarationes profert editas anno 1626 « *iii procedatur gradatim. . . . et id intelligi debere pro canonicis haud, pro Dignitatibus circa can ticatuum dictorum creationem. In promotione cuiusvis (* V?/*ionici procedatur gradatim, et Me coadiuvatur ad quem promotio .spectabit* ». Protulit testimonium Cardinalis De Luca, qui hanc esse promotionum rationem pro Ecclesia G. narravit in Disc. 19 de Canon. num. 1. Protulit etiam concordiam anno 1676 a S. C. Congregatione probatam, quae Capitulo adcenseri decrevit Sacerdotes « *successum s iuxta temporis anterioritatem.* > Addidit rotalem sententiam anni 17-12 quae « *nullum ius competiisse* » Episcopo iudicavit admittendi presbyteros ad portiones, sed hoc ius « *competiisse et competere privative Capitulo et Canonicis insignis Collegiatae ecclesiae*». Deinde procedens usque ad aetatem nostram demonstravit nominationes Capituli semper in antiquiorem collatas.

Cu n consuetudinem, concordiam et rem iudicatam expo-

suisset, intrinsecam rei iustitiam tuitus est. contendens in presbyterorum coetu seniores ad promotionem ius habere *ex Can. nidias dist. 16* et hoc demonstrare censuit iudicio S. C Congregationis: quippe transactione inita anno 1765 « *Emi Patres concordiam huiusmodi, tamquam tenden'em in augmentum divini cultus laudaverunt et confirmarunt* ». Et contendit orator ex variis testimoniis, omnes Episcopos obligari a transactione quam S. Sedes *in forma specifica* confirmavit.

Deinde unicam Episcopi obiectionem funditus aggressus est de mutatis legibus et iuribus Collegii post annum 1842. Ait enim Episcopus Conventionem anni 1818 iussisse ut « *Canonicatus liberae collationis in capitulis sive cathedralibus sive collegiatis respective conferrent ur a S. Sede et ab Epi~ scopo.»* Et hunc in casum incidisse Ecclesiam G. quae anno 1842 *uti vera Collegiata recognita fuit.*

Ac primo animadvertit Capituli defensor Conventionis articulum nil aliud disponere, quam quod S. Tridentina Synodus sanciverat, scilicet beneficiorum collationes ad Episcopos pertinere. Hoc tamen non delere inferiorum iura, si iustitia et consuetudine nitantur. Nec obiiciendum ait illius Conventionis exequutores omnes consuetudines delelas censuisse. Ast quamvis in genere per Conventionem consuetudinibus derogatum fungeretur, nihilominus ait primo Conventionem ecclesias roceptitias non afficere, secundo collationes et beneficia complecti, minime vero admissiones ad participationem: tertio iura patronatus evertere non potuisse.

Et primum quod attinet, proposuit Capitulum G. *receptitii* simul et *collegiali* qualitatem retinere etiam post actum anni 1842. Nec novum esse, ait, duplicis qualitatis concursum in Collegiis illius Regni, ut animadvertit *Cardinal. De Luca* de Canon. disc. 17 num. 1. et disc. 18 n. 1 in quibus exiguus dignitatum vel canonicorum numerus veram collegiatam constituit, et sua cuique praebenda est: caeteri participantes ex communi acervo ad receptitium collegium pertinent. Quod ex *Cardinal. Pe Luca disc 19 de canon,* contingere narravit in Ecclesia G. Atqui nihil in duplicis qualitatis concursu mu-

fatum fuis-e contendit orator actu anni 1842. Haud enim novum aliquid iussit, sed antiquum agnovit et confirmavit iis verbis « *Ecclesia recognita est veluti Collegiata.* » Ideoque manere, ait, verum capitulum in Dignitatibus, receptitium in participationibus. Et hoc exemplo illustrat. Scilicet in causa *Orit-ma participationis* 6 Martii 1847, cum de Collegii qualitate disputantur S. C. Congregatio Nuntium Apostolicum de voto rogavit. Hic autem quamvis Conventiones Exequutorum decrevisset « *Ecclesia sub titulo SS. Trinitatis oppidi M. recognita fuit qualis vera Collegiata ;* » fuse exposuit qua ratione utriusque qualitatis concursus eveniret concludens: *«.Ecclesia M. naturam praesentat collegiatae erectae in praeexistenti ecclesia receptilia, cuique praeterea conservata et annexa remansit eadem receptitia ».*

Pergit secundo loco ostendens Conventionem ad casum aptari non posse; quia disponit de « *canonicatibus liberae collationis* ». Ait enim collationem non admitti, nisi probetur beneficii natura ex Corrad. in prax. benef. lib. 1 cap. 2: et Capituli G. participationes non esse beneficia in titulum collativa. Hoc dilucide fatebatur anno 1626 Episcopus N. cum numerum canonicorum definiret « *absque titulo collativo mserutentium* ». Et animadvertit nullam umquam beneficiorum institutionem evenisse, quod luculenter confirmatur ex facto,quia semper viguit in Capitulo illo « *communis acervi* » participatio. Atqui ubi deest bonorum divisio, deest praebenda, ac portioni tantum locus esse potest. Barbosa de Canon. cap. 12 n. 3 Piton, disc, eccl 17 num. 36. Itaque conclusit Orator post annum 1842 mutari non potuit portionum provisio, quia semper beneficia et collatio defuerunt.

Tertio demum articulum Conventionis ad casum non pertinere contendit, quippe qui agens de canonicatibus *liberae collationis* omnino distat al) omissionibus quae ex iustitia et patronatu derivant. Haec iura minime eversa fuisse testatur interpretatio edita illico post conventionem iis verbis « *Patroni iidem Jmissi et recogí iti fuere ab ultimo Concordato. . . . patronatus particulares sive sint ecclesias!iri sive laicales conjirnmti sunt favore p \ t ramorum legitimorum.* » Atqui le-

gitimum patronatum non modo per titulum evinci, sed eliam per antiquam possessionem conficit textu *S. Conc. Trid.* in cap. 9 Sess. 25 de Ref. illum autem ex iustitia derivantem haberi iuxta *Gagliard. de wrep. cap. 4 num, i seqq.* Nec obstat titulum non produci, ea enim est centenariae **VIS** ut fundatio probata censeatur teste Rota *in decis. 172 nam. i seq. coram Buratto.* Concludit propterea probationem pro Capitulo G. abundare, quia duobus saeculis et ultra producitur.

Postquam haec adversus obiectionem de abrogato iure animadvertisset, alia de novissima observantia perpendit. Episc )pus ait se participationes post annum 1842, Capitulo haud resistente, contulisse. Respondit Orator primum nominationum notulam ab Episcopo editam fuisse corrigendam, ita ut hae duodecim annorum lapsum quatuor vicibus non excedant. Deinceps Capitulum conclamavit. In iure vero hoc factum vel ad interpretandum, vel ad praescribendum afferri. Atqui adversus evidentiam esse nequit interpretationi locus, et nil evidentius quam quod participationes beneficia non sunt et conferid nequeunt. Addit praeterea non sine causa duodecim annis Capitulum siluisse, cum minis et exemplo suspensionum, ut ait, deterreretur. Quod si factum ad praescriptionem af' feiatur, absurdum esse contendit hanc duodecim annis conficere, *ut Rota animadvertit in Neritonen. 2 decem, coram de Vais* §. *9.*

Postremo quidquid hac de re Episcopus opponit verbo confici posse putat. Vis enim observantiae in eo est ut alias saepenumero ac diu in iisdem factorum adiunctis perinde gesta res fuerit ac modo geri exposcitur. Atqui duodecim annis dum Episcopus nominavit, ut semper mansionarios iuxta anterioritatis ordinem iure pollentes admitteret, Capitulum probare quidem non poterat quod Episcopus alienam provinciam invaderet, sed nullam in passivo patronatu iacturam fecerat. Verumtamen anno 1859 Episcopus extraneos admittere voluit, et Capitulum restitit. Observantia vero duodecim annorum non modo illi non profuit, sed extraneorum admissionem luculenter exclusit.

EA QUAE CURIAE EPISCOPALIS FAVORE ANIMADVERSA FUERE

Pro Curia Episcopali ex officio animadversa haec fuerunt; nempe Capitulum et Mansionarios totos in eo fuisse, ut an tiq nissi ma suae Ecclesiae statuta in praesenti quaestione vires atque efficaciam exererent. Verumtamen si probare contigerit ipsa nulla atque irrita fuisse ab initio, nec tractu temporis eonvalescere potuisse, causa cadant necesse est. Iamvero quod nulla cassa atque irrita fuerint huiusmodi statuta, in eo praecipue quod ad praesentem refertur quaestionem, dubitari haud posse videtur. Sane statuta quae a Capitulo arcent extraneos, et ad ipsum admittunt solum cives, servato tantum ordine antianitatis, adversantur iuri communi, hinc ea non consistere tradit Rota *in dec. 290 num. 2 p. 2 recent, et dec. 710 num. 4 coram Manzanedo.* Atqui talia sunt statuta, quae in themate ex adverso proferuntur et exaltantur.

Neque dicas in ipsis condendis Episcopi auctoritatem accessisse, quandoquidem in iis, quae iuri communi aperte refragentur nil valeat Episcopi auctoritas, sed Apostolicae Sedis confirmatio intercedat oportet. Imo cum agatur de excludendis ad consequendos canonicatus Sacerdotibus, qui non essent de gremio mansionariorum, et civica qualitate haud pollerent; ideoque agatur de excludendo, per modum regulae, certo personarum genere, pecifica opus est S. Pontificis confirmatione De Luca *de iurepatr. discuss. 67 num. 12.*

Frustra autem hic oggeres huiusmodi negocio S. Pontificis confirmationem accessisse anno 1674 per organum S. C. Congregationis. Illa enim confirmatio haud statuta respexit quoad Canonicorum promotionem et succedendi ius, sed concordiam inter Episcopum, Dignitates, Canonicos et Sacerdotes oppidi G. initam, qua ad participationem alii quatuordecim Presbyteri mansionariorum nomine admissi fuerunt, et in qua de ordine in huiusmodi admissionibus servando, minime vero de admissione ad Canonicatus actum fuit. Quare ad rem minime facere in omnium oculos insilit.

Itaque cum res vitiosa fuerit ab ir itio, perperam ex adverso consuetudinem invocari. Etenim consuetudo in re a lege re-

probata, etsi immemorabilis legem abrogare nequit ; sed re-que *subsistere,* nec ex ea proinde praesumi posset Apostolicum beneplacitum, quod numquam praesumitur in dispositione iuri contraria. Quapropter cum nulla atque irrita fuerint usque ab initio statuta, queis maximopere et Capitulum et Mansionarii innituntur, mole sua ruat necesse est ipsorum aedificium.

Neque regeras ipsis Collegiatae qualitatem tunc collatam haud fuisse, sed tantum agnitam, hinc nulla status immutatio, nullaque iuris amissio invecta: 1. quia falsum est quod antea erecta erat in Collegiatam ceu patet ex decis, coram Taja, 2. quia hoc etiam parumper admisso semper praetensum eligendi ius in auras abivit in vim articuli 10 conventionis initae inter auctoritatem civilem, et S. Sedem, ubi praefati iuris abrogatio aperte sancitur. En eius verba « *Canonicatus liberae collationis in Capitulis sive Cathedralibus, sive collegiatis respective conferentur a S. Sede et ab Episcopis; scilicet sex primis mensibus a S. Sede, aliis vero sex ab Episcopis.* »

Huc re perventa incassum Canonici oggererent huiusmodi conventionis articulum ibernati aptari non posse eoquod portiones Ecclesiae O. seu admissiones ad participationes massae communis indolem Ecclesiastici Beneficii haud praeseferunt, deficiente *erectione* et bonorum *divisione* seu *praebenda.* Nam indubium est participationes beneficiorum naturam accepisse per actum illum anni 1842, qui Ecclesiam G. uti Collegiatam agnovit; quod confirmatur per observantiam subsequutam ex qua habetur ab illo tempore usque ad annum 1859 tum a S. Dataria Apostolica, tum a Curia Episcopali plures canonicatus, nemine contradicente, collatos fuisse ut Episcopus animadvertit. Minime posse sustineri in iure quod dicitur de bonorum divisione censendum est, eo quod neminem latet massam communem loco praebendae existere, quod innumeris exemplis demonstrari posset. Attamen animadverti etiam posset huiusmodi divisionem in Canonicatibus minime, necessariam. Etenim aliud est in iure *Canonia,* aliud *Praebenda*, quarum altera quidem sine alia esse nequit, sed Ca-

noma etiam sine Praebenda admittti potest. *Differunt,* ait Pitonius *discept. Eccles. 17 num. 14, inter se canonia, et praebenda; 'quoniam canonia est ius quoddam Quod pro venit et competit ex electione et receptione in fratrem, et per eam quis consequitur ius interveniendi in choro et capitulo, lucrandi distributiones quotidianas et ea demum omnia, faciendi quae ad canonicos pertinent: cap. dilex. 19 de praeben. Praebenda autem est tus ordinatum et insti ictum pro canonico ad utendum et fruendum rebus et iuribus ad hoc deputatis, ut docet Pota etc.*

Verum etsi momento temporis admittere Iuberet huiusmodi parti ei pationes haud sumpsisse naturam ecclesiastici beneficii, nil tamen Capituli et Mansionariorum causa proficeret, quandoquidem adserta eorum iura ac privilegia per Apostolicas litteras « impensa » deleta omnino fuissent, En verba huius nodi Brevis Apostolici: « Ex certa scientia, et matura » deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitu- » dine, tenore praesentium decernimus, et mandamus, ut in » posterum ad portiones suscipiendas in Ecclesiis receptitiis » illi tantum admittantur Sacerdotes, et Clerici, qui a Vene- > rabilibus Fratribus Archiepiscopis, et Episcopis, aut Ordi- » nariis locorum pietate, ac doctrina commendatiores fuerint » inventi. Jubemus proinde, ut quoties aliquis in possessio- » nem juris praestitutae portionis assequendae in *receptitiis* » Ecclesiis fuerit iinmittendus, specimen antea ingenii ac mo- » rum de iis habeatur, qui in illam admitti desiderant, et > examen de ipsis instituatur coram Ordinariis ipsis, vel eo » rum Vicariis Generalibus, et tribus saltem ex Synodalibus » examinatoribus, eoque rite peracto Ordinarius pro sua fide » et integritate, quos digniores judicaverit, eos eligat, atque » in possessionem immittat juris praestitutae portionis asse- » quendae. Eos vero sic electos, literisque Ordinariorum com- » mendatos, veluti certae cuidam Ecclesiae receptitiae aggre- » gatos et adscriptos, ac in possessionem juris praestitutae » portionis assequendae immissos agnosci volumus, adempta » cuilibet, ac praesertim competitoribus non electis, facultate > interponendi appellationem ad Metropolitanum, seu ad Eni-

» scopum provinciae antiquiorem, pro quibus dumtaxat causis » usum appellationum hujusmodi interdictum declaramus, Con- » fidimus vero summopere, Venerabiles Fratres Archiepisco » pos, et Episcopos, ac Ordinarios Locorum nedum Nostris » hisce praeceptis, quae pro meliori Ecclesiarum hujusmodi » ministerio protulimus, magna semper voluntate, studioseque » obsequuturos, imo vero pro rei gravitate studium omne » adhibituros, ut Ministri cujusque Ecclesiae rationibus ac- » commodati adsciscantur, qui et sui muneris partes diligenter » gerant, et instituendis populis, iisque in Coeli semita diri- » gendis, opera, consilio, sollicitudine praesto sint. »

Accessit his omnibus et politica auctoritas, qua firmatum fuit quod *dispositiones in Breve contentae erunt ad amussim et religiose adimpletae.* Proindeque si verum est quod lex posterior veterem abrogat *leg. Posteriores ff. de legib.* licet de ea nulla mentio exciderit, certum esse nil amplius valere Ecclesiae G. statuta, qualibet antea firmitate fuerint roborata. Ita ut sive placeat considerare participationes uti beneficia ecclesiastica vel non, res semper in idem recidat, idest adserta Capituli iura et privilegia in tenues auras abiisse vel in vim conventionis initae sub anno 1818, vel in vim Apostolici Brevis « *Impensa* » anni 1819.

Et incassum oggererent haec nil obfuisse suis iuribus, eoquod eorum patronatus non a privilegio provenit, sed ab aliis titulis dimanat. Ut enim huic obiectioni obviam iri possit, titulum iuris eligendi, aliquantisper inquirere oportet. Iam vero illud inquirendo animadverti posse videtur, ipsum oriri vel ex iustitia, et veri iuris patronatus praeseferre indolem, vel ex gratia et dumtaxat electionis indolem importare, quod stricta regitur interpretatione, et ad concedentis libitum potest revocari ceu scribit Gagliardi *De iurcpatron.* cap. 4 n. 1 cap. 8 n. *21*, 35. Atqui eligendi ius ex privilegio mere gratuito Capitulo G. anno 1674 quaesitum fuisse ex praehabita factorum historia liquido apparet. Tunc enim temporis"* *ad sedandas ccntentiones, dissidia et lites motas* Episcopus, communi totius Cleri suffragio, hoc statuit « *Capitulum praedictum constans nunc ex quatuor dignitatibus, et viginti*

*uno Canonicis. . . . augendam duximus, atque adiungimus et aggregamus duodecim Sacerdotes. . . . per nos hac prima vice dumtaxat ex eis magis idoneos eligendos et deputandos, posthac vero, et deinceps post eorum, et cuiuscumque eorum obitum alios de clero successuros, iuxta temporis anterioritatem in assumptione ad Sacerdotium iure suo absque nova provisione aut declaratione. »*

Ergo nullimode fas est tituli onerosi vestigium reperire in memorata concessione anni 1674, cum nec fundatio nec dotatio, sed nonnisi Episcopalis benignitas eligendi ius Canonicis G. indulserit. Iam vero huius tituli ex gratia quaesiti naturam haud immutari per immemorialem electionum possessionem decrevit S. Rota in *Caesenaten. seu Ariminen. Molendini 16 Jan. 1743 cor. Calcagnino. In decis. 79 num. 25 coram Olivatio;* et affabre tradit Pitonius de controv. patron, all. 47 num. 65.

Cum itaque ius eligendi, quo se pollere iactat Capitulum G. non ex iure patronatus, sed ex Episcopali liberalitate originem ducat, illud radicitus avulsum dicendum post conventionem anni 1818. Quinimo omnimodam eligendi iuris amissionem propugnari posse videtur etiam ex novissima immutatione Ecclesiae G. quae anno 1842 uti Collegiata agnita fuit. Rem primum implicite evincit praesumpta Capituli voluntas. Siquidem explorati iuris est patronum qui consentit Ecclesiam in Collegiatam converti, nominandi facultatem amittere prout docent Schmalzgrueber *in ius Eccles, univers, p. 4 tit. 38 num. 45.* Reiffestuel *ad lib. 3 decret, tit. 33 num. 125.* Atqui Canonici G. non solum siverunt ut eorum ecclesia ceu Collegiata declararetur, sed etiam huiusmodi negocium enixe procurarunt, ceu ipsorum patronus innuit.

Quare concludi necesse est praetensum Capituli et Mansionariorum ius, vel numquam iuridice extitisse, vel per conventionem anni 1818 et per Apostolici Brevis *Impensa* censuram penitus eversum atque deletum.

His praemissis peritiae EE. CC. S. C Congregationis sequens oblatum fuit dirimendum

**llubium**

*An constet ae iure Capituli admittendi Mansionarios ad Canonicatus vacantes, servato anterioritatis ordine in casu.*

RESOLUTIO. S. Congregatio Concilii die 11 Maii 1872. causa cognita, respondere censuit:

*Sacerdotes actu in possessione participationis Canoniea tus vel Mansionariatu non esse amovendos, salvis canonicis exceptionibus, quatenus aliquis sit iis obnoxius: quoad admittendos in posterum servetur dispositio Brevis Impensa. Facto verbo cum SSmo*

Ex QUIBUS COLLIGES:

L Ius electionis oriri posse vel ex iustitia vel ex gratia; et in primo casu illud praeseferre indolem veri iurispatronatus; in secundo tantum electionis indolem importare eo quod ad concedentis libitum revocari possit, dum stricta regatur interpretatione.

II. liis electionis in themate ortum fuisse ex privilegio mere gratuito haud ambigendum videtur; cum per concordiam Ordinarium inter et Canonicos eiusmodi norma obtinendorum Canonicatuum constituta fuerit.

III Statuta Capitularia, quae *specificam* non obtinuerunt Apostolicam confirmationem nullius esse roboris quatenus excludant, per modum regulae, certum personarum genus a consequendis ecclesiasticis beneficiis, eo quod iuri communi adversentur.

IV. Consuetudinem in re a lege reprobata, etsi immemorabilem, abrogare legem nequire; neque ex ea praesumi posse Apostolicum beneplacitum, quod numquam praesumitur in dispositione iuri contraria.

V. Non esse opus bonorum divisione in Capitulis ut praebendae induant beneficii ecclesiastici naturam ; eo quod neminem latet massam communem existere praebendarum loco.

VI. Valde inter se differre *Canoniam* et *Praebendam:* per primam enim Canonicus electus ius consequitur ea omnia faciendi quae ad Canonicos pertineant ; per secundam vero habe[1] ius ordinatum et pro eo institutum ad utendum et fruendum rebus et iuribus ad hoc deputatis.

*Die 22 Augusti 1674, et 26 Iunii 1875,*

**Compendium facti.** In civitate M. Dioecesis C. duae antiquitus aderant paroeciae, quarum prima dicata fuerat S. Mariae de Stella, altera autem Divo Nicolao. Verum nulla ex hisce paroeciis circumscripta erat conflnibus, sed per distinctas familias earum cura a respectivis rectoribus gerebatur.

Dictu perdifficile est, quot discordiis, et litibus huiusmodi paroeciae sese divexaverint, nonnullas ob praeeminentias atque praerogativas, quibus unam super alteram paroeciam potiri et gaudere contendebat. Attamen anno 1788 vertente, frequentiores enatae fuerant contentiones, ac iurgia inter parochianos S. Mariae de Stelli qui vocabantur Mariani, et Parochianos S. Nicolai, qui Nicolini audiebant. Hinc ad huiusmodi incommoda propellenda in vim Decreti civilis auctoritatis, binis suppressis paroeciis illa S. Nicolai, utpote populo cotnmodior, in matricem et parochialem sub titulo, ac denominatione SSmi Salvatoris erecta fuit. Et id factum fuit ut radix iurgiorum et contentionum eliminaretur.

Apud civile gubernium illico parochiani S. Mariae reclamarunt, ne decreto eiusmodi exequutio daretur, at frustra quia Episcopus exequutus est. Verumtamen simultates et iurgia exinde haud sopita fuere; quinimo saepe saepius vehementiori impetu renasci visa sunt, licet illico non sine praeiudicio ecclesiae S. Mariae sopita fuerint a laica potestate. Ventum est itaque ad annum 1848. Hoc tempore cum omnia sus deque versa essent in illa regione, Parochiani S. Mariae occasionem nacti sunt reintegrationem suppressae paroeciae S Mariae ab Episcopo expostulandi et voti compotes facti sunt. Verumtamen, restituta pace et regio redintegrato imperio,

iterum paroecia S. Mariae ad pristinam redacta fuit conditionem, in qua licet invita versata est usque ad annum 1868.

Hac tristissima aetate iterum *Mariani* parochialitatem S. Mariae vindicare conati sunt. Hinc ad politicam auctoritatem recursum habuerunt, ut optatum finem consequi tandem possent. At in irritam cesso tentamine, ad S. Sedem se converterunt ut eorum desideria complerentur.

Ablegatae fuerunt Episcopo eiusmodi preces, qui breve post temporis intervallum, mandatis S C C . obsequens responsum dedit.

## Disceptati» syuopticB

EA QU.ak FAVORE RESOLUTIONIS UNIONIS PAROECIARUM PROSTANT. Duplici ex capite Orator autumavit resolvendam fuisse paroeciarum unionem, nempe ex defectu *potestatis, seu competentiae,* atque ex defectu seu *erro n citate causae.* Et quoad primum, ait, beneficia atque ecclesias praesertim curatas uniendi potestatem praeter Pontificem soli Episcopo competere in vim cap. *Sicut unire de excess, praelat,* cap. *quod, translationem de off. praelati* et ex *Conc Trid. Sess. 24 cap. 1, 3 de Reform.* Cui doctrinae concinere subdit Rebuf. *in prax. benef c. tit. de union, num. 22. et 23 Leo in Taesaur. for. Eccles. Univ. part. 2 cap. 16. num. 22. Van-Espen Ius Ecries. Univers, part. 2. tit. 29. cap. 1. num. 18. Ferraris bibliothec. V. parochia num. 16. Qarcias de benef, pari. 12. cap. 2. num. 147. Schmalzgrueber iur. Exies. Univers, tom. 3. p. 1. tit. 5. num. 170* et alios.

Hoc posito edicit unionem beneficiorum maxime parochialium a laica potestate decerni haud posse et decretam nullam atque irritam esse, ideoque resolvendam. Iamvero unionem in themate a laica potestate peractam fuisse ex decreto diei 29 Febiuarii anni 1788 constare Neque oggeri posse subdit huiusmodi unioni Episcopum S. accessisse. Praeter enim quam quod etiam in hac- visione adhuc deessent solemnitates ad huiusmodi opus legitime peragendum, illud maximopere animadvertendum esse existimavit nullum hac de i e subsistere Episcopi decretum. Episcopo tantum notificatum fuisse ojcretum laicae po-

testatis ut nosceret et ei obtemperaret tanquam *Gubernii mandatorum executor* quin eius effectus praepedire valeret. Hanc et non aliam Episcopi partem fuisse in hoc negocio absolvendo tum anno 1788, tum annis 1811, 1819, 1826.

Id autem adeo verum fuisse subiunxit, ut vix Ecclesiastica potestas a Gubernii vinculis anno 1848 soluta fuit, illico unionem respuerit, atque dissolvi mandant. Neque huic thesi obesse potuisse sustinuit singulare ius, quo fruitur Civilis Auctoritas ex concessione Urbani II et Benedicti XIII; dum minime in eiusmodi concessione agatur de collationibus, unionibus beneficiorum, et praecipue parochialium, illorumque divisionibus ac dismembrationibus.

Quod confirmar] ait ab antecedenti exemplo quoad has punctim Ecclesias S. Mariae, et S. Nicolai eiusdem civitatis. Sane anno 1710 non saecularis potestas, sed Episcopus unionem decrevit sub reservatione confirmationis ab Apostolica Sede interponendae, et dein pariter non a saeculari potestate, sed ab Apostolica Dataria et a S. C C . unio reprobata et resoluta fuit. Itaque subsumpsit Orator, si sub annis 1710 et 1714 pro decernenda vel reprobanda unione unice competens iudicata fuit iurisdictio et auctoritas Apostolicae Sedis, nec ullimode laica potestas ausa fuit falcem immittere in messem non suam, ecquo modo sub annis 1788, et 1849 competens esse potuit saecularis huiusmodi potestas'i Ecquo modo potuit huiusmodi potestas anno 1788 illam unionem decernere, quae iam inde ab anno 1714 ab Apostolica Sede reprobata fuerat? Ecquo modo contra decretum et factum Episcopi qui anno 1848 parochiam restituerai, iterum anno 1849 unionem praescribere? Ex his itaque patere concludit parochiarum unionem tum anno 1788, tum anno 1849 peractam nullam atque irritam proclamandam esse ex *defectu potestatis,* ideoque omnino resolvendam.

Post haec ad alterum nullitatis caput transvolat Orator ex defectu *causae canonicae* desumptum. Ait enim: ut unio rite fiat tres causae intervenire debent, scilicet 1. tenuitas fructuum Ecclesiae,cui fit unio, 2. Evidens necessitas, 3. Magna ecclesiae utilitas. Idque arguit ex cardinal. Thusco *conclus.*

*231 et seqq. Garcías de re be» e fi c. par t 12. cap. 2. num. 113. Lot ter io de re bene f c. lib. 1. quaest. 28. n. 142.* Porro nullam ex istis causis in themate interfuisse edicit. Siquidem non alia ratio a laica potestate liidigitala fuit. quam desiderium sopiendi iurgia et aemulationes inter utriusque ecclesiae parochianos excitatas. Iamvero huiusmodi causas non inter *canonicas* sed inter politicas et profanas recensendas esse existimavit. Imo eas ne veritati quidem ac iustitiae innixus fuisse subiunxit. Dedecet enim, imo iniustitiam redolet praetextu iurgia et contentiones sopiendi unum ex contendentibus ad servitutem alterius reducere. Nullam hinc causam canonicam interfuisse patet, ac proinde unionem in casu nullam atque irritam fuisse concludit, ideoque resolvendam.

Quoad secundum vero dubium brevibus se expedit Orator. Edisserit enim ad dismembrationem faciendam iustam requiri *necessitatis et utilitatis causam.* Ita tradit S. Rota *in de ds. 26 num. 21 coram Ansaldo, S. C.Congr. in Novarien, unionis 26 Novembris 1763* §.. *Synodus, in Lanciarteli. 11 Iulii 1825* §. *Locum, in Ftdginaten. parochiarum 15 Septembris 1837* §. *Nec precibus.* Iamvero huiusmodi necessitatem in facto urgere; eo quod superiori saeculo civitas M. quinque millium et septingentorum civium numero constabat, et tamen binis fruebatur parochiis, in presentiarum autem numero civium decem mille constat et unica petitur porochia. Hinc necessitatem paroeciam dismembrandi manifestam esse concludit. Utilitatem autem adesse ex eo relevat, quod, divisa paroecia, commodius animarum saluti consulitur, quandoquidem quo maior est pastorum numerus, eo maior atque tutior est gregis custodia atque animarum adsistentia. Quapropter orationi finem imposuit edicens paroeciae dismembratione locum fieri debere, si resolutionem unionis reiiciendam esse prudentius existimatum fuerit.

EA QUAE FAVORE MAT I ICITATIS ECCLESIAE PROSTANT.

Orator adve. .sus qui matricitatem Ecclesiae vindicavit, duplici ex capite tantum contendit peti posse dissolutionem unionis binarum paroeciarum anno 1788 effectuatae; nempe vel

demonstrando unionem ipsam illegitimam atque irritam in sua origine fuisse; vel demonstrando novas causas supervenisse, quae evidentem necessitatem aut utilitatem Ecclesiae inducant ad unionem dissolvendam iuxta Canonistarum doctrinam, teste *Schmalzgrueber iur.eccl. univ. p. i. t. 5. §. 199.* Atqui neutrum intercedere affirmavit; imo vero contrarium suaderi demonstrare sategit tum ex iustitia et validitate unionis iamdiu secutae, tum ex necessitate eamdem unionem sustinendi in bonum ecclesiae, hinc refutandam fore dissolutionem deduxit.

Ex duplici fonte dimanare edixit iustitiam et validitatem unionis beneficiorum; ex rationibus nempe unionem ipsam suadentibus, atque ex auctoritate Superioris eamdem decernentis. Rationes porro designari in genere ex *cap. exposuisti 33. de praebend.* easdemque consistere in evidenti necessitate vel utilitate Ecclesiae « ibi » *si evidens necessitas vel utilitas Ecclesiae exigat.* Ampliori autem latitudine *Concil. Trid. in Sess. 7. de refor. C. 6.* quamlibet legitimam ac rationabilem causam superaddere. Et cum de paroeciarum unione speciatim disponat in Sess. 21. de Reform, c. 5. dum peculiarem causam paupertatis exprimit, eadem etiam generica designatione adhibita, casus alios omnes a iure permissos insimul contemplât *« possent Episcopi etiam tamquam Apostolicae Sedis Legati facere uniones ecclesiarum Parochialium propter earum paupertatem y et in caeteris casibus a iure permissis ».* Quum itaque generica et latissima sit causarum designatio, certam exinde regulam constitui haud posse edocere *Card. De Luca* in suis *annot.* ad Concilium Trid. disc. 8. n. 13, sed iustitiam et validitatem unionis pendere ex singulorum casuum adiunctis; negotium idcirco, ut plurimum, remittendum esse prudenti arbitrio Episcopi tradit in disc. 34 de Paroch. n. 2.

Inter casus multiplices, qui rationabilem unionis causam suppeditant, extinctionem discordiarum adnumerandam esse unumquemque conspicere, si animadverterit, gravissimorum malorum originem ex discordiis ipsis foveri. Modo enim easdem pestis nomine appellant Sacri Canones, illarumque fautores Deum prodere, et Iudae proditori assimilari obtestantur, ceu in c. 83 can. 11, qu. 3; modo autem periculis plenas, dispen-

diis onustas, atque divinae maiestati exosas esse discordi n declarant, ceu in *Ciernen, un. de sepulturis cap. 2.* bine etiam Apostolici ministerii praestantissimum officium e-se, discordias, tamquam principis tenebrarum fomenta extinguere edocent, prout in *ecotrav. com. de Ireg. et pace cap. 1* Si igitur tam grave malum est discordia in Ecclesia, et supre mum ex hoc ipso bonum est illas dirimere; iustam ac legitimam idcirco causam unionum Ecclesiarum in hoc ipso reponendam esse arguit, quod iamdiu iudicio summorum Ponti ficum, nec non exemplo S. Rotae Romanae et S. C. O. confirmatum est.

Orator citat unionem duarum Paroeciarum a Friderico Card. Borromaeo peractam ad sedandas discordias in Clero exortas, et decretum eiusmodi a Summo Pontifice confirmationem obtinuisse. Quum deinceps in iudicium haec unio coram S. Rota deducta fuisset, sufficientiam causae, ad discordias nimirum sedandas, hoc Tribunal extra omne dubium agnoscendam esse decrevit *in decis. 139. n. 3. p. 4. rec.*

De veritate dissensionum in facto non esse dubitandum probavit Orator testimoniis variis et complurimis. De auctoritate Superioris unionem decernentis nullum quoque dubium exurgere posse subdit, siquidem ambiget nemo, quod talis auctoritas personae Episcopi tamquam Apostolicae Sedis Delegati inhaereat; ita enim est apertissime constitutum in praecitato Canone Conc Trid. Sess. 21 de Reform, cap. 5; atque ita post ipsum unanimiter tradunt *Petrus de Perusiis de union, eccles, c 4. n 21. Gardas de Benef. pag. 12. c. de union, n. 62. Ferraris in titulo unionis 53 Card. De Luca annot. ad Conc. Trid. disc. 7. n. 11.* Igitur cum iustae ac legitimae causae pro unione de qua agitur ad discordias extinguendas praecessissent, et cum opportuna Episcopus praeditus fuisset auctoritate, optimo iure decretum editum fuisse contendit, suppressa Paroecia in Ecclesia S. Mariae de Stella, mutatisque utriusque Ecclesiae titulis, unica permanente Paroecia in Ecclesia matrice SSmi Salvatoris.

Unione perfecta hisce conditionibus, quominus ipsa dissocietur, obsistere, ait, prae primis, naturam unionis ip4us;

quae cum sit perpetua iuxta decretum *Conc. Trid. cit. Sess. 21. de Reform, c. 5.* nullatenus idcirco « *nec revocari, nec quoquo modo potest infringi* >. Et quantumvis non ita perstriete eiusmodi decretum intelligendum sit, ut neque etiam ex iusta causa, uti superius enunciatum est, nequeat unio dissolvi, nihilominus iuxta sensum *Card. De Luca ana ot.ad Conc. Trid. disc. 7, n. 34 nimirum, rarus est casus dissolutionis, quae cum species alienationis dicatur exigit rigorosas solemnitates et causas.* Nedum in casu deficere rigorosas eiusmodi causas, imo ex adverso causas omnino oppositas exigere, ait orator, ut firma atque inviolabilis conservetur ipsa unio. Has causas enim esse illas easdem, quae unionem produxerunt, discordias nimirum, lites et iurgia, quae mox revivisceret ex inconsulta dissolutione si forte obveniret.

Pluries insuper Rectores Ecclesiae Immaculatae Conceptionis pertentavisse re vindicare eidem Ecclesiae paroecialitatem, sed semper periculum discordiarum, et pacis publicae perturbationis minan ter obvenisse. Anno 1850 eiusdem Ecclesiae fautores iterum postulasse a civili potestate; sed postulationem reiectum fui-se ob imminens discrimen partium quae agitare possent Municipes. Nec dissimile fuisse iudicium a novis dominatoribus emissum anno 1868, cum Immaculatae Conceptionis Ecclesiae Héctores ab illis postularunt contra sanctiones canonicas ut eorum Ecclesia redintegrare^r in Paroeciam. Episcopum ipsum utut Ecclesiae Conceptionis satis proclivern, occultare haud potuisse in sua informatione diei 24 Augusti 1873 S. C. Congregationi exhibita, adhuc esse pertimescendum aliquem popularem tumultum in actuatione dismembrationis. Eo quod eiusmodi fautores quippe qui infecti fuissent specie cuiusdam liberalismi, parochialitatem illius ecclesiae peterent intuitu politico potius quam religioso.

Quod causa parochialitatis non quidem intuitu Ecclesiae utilitatis animarumque salutis, ¿sed pro factionum potissime utilitate et commodo noviter excitata fuisset, per se ipsum patere. Ideoque imprudenter ac temere niti eiusmodi fautores au ctoiitatem Ecclesiae, ac S. Sedis Apostolicae immiscere in hisce popularibus colluctationihus.

Ordinarius tamen in sua praecitata informatione excipit quod populus ille qui numerat ultra decem mille animas, nequit commode sacramenta recipere in una Ecclesia opera quatuor Capellanorum solummodo. Sed Ecclesiae matricis defensor reposuit, omnino gratuite ac sine ulla vel minima factorum cognitione Episcopum edidisse eiusmodi testimonium. Etenim non minus quam decem Sacerdotes ibidem quotidie poenitentiae Sacramentum administrare, et dum duo coadiutores, et quatuor Capellani in subsidium Parochi curae ani manui) incumbunt, sacerdotes eosdem omnia alia sacra officia explere in Ecclesia. Quoad divinum cultum et religionis pietatisque incrementum, illius Ecclesiae conditionem fuisse prosperam autumavit. Florere ibi enim septem pias sodalitates; frequentes esse in Ecclesia functiones sacras, et verbi Divini dispensationes communionesque generales. Haec autem pia opera, quae matricem Ecclesiam exornant, dum ecclesiasticum zelum sacrorum ministrorum commendant, aliud etiam validissimum argumentum suppeditare, ne unio scindatur; quoniam ex hac dissociatione maximum detrimentum religio et pietas fidelium exinde caperent ob dissolutionem earumdem operum, quae necessario sequeretur, dum nec amplius piarum institutionum centrum haberetur in una Ecclesia, nec iidem directores opitularentur, qui sodalium fiduciam nunc possident.

Ad dubium secundum gradum faciens Orator thesim confirmavit suam ex peculiari dispositione Conc. Tridentini. Nullam quippe aliam rationem quae sese referat ad dismembrationem, adduci ab oppositoribus, quam numerum fidelium aliquot ab hinc annis adauctum, nec non distantiam quarumdam domorum ab Ecclesia, matrice. Verumtamen, ait ille, quoad numerum fidelium adauctum, hoc ipso in casu Conc. Tridentinum consultissime prospiciendum praescribit in *Sess. 21 de reform, c. 4* non quidem cum dismembratione paroeciae, sed tantummodo adaugendo numerum coadiutorum Parochi. Unde unanimis Canonistarum sententia, quod numerositas populi sufficientem causam pro dismembratione Paroeciae haud suppeditat; ita docent *Pyrrhus Corradus prax. benef c. I. 3 c. 2 n. 7 P iri t in g. iur. can. I. 3 tit. 48* §. *i n. 5 Bota decis. 288*

*n. 2 p. 2 rec.* Opus non esse -Sacerdotum augmento qui Parocho cooperentur facile evinci ex facto anni 1868 quum jngriieret asiaticus morbus. In illo enim adiuncto deo diligenter et strenue infirmis opitulatum est per clerum paroeciae Matrici addictum, ut nulla iopiosiorum coadiutorum necessitas apparuerit; quae necessitas multo minus verificatur ubi nulla extraordinaria adsit causa, vel pestilentiae contagium.

Relate ad quarumdam familiarum distantiam ab Ecclesia, Orator ipse baud inficiatur ipsam aliquando causam dismembrationis obtulisse ex Conc. Tridentino. Verumtamen hoc apertissime praescribi non intuitu ipsius distantiae, sed ob causam magni incommodi, quod sustinere quandoque tenentur Parochiani dum accedun[1] ad Ecclesiam; ita in citata *Sess. 21 de Reform, cap. 4.* Non igitur distantia vel dificultas locorum, ait, est disiunctive causa ad dismembrationem decernendam sufficiens, sed copulative cum magno incommodo Parochianorum. Ita quippe tradunt praelaudatis *Lotterius I. 1 qu. 28 n. 29. Fargna de iure patron, p. 1 can. 4 as. 4 n. 62.* Quam doctrinam semper tenuisse S. C. C. erui ex *Toletana p ar o ditali s de Mab ice i Feb 1602 apud Grarciam de benef, p. 12 c. 3, Cassanen. di>m'<nbrationis 17 Decembris 1740, Vin'imilien. dismembrationis 8 Augusti i818.*

At nullibi de hoc gravi incommodo p irochianorum adversarios conquestos esse, et tantum enunciavisse unam distantiam quarumdam domorum, quam enunciationem potius adversus illos converti, dum Ecclesia matrix occupet centrum eiusdem oppidi. Atque ex omnibus habitantibus, partem tantummodo vix septimam aut octavam centum et sexaginta circa metris longius distare a matrice quam ab Ecclesia Conceptionis; maximum vero domorum et incolarum numerum valde longius ab isthac distare quam ab illa. Ceterum neque flumina, neque torrentes, neque colles aut valles traiicere oportere ut ab extremis oppidi moenibus ad Ecclesiam matricem perveniatur, quod omnino requiritur ad dismembrationem iustificandam. Quamobrem deesse conditionem omnino n Concilio Tridentino requisitam quoad distantiam locorum, ut nimirum eisdem coniungatur grave incommodum fidelium; ac proinde sub hoc

etiam respectu dismembrationem reiiciendam omnino esse conclusit.

Hisce breviter praenotatis sequentia dirimenda proposita fuere

**Dubia.**

I. *An et quomodo sit locus resolutioni unionis paroeciarum M. in casu.*

*Et quatenus negative*

II. *An et quomodo sit lo .us d/smembra turni dictarum pai oeciarum in casu.*

RESOLUTIO. - S. Congregatio Concilii die 22 Augusti 1874, causa cognita, respondere censuit.

*Ad I. et II. Paroeciam S. Mariae de Stella de iure existere nel normam rei iudicatae anni 1715; attentis vero cir cu mst i ntiis esse locum divisioni Paroeciarum S. Mariae et S. Nicolai iuxta limites ab Episcopo propositos et ad mentem « La mente è che ii Vescovo proceda alla, divisione, quando egli lo giudicherà prüden'e, e dopo aver preso gli oppo-i tu ni concerti, ed essersi assicurato della certa e stabile dotazione per la P ar occhia di S. Maria »* (1).

At animo non deiectus Ecclesiae **S.** Nicolai defensor novam imploravit ac obtinuit audientiam contendens inter caetera, eiusmodi Ecclesiae matricitatem non solum inniti subsidio nudi facti, imo vero provisionibus et decretis quamplurimis tum Curiae Ecclesiasticae cum civilium tribunalium. Proindeque acquiescere haud posse S C. C. decisioni, no iterum, praeter alia incommoda, via aperiretur vetustis dissidiis atque intestinis discordiis. His, aliisque praeiactis, duplici capite quaestionem absolvit: nempe propugnando validitatem unionis anno 1788 peractae et necessitatem dismembrationis refutando. Quoad primum caput in parte demonstrativa iisdem prope usus **est** argumentis, quae in priori causae disceptatione exposuerit. Quoniam vero Rescriptum exinde editum Paroeciali**ta**tem

(I) Quae verba italica, latino idiomate versa, ita sonant - Mons est ut K,. iscojius procedat ad di visionem quum prudens esse iudicaveiit. et postquam opportunas ceperit conventiones, et securus factus fuerit de corta stabilique dote pro Paroecia S. Mariae,

Ecclesiae S. Mariae de Stella ad formam reiiudicatae anni 1715 consistere enuncians, unionis validitatem nullatenus agnovit, hinc ad unionem ipsam protuendam, ad ipsum Rescriptum habito respectu, novis tum ex iure, tum ex facto argumentis deductis, nunc diffusius progressus est.

Variis eiusmodi expositis adiunctis, ut unionis validitatem evincerei defensor, quaesivit causas quae unionis ipsius solutionem suadere possent; nullamque invenire asseruit.

Tandem ut excluderet Ecclesiae dismembrationem, praeter ea quae superius relata sunt, notavit adesse in provincia illa, exempla civitatum longe populosiarum, quae maxima tranquillitate reguntur sub una Paroecia; et adiunxit odia et simultates iterum conflagrati quatenus eiusmodi dismembrationem fieri pateretur.

Defensor autem S. Mariae de Stella allegationem exhibuit, qua summis laudibus editae decisionis iustitiam prosecutus est.

Porrectae sunt novae deductiones coram S. O. O. et propositum fuit dubium *An sit standum vel recedendum a decisis in primo et secundo dubio in casu.* S. Congreg rio causa denuo discussa die 26 Iunii 1875 respondit: *In decisis; salvis tamen praerogativis matricitas* ***is*** *mere honorifici s favore Ecclesiae S. Nicolai, et amplius.*

Ex **QUIBUS OMNIBUS COLLIGES :**

I. Potestatem uniendi Ecclesias, praesertim curatas, competere tantum, ad iuris normam, ad Romanum Pontificem et ad Episcopos.

II. Iuxta Concilium Tridentinum Episcopos facultate pollere cogendi Rectores Ecclesiarum sibi adiungere Sacerdotes coadiutores si populus sit numerosus, ita ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis, et cultui divino peragendo.

III. Eosdem Episcopos pollere etiam facultate novas constituendi paroecias si parochiani ob aliquod grave obstaculum accedere nequeant sine magno incommodo, ad percipienda Sacramenta, et divina officia audienda.

IV. Tamen ut dismembratio fiat iuxta iuris normam, praeter alias solemnitates, quae consistunt in audiendo Parocho aliisque, quorum id intersit, absolute requiri iustam causam, ut evitetur animarum periculum, quod oriri solet ex distantia vel ex itineris difficultate.

V. Quamvis per coadiutores consuli possit distantiae et difficultatis itineris incommodis, plenius tamen, iuxta nonnullos Doctores, satisfieri per novae paroeciae erectionem, eamque fuisse Tridentini mentem in casu magni incommodi.

VI. Uniones vel dismembrationes beneficiorum praecipue parochialium a laica solummodo potestate peractas nullas atque irritas in iure ecclesiastico evadere.

# IURIUM PARAROCHIALIUM (1)

*Die 25 Ianuarii 1873.*

**Compendium farti.** Supremis tabulis anno 1739 conditis, Agaiba et Beatrix sorores B. civitatis R. omnia bona sua relinquebant /pro erigendo in patria Conservatorio mulierum civilium et honestarum; ad hoc executores testamentarios cum omnibus facultatibus opportunis designantes Parochum pro tempore S. Nicolai , et Praepositum Congregationis S. Philippi Nerii. Utraque testatrice elata, mandato paruerunt executores, et Conservatorum erectum est anno 1747 sub titulo S. Theresiae cum regula et oratorio propriis, quod mansit usque ad annum 1810, quo vertente, et hoc, et Congregatio S. Philippi, et alia eiusdem civitatis Monasteria, generali Italied Gubernii edicto suppressa fuerunt.

Pontificiae ditionis rebus in pristinum restitutis. Vicarius Apostolicus Dioecesis S. Sedi exponebat: extare in civitate R. redditus pro restauratione Monasteriorum S. Clarae et S. Catharinae, nec non pro dotatione duorum Sacerdotum Congregationis S. Philippi: insufficientia vero esse in eadem civitate media sanctificationis et Christianae institutionis: aedesque Seminarii arctas nimis esse pro numero clericorum: et proponebat, ut posthabita Monialium S. Clarae restauratione, earum domus et bona Seminario assignarentur cum onere annuam solvendi pensionem cuique ex septem Monialibus dicti Monasterii quae adhuc in vivis erant: ita tamen, ut post obitum trium e dictis Monialibus earum pensiones cederent tribus Sacerdotibus Congregationi S. Philippi adiungendis; sub*

**(1) Recolantur causae Seminarii relata' in Vol. III pag.** 47 **et seq. et** ***Funerum*** **relata' in Vol. VII pag. 161 et S3<j.**

secuta demum morte omnium Monialium, reliqua pensionum summa erogaretur in sustentationem quatuor Magistrarum Piarum, quae ad puellas educandas in evacuandis Seminarii aedibus institui potuissent.

Voti compos factus est Vicarius Apostolicus; et Pontificio Decreto intercedente. Magistrae Piae, numero saltem quatuor, ex bonis extincti Monasterii S. Clarae a Seminario dotandae, in aedibus ipsius Seminarii institui poterant, cum scholis externis, et interno pro educandis puellis Conservatorio. Ne vero ad hoc insigne bonum explendum Monialium S. Clarae obitum expectare necesse esset, Summus Pontifex, in hoc etiam Vicarii Apostolici propositiones excipiens, S. C. C. decisione diei 22 Martii 1822 indulsit: ut quae de Conservatorio S. Theresiae Convictrices adhuc in vivis erant, statim Seminarii aedes ingressae, optatum educationis opus interea executioni mandarent. Et ita factum est, ut ab anno 1822, in oratorio interno antiqui Seminarii novum conservatorum! officia persolveret usque ad annum 1846; quo volvente, Ecclesiam S. Antonii Abbatis a Patribus Antonianis olim possessam, novissime vero Seminario pertinentem, a Seminario cum propriis aedibus Conservatorio traditam huiusque sumptibus penitus renovatam. Episcopus G. benedixit, et Conservatorii usui solemniter deputavit.

Cu ai itaque Conservatorium suam haberet publicam Ecclesiam, Episcopus G. obtenta a D. Parocho S- Angeli cessione jurium quae ipsi in dictum Conservatorium utpote in sua ditione situm competere poterant; a iurisdictione parochiali decreto suo exemit: reservata tantum juxta Apostolicas Constitutiones parocho S. Angeli quarta funerali seu portione canonica ex emolumentis Ecclesiae Conservatorii obvenientibus, occasione funeris tam virginum sacrarum et Novitiarum, quam mulierum vel probationis vel educationis vel mensae causa in Conservatorio degentium. Notandum vero huius decreti in actu visitationis editi, unicum ad praesens exemplar existere, manu quidem Ordinarii exaratum, sed subscriptione et sigillo haud munitum.

Paullo post ab emissa renunciatione parochum D. facti sui poenituit, eamque penes S. C. C, nullam declarari postulavit, hac praesertim de causa ; quia per eam successorum in officio Parochi S. Angeli iura laedebantur. Uogatus de more pro informatione et vot; Ordinarius qui interea temporis erat Episcopus B. referebat « ius pene nullum parochum S. Angeli » exercuisse in Conservatori um S. Theresiae ; et usque ad » annum 1846 eum exequias defunctis convictricibus persol- > visse tantum iure sepulchri, quod, non habentes proprium » obtinebant ipsae in templo parochiali vel in publico coe- » meterio. Id esse consonum constitutionibus Conservatorii, » et nullum ex renunciatione Parochi D. successoribus prae- » iudicium imminere, cum Ecclesia S. Antonii, Apostolica Au- » ctoritate Conservatorio concessa, nunquam filialis fuerit : » ac proinde nunquam super ea Parochus ius ullum habue- » rit, nec unquam possit invitis dominis obtinere.»

Accidit autem, ut dum haec informatio expectabatur adhuc, Parochus S. Nicolai et ipse libello exhibito, redintegrationem exposceret eorum omnium iurium quae sibi et Praeposito S. Philippi spectabant ex voluntate testatricium sororum B. super Conservatorio S. Theresiae. Et quoniam interea novus Episcopo B. successerat in dioecesi H. Ordinarius, eum quoque sciscitata est S. Congregatio, ut referret, et votum suum panderet de iis omnibus iuribus, quae, ratione habita subiectae materiae, tum Parochus S. Angeli, tum ille S. Nicolai sibi competere adserebant. Et re funditus perpensa, autumabat ipse quoad Parochum S.Nicolai, per Conservatorii erectionem omnem eorum potestatem cessasse qui testamenti executores electi fuerant: quo vero ad Parochum S. Angeli, rogabat: ut preces Convictricium excipiens S. C. decretum Episcopi G. approbare, confirmare, atque Apostolicae Auctoritatis sanctione munire dignaretur.

Decretum prodiit assuetum *ponatur in folio* sub die 8 Iunii 1857. Deinde causa siluit: et controversia pendente aliquae decesserunt Conservatorii sorores, quarum funera peregit Confessarius: soluta quarta funerali Parocho S. Angeli %

qui tamen sibi parochialia iura reservavit. Mortua quadam Maximina puella, idem Parochus iura servanda instanter expetivit, et ne alicui praeiudicium inferretur, funus absolutum est per Vicarium Capitularem in Ecclesia Conservatorii. Reassumendae liti vero causam dedit obitus divitis cuiusdam puellae cui nomen Maria, quae educationis causa in Conservatorio commorabatur; Vicarius namque Capitularis hoc in casu disposuit, ut missa solemnis praesente cadavere a confessario in Ecclesia Conservatorii celebraretur, et Parochus S. Angeli reliquum in Ecclesia propria funus absolveret; depositis interim emolumentis usque ad definitionem controversiae, quae, ut infra videbitur, haec omnia facta complectitur.

**{Disceptatio sinóptica.**

SUMMA ARGUMENTORUM PAROCHI S. NICOLAI.

Parochus S. Nicolai contendebat: iuxta mentem Sororum B. I° Conservatorium S. Theresiae esse debuisse et fuisse revera Congregationem personarum saecularium, ideoque parochiali iurisdictioni subiectam: 2" ad certas vivendi regulas teneri speciatim in rebus spiritualibus, quae executurum testamentariorum auctoritati eas submittunt: 3° plenam in erigendo conservatorio facultatem factam fuisse executoribus testamentariis, qui revera, independenter omnino a cuiusque immixtione, conservatorio erecto, convictricibus eas imposuerunt regulas sub quibus vixerunt usque ad annum 1808 auctoritateque sua pro bono conservatorii semper usi fuerunt. Addebat etiam nihil facere quod Conservatorium S. Theresiae in Paroecia S. Nicolai primitus situm, translatum deinde fuerit ad Seminarii aedes infra fines Paroeciae S. Angeli sitas: non enim qua Parocho Ecclesiae in cuius ditione situm erat conservatorium hoc sibi ius competere: quia hoc ipso quod res erat de congregatione laicali, absque ulla speciali commissione hanc iurisdictionem poterat exercere. Conservatorium demum diversum minime esse ab illo instituto iuxta voluntatem sororum B. cum iisdem redditibus fuerit restitutum qui

convictricibus S. Theresiae adsignati sunt, et convietrices ipsas, excepto educandarum onere adiecto, forma et modo a f undatricibus praescripto, redintegratas fuisse.

ARGUMENTA PAROCHI S. ANGELI. A iuris principiis discedens ipse, totius aedificii fundamentum ponebat theoriam notissimam: nempe, regulares si non ex iure communi, vi saltem privilegii in corpore iuris inserti, iure funerandi potiri; sed privilegium huiusmodi pertinere ad illos tantum Ordines qui maioies dicuntur; hoc est qui vola solemnia habeni cum communicatione privilegiorum. Privilegium namque sepulturae fratribus Praedicatoribus et Minoribus primitus concessum, postea vel communicatione privilegiorum, vel concessione speciali ad omnes Ordines extensum fuisse. Moniales autem exemptas et ipsas privilegium huiusmodi participare indubium esse animadvertebat: cum ipsae in favorabilibus et illarum statui non repugnantibus, communicationem habeant privilegiorum cum Religiosis virorum Ordinibus quibus respective subiacent. Verum id non sine limitatione admitti. Etenim in illarum Ecclesiis, in iis etiam quae sunt extra clausuram, sepulturas a saecularibus utriusque sexus cuiuscumque conditionis neque construi neque eligi posse, absque licentia S. C. Episc, et Reg. et consensu ipsarum monialium ad traditum per *Card. Petra* Comment, ad Constit. III Caelest. III N. 29.

Non exemptas moniales e contra subiici rectori paroeciae intra cuius limites existunt decrevisse S. C. C. *in Salernitana Iur. parodi. 28 Augusti 1702.* et Card. De Luca illud decretum referentem, *comment, ad constit. 1. Urb. IV n. 21* addere: in Conservatorum a S. Sede non approbatis, aliquibus tantum Capellano permissis, iura parochialia in genere perseverare. Considerari namque Conservatoria tamquam Congregationes personarum saecularium, non religiosarum: quia ad constituendum statum regularem oportet ut personae quae hunc statum amplectuntur emittant tria vota solemnia et substantialia, *Cap. ad Apóstol, de Regul.* et vivant sub regula approbata a Sede Apostolica, *Can. Perniciosum 18 qu. 2* Nec sufficere quod regulae fuerint a S. Sede approbatae , cum

S. Sedes semper clausulam adhibeat *citra approbatione m conservatorii* quae impedit ne conservatoria expresse aut tacite approbata dicantur: prout declaravit S. C. Ep. e; Reg. in *Mo • na+lerien. 15 Ianuarii 1706 ei. S. C. C. i a, Neapolitana Conservatorii 28 Iulii 1708.* His accedere auctoritatem Benedicti XIV quin *in Constitut, super Conserva! or iis Virginum Anglicanarum nuncupatarum die 30 Apr dis 1749* post declarationem quod Virgines Anglicanae institutioni puellarum curam impendentes, pro veris religiosis haberi non poterant *quia vota paupertatis, obedientiae et castitatis ab ipsis emissa coniuncta dici nequibant cum expressa aut tacita professione in aliquo Ordine per Sedem Apostolicam in statu verae religionis approbato, ac proinde vota sic emissa simplicia ad summum vota non vero solemnia censeri debeant;* virgines praedictas voluit subiici auctoritati Ordinarii, ipsisque, quamdiu sub obedientia Ordinarii vixissent, licentiam concessit conservandi in propria E clesia Eucharistiae Sacramentum , absque praeiudicio tamen iurium Ecclesiae parochialis.

Ad factum descendens, adserebat: indubium esse quod sorores S. Theresiae iis conditionibus sinl destitutae qua') statum vere religiosum constituunt. Sorores namque B. expresse testamento iussisse conservatorium componi debere ex personis civilibus et moriseratis, ad modum laicae institutionis, remotaque clausura pro convictricibus, quibus certas tantum vivendi regulas imponi. Quin imo in ipsis constitutionibus cautum fuisse, integrum ius paiochi servandum esse quoad monialium funera, quamdiu aliter a S. **C.** disponeretur. Praeterea notatu dignum censebat, quod quando S. Sedes concessit ut magistrae piae instituerentur et educationem puellarum interim susciperent superstites convictrices S. Theresiae, erectionem a Vicario Apostolico propositam approbavit, minime vero conservatorium S. Theresiae: adiiciebatque neque convictricium regulas fuisse approbatas, prouti eruitur ex decreto Episcopi G. 22 Augusti 1846: nec ullo documento probari, quod processu temporis S. Sedis confirmatio fuerit obtenta Quapro-

pter S. **Theresiae** convictrices, non formalem, quae requiritur *Cap. unico de s'ala regul. in VI,* sed Episcopalem tantum clausuram habere, quae vera clausura dici nequit: cum convictrices exeant ad doctrinam tradendam et ad deambulationem peragendam, cumque de Episcopi licentia personae extraneae in internas conservatorii aedes admittantur. Ex his colligi convictrices S. Theresiae improprie omnino monialium nomen assumere, et immerito ipsas ea sibi iura vindicare quae monialibus privative competunt. Quod autem commoratae sint adhuc intra fines parochiae S. Nicolai,S. Eucharistiam et oleum infirmorum in proprio Oratorio asservaverint, et de Paschalis praecepti adimplemento verbum parocho non fecerint, abusum fuisse: haec namque iura nonnisi parochialibus et Regularium Ecclesiis competere (his vero tantum ratione regularium qui inter monasterii septa commorantur) *Card. Petra ad Constitut. Urban. IV. sect. unie. num. 17 et seq. Pellizzar. in manual, regul. tract. 3. Cap. VI. num. 1. 2. Benedict. XIV Constit. I quamvis iusto 30 Aprilis 1749*—Ideoque in Pennen, quam refert *Petra I. c. N. 21. 22.* ad dubium « An » oblatae (degentes in Conservatorio Conceptionis Capitis Pen» nae) possint in earum Ecclesia asservare S. Sacramentum » et S. Oleum sine licentia S. Congregationis » responsum fuisse « non po-se sine licentia S. Congregationis » — *Salernitana Iur. Paroch. 19 Augusti 187O ad dub. II. et S. C. R. in decreto generali anni 1703 ap. Car dell. N. 3670 ad dub. XXVI.*

Abusum etiam redolere quod in actuali conservatorii Ecclesia a patribus Antonianis olim possessa, oleum infirmorum adservetur: cum personis parocho subiectis ipse unus, nec alius quilibet nisi de parochi licentia, Extremam Unctionem ministrare valeat: et de facto ante cessionem parochi De Rubeis, nonnisi audito parocho Extremam Unctionem fuisse ministratam personis intra conservatorum degentibus, qui parochus funera absolvebat sive sororum, sive commeusalium, sive puellarum, etiamsi in Ecclesia Conservatorii sepelientur. Admisso autem parochum non consuevisse communionem paschalem conservatorii in-

colis ministrare, hoc factum tolerantiae potius et pacis desiderio imputandum esse, quam iuri: nec incje praeiudicium ullum "Ecclesiae S. Angeli provenire posse: quia ex negligentia praedecessoris nullum damnum Ecclesiae infertur.

A convictricibus procedens ad puellas mensae vel educationis causa in conservatorio degentes, arguebat: si nec illas licet a proprio parocho exemptas declarare, multo minus istas quae nullo stabili ìnodo in Conservatorio commorantur. Idque eo magis esse tenendum, quod ut educandae sepeliri valeant in Ecclesia monasterii in quo decesserunt, praeter consensum monialium, expresse quoque requiritur licentia S. C. Episc, et Reg. Ex hoc refelli sententiam eorum qui docent puellas in monasteriis absque sepulturae electione e vivis ereptas in coemeterio monialium sepeliendas esse, quia cum monialibus idem morale corpus efficiunt. Etenim id asseri gratis omnino, et contradicere Tridentino Sess. 25 Cap. 2. in qua proclamatum est, privilegia regularium ab iis tantum participari qui sunt de religiosorum familia. Ad hoc autem ut actu dici possint de religiosarum familia, tria potissimum requiri iuxta idem Trident. *Sess. 24. Cap. 2 de reform,* nempe ut I° monasterio actu inserviant: ut 2" intra illius septa et domos resideant, subque obedientia superions vivant. Has autem conditiones non disiunctive sed copulative requiri, prout diserte declaravit Gregorius IX *in Constit, circumspecta 27 Novembris 1580 § 2.*

Nec valere observationem quod monasterium ius habeat in sepulturam educandarum ratione quasi domicilii ibidem ab educandis acquisiti: quia puellae educationis causa in monasterio commorantes cum sint omnino saeculares, non sunt monasterio subditae: ac proinde monialium privilegia si quae existant participare nequeunt. *Pigna teli. tom. VTI Cons. LXIIT num. 12 Maschat. lib. III. lit. 28. num. 11. Card. Delugo resp. mor. Lib. IV dub. 33.* in contrai ium allegari non posse decisionem S. C. C. *in Penn°n. sepult. 6 Iulii 1737* siquidem in ea concurrit peculiaris facti circumstantia, quod puella sepulturam elegerat in Ecclesia monasterii. Electionem autem

sepulturae magni esse faciendam, erui ex causa *Feretrano, 21 Aprilis 1842* coram eadem S. Congregatione proposita, in qua ad dubium « an Monasterio monialium S. Clarae ter- » rae Maceratae Feltriae liceat sepelire in eius Ecclesia ea- » davera puellarum educationis causa ibidem commorantium » et in eodem monasterio decedentium, » quamvis moniales ostendissent exemptionem qua gaudebant, administrationem sacramentorum a confessario monasterii fieri solitam, nec non existentiam duplicis sepulchri in propria Ecclesia ita distincti, ut alterum pro monialibus, alterum pro educandis adhiberetur, tamen responsum prodiit « affirmative constito de electione sepulchri; » et causa iterum reproposita sub dubio « An et in quibus sit standum vel recedendum a decisis in casu » rescriptum est « Praevio recessu a decisis, afifirmative attentis circumstantiis. » Haec autem omnia quae de educandis dicta sunt, etiam de mulieribus mensae causa in monasterio commorantibus esse dicenda, *Addit, ad stat. Cleri Rom. C. III de iure elig. sepult, ad 59* siquidem domicilium contractum et voluntas in monasterio perpetuo manendi, non monasterio sed parocho favent. *Mascat. Lib. III tit. 28 num. 6.*

Ad transactionem Parochi N. antecessoris sui tandem deveniens, praemittebat: esse iuris principiu n quod transactio de rebus seu iuribus Ecclesiae a praelato seu Ecclesiae rectore absque consensu Superioris facta successores non obliget, quia personalis est omnino et transigentis personam non egreditur. Ad id enim ut transactio fiat realis et successores obliget, requiri ut a Sede Apostolica et ex certa scientia fuerit confirmata. *Fagnan. Lib. 1 decret, de transad, in capite Veniens Rei ff ens. ad eumdem loci cit. § III num. 63 et 64 Deluca de iurisdict, disc. 24 et de praeeminentiis disc. 5 num. 8 Pignatell. Cons. 114 num. 17 Ferraris V. Transad, num.22.* idque ea de causa, quod cum cessio, remissio ac transactio speciem alienationis praeseferat *leg. qui transigit 1 ff. de transad, et leg. Praeses 12 L. transactio 18 Leg. Iubemus 43 eod. cod. S. C. in Anoimm. 21 Iulii 1794 et in Civit. Castelli Concordiae 8 Augusti 1818* easdem solemni-

{ates requirit quas pro alienatione praescribit *Extravag. AmbiVosae de rebus Eccles, non alienandis.* In materia vero funerum solemnitates huiusmodi necessarias asserere *Card. p etra ad Constit. III Coelestini III sect. 1 n. 22* ubi ait non posse in terminis funerum statui concordiam absque beneplacito Apostolico, in facto Parochi N. renuntiationem nunquam fuisse a S. Sede approbatam: immo concurrere etiam emissae renunciationis poenitentiam, quae datur in Ecclesia quoties requiritur beneplacitum prouti tradit idem *Card. Petra ad Constit. Paulli II Sect. 5 n. 43 Dr Luca de benef. disc. 51 n. 5 et 6.*

Concludit rebus ita se habentibus, non sufficere quartam funeralem ad explenda parochialia iura: ius namque parochi restringi ad portionem canonicam, quando parochianis de iure, v: g: propter sepulturae electionem tumulatur in Ecclesia aliena, non vero quando ad iuris tramites in Ecclesia parochiali sepeliendus est.

Decretum episcopi O. quod respicit illud nullius roboris esse praedicabat pluribus ex caussis. Et primo quidem quia decretum informe mansit nec ab adversa liis ostenditur illud expletum fuisse Onus autem probationis huiusmodi adversariis incumbere, eo quod parochus N. fundatam habeat inten tionem pro exercitio omnium parochialium functionum intra limites propriae paroeciae: ct conten lenti se esse exemptum onus probationis incumbat. *Cap. Dioecesi et Cap. Pastoi-olis de his quae fiunt a Praelatis Cup. fratern. de sepult.* Iamvero quoadusque probatio haec non detur, decretum de quo quaestio est tamquam decreti propositum manere. *Cf. Bened. XIV Constit. Causarum 16 Novembris 1747.*

Demum admissa etiam decreti episcopalis existentia, omni valore destitui quia Episcopus exemptionem a parochiali iurisdictione dare nequit. *Ursaya discept. Eccl. 18 n. 67 et 78 vol. '/ De ret. S. C. Ep. et Bey. in Taurinen. Iurium Parodi. 21 Augusti 1682.* idque eo vel magis consistere, quod per concessionem in supposito decreto factam, veluti dismembrai ur ab Ecclesia Parochiali nars curae animarum; et in ma-

tona dismembrationis requiritur solemnitatum concursus et iusta causa. *Abbas dd Cap. ad audientiam de Eccl. aedif. Card. De Luca ch'- Ï* ar ocìàs disc 35 n. 6 Barbosa Collect, in Conc Trid. Sess. 21 Cap. IV n. 5* Neque ¿id praesentem casum extendi posse quae in eadem *Sess. 21. Cap. IV* habentur de Episcopi facultate pro paroeciae erectione. Episcopus enim nequit novas paroecias erigere nisi servatis solemnitatibus praescriptis, et, concurrentibus facti circumstantiis in Tridentino determinatis.

Obiectioni occurrebat ex eo hauriendae quod Ecclesia Conservatorio annexa olim a Fratribus Antonianis fuerit possessa: responditque privilegium quo regulares gaudent non reale sed personale esse: proindeque cessante regularium societate cuius intuitu privilegium ecclesiae concessum est, et privilegium ipsum cessare. *Io. Andreas in Cap. cum Personae n. 6 Vers. Qui rerum Rota D'cis. 1029 n. 16 seqq. coram Emerix et decis. 105 n. 5 coram Ra t'o-* Neque officere resolutionem S. C. C. in *Pergulana 18 D° •. 1824,([u&* declaratum est ecclesiam Seminarii non amisisse exemptionem qua Patres Oratorii olim fruebantur. Siquidem in facto constat durante Patrum expulsione, semper ecclesiae et aedicularum custodiae eorum aliquem praefuisse functionesque peregisse: et in litteris apostolicis quibus ecclesiae et aedes Patrum Oratorii Seminario adscriptae sunt, Pontificem decrevisse ut functiones quas Philippini peragerunt, et a Seminario eodem modo semper peragerentur. Indubium namque esse quod nisi hae facti circumstantiae eoncurrissent, diversum omnino responsum datum fuisset: prouti S. C. Reform, dubiis sibi propositis respon'it die 16 Decembris 1816 (1).

(1) Dubia S. C Reform, proposita haec sunt — *An constito quod non revixerit adhuc, neque probabiliter reviviscat in futurum < oenobiu n. FF Minorum Conventualium 1'eryu'ae sub iurisdictione Nonantul'ie K cele si «. coenobio anneril, retineri debeo/ ut regularis 'jnoad priri/i'/i'i , cultum et tumulatiojiemf* et quatenus negative , *An retineri debeat ut filialis paroeciae, ita ut Parochus in ea omnia sua iura exercere valeat ?* His vero responsum fuit — Ad l'"» *negative',* ad 2"" *affirmative:* et responsionibus istis confirmatio accessit S,, M. Pii VIT data sub die 17 eiusdem mensis Decembris 1816.

Nec defectibus supplementum praebere reaedi fi ea t ione m Re.... clesiae. Utique, inter rationes quarum ope Episcopus de consensu capituli alicui confraternitati ius tumulandi concedere valet, adnumerari Ecclesiae aedificationem et dotationem *Mona cell. formul, leg. tit. VI Form. n. 25;* ius tamen illud aedificatione Ecclesiae non necessario acquiri: et semel acquisitum non suffragari, seclusa speciali electione. Cum enim electio sepulturae sit actus propriae voluntatis cuiuscumque decedentis, non autem alienae *Monald. cons. 91. n. 2. Marant. resp. tom. 2 resp. 14,* indubium est requirere particularem declarationem, ne,; praesumptam ex constructione resultantem sufficere.

Peculiarem denique casum perpendebat puellae Mariae, cuius frater de mandato patris sepulturam elegit, inquirendum enim primo ait, num vivente adhuc filia sepulturae electio locum habuerit: quia per mortem prolis patria potestas extinguitur. *S. C. Ep. et Reg. in Fui ginnten. 27 Octobris 1587 Montis PeJusii 6 Iunii 1659 S. C. C. in An el Unen. 15 Septembris 1605.* Huiusmodi probationis onus ad adversarium spectare ea de causa, quia nempe Parochus S. Angeli intentionem habet in iure fundatam.

Tandem ad consuetudinem venit, pluribusque facti argumentis eam sibi propitiam ostendit.

ARGUMENTA CONSERVATORII. Qui pro Conservatorio S. Theresiae causam dicit, respondebat primo loco parocho S.Nicolai: verum esse quod Rectori S. Philippi et parocho pro tempore S. Nicolai demandata fuerit a Sororibus B. cura conservatorium erigendi illudque regulis donandi, ita tamen ut ratio eliam habita fuerit beneplaciti Ordinarii. Sed conservatorio erecto, illico eorum facultates evanuisse. Id declarasse Praepositum Congregationis S. Philippi Nerii.

Secundo loco illud esse prae oculis habendum, quod conservatorium actuale non idem esse videatur ac illud a sorolibus B. fundatum. Libellus namque quem Vicarius Apostolicus Pontifici porrexit anno 1822, loquitur de Magistris Piis: et nonnisi in subsidium vocat superstites S. Theresiae convictriccs'

Praeterea non idem reperitur institutionis scopus non eadem bona. Quae omnia praebent institutionem omnino diversam ab illa quam Sorores B. praescripserat.

Maiori argumentorum mole certabat contra parochum S. Angeli ac ius sepeliendi convictrices commensales ac educandas adstruebat I° ex cessione Parochi D.: **2"** ex decreto Episcopi G.: 3° ab continua exemptione Ecclesiae Conservatorio annex e atque ab eiusdem restaurai ione monialium sumptibus peracta: 4° ab electione sepulturae: 5° a consuetudine.

Primo loco, renunciationem Parochi D. vel iurium cessionem in pleno validitati; statu manere contendebat .quoadusque a Iudice ^competente res non fuerit in contrarium definita. Id autem tutius teneri posse eo quod successorum iuribus nullum detrimentum intulerit, cum in materia funerum ius parochiale cohibeatur ad quartam funeralom quando cadaver sepelitur in Ecclesia aliena. *S. C. C. in A>'iminen, funerum 16 Iunii 1827 in Rav<nnaten funerum 17 Martii 1781 in Viterbten. Iurium parodi. 26 Augusti 1826.* Quapropter parochum D. nonnisi honoribus et officiis i enunciavisse. Huiusmodi vero cessionem etiam sine venia Pontificis sustineri. *S. Rota in Caawrinen. nullitatis transactionis 10 Iunii 1850 cor. Card. Quaglia.* Et admisso etiam quod parochus D. suo et successorum nomine lucrati vis iuribus valedixerit, nihilominus non ruere transactionem quae locum habuit ut controversiae finis imponeretur. *Greg, decis. 140 n. 4 ct 354* ***n u m*** *. 1 2 Pignatell. tom. III consult. 50 n. 2 ct 3.*

Ultimo loco beneplacitum apostolicum si necessarium sit, suppleri posse si SSmo. consulatur pro transactionis sanatione *S. C. C. in Faventina Beneplaciti Apostolici 20 lanuai-ii 1826 £ Caeterum.*

Ad Decretum Episcopi G. descendens notabat latum illud fuisse in actu visitationis: et licet in exemplari quod superest subscriptio desideretur, tamen totum esse Episcopi manu exaratu : i , nec posse eius existentiae factum in dubium revocari. Eid copos autem qui novas parochias erigere possunt *ex Trid. iS* **ss** *21 Cap 4* multo magis, iusta concurrente causa, pote-

statem habere aliquos exigendi a parochiali iurisdictione, et capellanum pro parochialibus officiis deputare.

Ratione autem Ecclesiae cui inserviunt aperfissimum esse conservatorii ius eruebat ex eo quod ipsarum Ecclesia eadem sit, quam Antonianorum Ordo S. Antonio Abbati antiquitus dedicavit, illa enim Ecclesia, suppresso Antonianorum Coenobio, transiit in proprietatem Seminarii, cum omnibus iuribus et privilegiis: et sine ulla reservatione, de Apostolica Auctoritate Conservatorio fuit concessa: cumque nunquam filialis fuerit, nullum in ea ius unquam parochus exercuit. Data vero Ecclesiae independentia cum proprio Rectore, pronum esse quod quando ibi sepeliuntur convictrices commensales et educandae, ibi etiam exequiae celebrentur ex notissimo iuris principio *ubi tumulus ibi funus* et ex decisionibus *S. Rit. Congr.* et S- C. C. quas inter enumeratur Pergulana 29 ianuarii 1825, quae subiectae materiae simillima ostenditur (1).

His praemissis, convictricium vel monialium funera a confessario peragenda esse quando in propria sepeliuntur Ecclesia et etiam quando extra conventum sepeliri debent, affirmatur ex retentis a *S. C. Concilii in Causa Ordinis Prae • ducatorum 24 Ianuarii 1846*. Id de commensalibus etiam tenendum esse *ex Pellizzario de Monialibus* (editio non prohibita) C. 10 num. 233. Eumdem vero Pellizzarium dicere doctrinam de commensalibus traditam , probabiliter sustineri posse de puellis in monasterio educationis causa, degentibus; idque ratione quasi domicilii ibidem acquisiti. Notandum insuper esse, quod educandae a confessario dependent tamquam

**(1) In hac *Pergulana* S. C. C. dubia proponebantur: 1.** ***An ad Rectorem Seminarii spectent functiones non parochiales in Ecclesiis eiusdem Seminarii celebrandae in casu*** **- 2.** ***An et quomodo í'arochus intra cuius fines Ecclesiae Seminarii sunt sitae hos habeat in functiones mortuarias suorum parochianorum qui in illis tumulantur in casu*** **- 3.** ***An et quae 'portio emolumentorum eidem Parocho debeatur, occasione praefatae tumulationis parochianorum in casu - 4. An ei quomodo Parochus ius habeat in functiones mortuarias non parochianor:- turrmlandorum in dicta. Seminarii Ecclesia in casu*** **- Et S. Congreg itio respondit-** ***Ad*** **l»'"** ***Affirmative. Ad*** **2 "»** ***Affirmatio e ad formam Ecclesiarum xee • f t arum, nempe pro associatione usque ' ianuam Ecclesiae - Ad 3 Affirmative*** **p v . quarta funeraria iuxta consuetudinem** ***locorum Ad 4 Negative in omnibus.***

a proprio parocho, et unum corpus morale cum monialibus efficiunt: proindeque eorum privilegia participant. His porro de causis S. O. C. in Pennen. 6 Iulii 1737 decrevisse « Ca- » daver puellae educationis causa in monasterio monialium » commoratae posse tumulari in Ecclesia monialium, non vero » necesse esse ut tumuletur in Ecclesia parochiali intra cu- > ius limites illa existit ». Nec consistere rationem quae ex adverso deducitur ad educandas ab exempta sepultura excludendas, scilicet quod tamquam *hospites et peregrinantes* habendae sint, Etenim quamvis domicilium non elegerint in monasterio, ibi tamen manent per tempus notabile certoque sufficiens ad quasi domicilium acquirendum cui annectuntur iura parochialia. Et *Fagnan. Cap. significavit de parochiis n. 34* nihil aliud requirere ut quis parochianis existat alicuius Ecclesiae, nisi ut ibi se transtulerit ob causam quae talis non sit, ut possit probabiliter ex incontinenti cessare. Caeterum, et contra parochum S. Angeli stare naturalem aequitatem ; quia aequum non esset funeris emolumenta ipsum percipere, qui defunctis puellis extrema officia non praestat.

Argumentum sed magni ponderis monialium favore desumi ex eo quod ipsae Ecclesiam S. Antonii Abbatis suis sumptibus restauraverint, et quasi de novo construxerint; cum praeter muros laterales nihil de antiqua Ecclesia remaneat. Iamvero Cappellae patronum sepulturam effodiendo in eiusdem cappellae loco quin Episcopus et rector contradicant, sepulturae ius et usum acquirere haberi ex *Riccio in praxi p. 1 resol. 39 num. 6 Ferraris V. Sepultura n. 151.* Nullam sed rationem existere cur huiusmodi privilegium religiosis negetur.

In facto haberi sepulturae electionem a convictricibus solemniter peractam: et quoad puellam Mariam Simplicium defunctae fratrem a patre delegatum, pro sepulturae electione, elegisse Ecclesiam S. Antonii. Neminem vero ignorare patribus ius competere electionis sepulturae pro filiis impuberibus dummodo id pro consuetudine locorum vetitum non sit, *Cap. Licet de sepult, in VI Barbosa summa apostolica decret. V sepult, num. 14 Card. Petra ad Constit. Il Honorii III num. 9.*

His omnibus pro corónide accedere in facto vota saepius emissa a dioeceseos Ordinariis et praxis quam non invalidat lex ¿ecoemeteriis publicis. Huiusmodi namque legem minime abstulisse regularibus et rectoribus ecclesiarum exemptarum ius sepeliendi, et emolumenta occasione funeris percipiendi. *S. C. C. in D 3 r flumen. Spolii Manutentionis et Redintegrationis 24 Martii 1821 et 14 Aprilis eiusdem anni ad dub. IV Camerinen. Funerum 23 iunii et 24 Novembris 1821* et in aliis quam pluribus.

Consuetudinem demum removebant ex adverso allatam, animadvertentes in facto nonnisi anno 1822 conservatorium S. Theresiae intra parochiae S. Angeli fines existere coepisse: immo, si quae consuetudo extitisset, per cessionem parochi continuitatem amisisse. Certabant etiam ut facta in contrarium allata de aliis monasteriis, excluderent. Concludebant tandem, admissa etiam diversa consuetudine in monasteriis S. Catarinae et S. Clarae, eam ad conservatorium S. Theresiae trahi non posse; quia consuetudo, quae stricti iuris est, de loco ad locum, et de persona ad personam non extenditur. S. C *in Ferentina Resident. 22 Novembris 1823* § Videant *et in Terracinen. Emolument. 23 Decembris 1826* § Quin. *M or on. Resp. Canon. 52 n. 7 et seq. Césped, de exempt, regul. Cap. 24 dub. 364 n. 16.*

Postremo loco addebant facta de aliis monasteriis allata singularia prorsus fore nec inde aliquid erui posse contra sanctiones canonicas: et afferebant causam cui titulus *Ripana Funerum 15 Decembris 1858 coram De Magno num. 53.*

ANIMADVERSIONES EX OFFICIO. Ex officio innuebatur, huius quaestionis solutionem pendere a solutione danda controversiae, utrum nempe conservatorium actuale S.Theresiae idem censendum sit ac illud quod Sorores B. testamento suo fundaverant. Negata enim utriusque instituti identitate, a neutra parte consuetudinem invocari posse. Identitate admissa, videndum esset utrum privilegium exemptionis a couvictricibus allegatum, sit clarum et indubitatum: prout illud quod pro Patribus Congregationis Oratorii demonstratum est in causa Ripana coram

S. Rota peracta die Í3 Decembris i 858. Habita privilegii evidentia, parocho non suffragare facta quaedam non continua, nec iuris intentionem ipsi sufficere. At si dubium sit privilegium, etiamsi concurrant actus quidam contrarii, nisi sint longissimi temporis, tunc rnanutenfionem parocho dandam esse, quia pro ipsa praevalet iuris assistentia. *Card. Petra ad Constit. IX Innoc. III sert, uni:-, n. 55 et ad Constit. I Paschalis II sect. 1 n. 39 ei seq. Card. De Luca disc. 5 de decimis n. 15 seqq. Fagnan. in 4 lib. decret, de Verhör, significat. Cap. 16* olim *n. 15 et seq.*

Stante sed dubio, inquirendum proponebatur pro conservatorio utrum ex gratia saltem esset exemptio concedenda. Cum enim Parochus S. Angeli minime laboret pro administratione sacramentorum, cuius ratione quartam funeralem aliaque emolumenta parocho adiudicat *Clement. Dudum* aequum non esse ut mercedem accipiat, in facto haberi quod inter educandas raro admodum inveniantur quae ad parochiam S. Angeli pertineant: idcirco non ipsum sed proprios puellarum parochos funera celebratum iri: quod confusionem gigneret non exiguam. His accedere Ordinariorum omnium informationes et vota constanter conservatorio propitia.

Sed pro parocho prae oculis habendum esse, sacramenta ministrantem ius sepulturae vindicare sibi posse, quoties ad ipsum de iure spectet administratio: minime vero quando ex accidenti id faciat. Pignatelli tom. VII Cons 63 num. 8. Nec sacramentorum administrationem rationem esse sufficientem cur conservatoria a parochi iurisdictione eximantur : secus huiusmodi exemptio omnibus conservatoriis aeque competeret. Iamvero conservatoriis mulierum nonnisi gravissimis de c tusis exemptionem concedi, ac saepius imposito aliquo onere, in recognitionem parochialis auctoritatis. *S. C. C. in Selina 27 Aprilis 1765 Brictovien. 26 'Nov. 1768 Ferrarien. Parochialis 14 Decembris 1816 S. C. Ep. et Reg. m causa Civitatis Plebis Iurium Parodi. 3 Iulii 1676* ***A r t*** *minen, exemptionis a iuribus parodi. 18 Augusti 1843 FuroHcien. Exc mp. 19 Aprilis 1844.* In magnis civitati-

bus hospitalia exemptione gaudere, sed infirmos in hospitalibus non commorari per tempus sufficiens ad acquirendam parochian. Secus autem educandas quae etsi domicilium aternum retineant, in parochia conservatorii quasi domicilium adipiscuntur: cuius ratione huic parochiae subiectae fiunt, et parocho ius acquiritur ipsis sacramenta ministrandi.

His aliisque amplissime animadversis proposita sunt resolvenda

L « An Parocho S. Nicolai aliqua competat potestas in » Conservatorium S. Theresiae in casu.

II. » An Parocho S. Angeli competat ius funerandi et se- » peliendi convictrices commensales et puellas in Conserva- » torio educationis causa degentes, et ibidem absque sepul- > turae electione decedentes in casu. »

Et quatenus affirmative ad 2um dubium

III. « An et quae emolumenta spectent ad parochum S. An- » geli occasione funeris Mariae in casu.

IV. » An et quomodo annuendum sit precibus pro gratia » exemptionis Conservatorii in posterum ad formam decreti > Episcopi G. ac pro remissione quartae funeralis parocho » solvendae in casu. »

RESOLUTIO. S.Congregatio Concilii quaestione cognita die 25 Ianuarii 1873 respondit

Ad I. *negative et amplius.*

Ad II. III. et IV. *probandum Decretum Episcopi G. facto verbo cum Sanctissimo soluta Parocho S. Angeli quarta funerum Mariae.*

Ex HIS OMNIBUS COLLIGES

I. Ius commune Parocho favere, cui privative pertinet extrema Sacramenta ministrare intra limites suae paroeciae, et funera absolvere.

II. A communi lege eximi Regularium coenobia, sicuti et monasteria monialium quae cum ipsis habent privilegiorum com m uni caii onem.

III. Per Ordinarii decretum, dummodo graves adsint rationes , etiam conservatoria a iurisdictione parochiali eximi posse.

IV. Exemptionem dari quandoque personis in communionem viventibus, si monasterium inhabitent olim a religiosa familia possessum, in cuius ecclesia propria, mutatis etiam personis, exemptionis privilegium integrum semper manserit.

V. Ex plurimorum auctorum sententia, per Ecclesiae constructionem vel amplam restaurationem sepulturae ius acquiri, parocho quarta funerum reservata.

VI. Item quartam reservari parocho in educandarum funeribus, si in monasterio sepulturam elegerint.

VII. Executoris testamentarii omnem potestatem cessare, vix ac testatoris voluntatem expleverit; nec perdurare eo quod testator in executorem suum *deputaverit parochum pro tempore.*

VIII. In casu S. C. Congregationem saltem pro gratia S. Theresiae Conservatorio exemptionem concessisse.

SUSPENSIONIS

*Die 27 Februarii 1875.*

Cum anno 1870 Sacerdos Ludovicus S. Parochus iter faceret super currum ob repentinam et fortuit im pulveris tormentarli explosionem sinistram amisit manum; eo quod illa explosione adeo confracta fuerat ut ad eius amputationem devenire oportuerit. Ex quo factum est ut Sacerdos irregularis evaderet; sed dispensationem a S. Sede exposcens illam obtinuit.

Attamen Archiepiscopus, eiusmodi arrepta occasione, eum paterne monuit ut parochiali muneri nuncium mitteret; quod facere renuit Sacerdos, paterna consilia haud sequutus.

Interea evenit ut vertente mense Februario anni 1871 apud Curiam Archiepiscopalem plures expositae fuerint querelae quoad eius vitae turpitudinem. Quibus evenit ut processus institueretur a quo emergere asseruit Archiepiscopus 1. quod ipse *per impías susurrationes identidem suggestas pacificam duorum coniugum cohabitationem subvertere attentaverit, eum ad finem ut mulierem procliviorem redderet ad, turpe cum ipso commercium ineundum. 2. Quod mulierem aliam iteratis vicibus ad adulterium cum ipso committendum pei'lexerit, promittendo ipsi retributionis instar applanationem difficultatum, quae matrimonio fratris dictae mulieris obstare videbantur. 3. Quod aliam in servitiis apud ipsum constitutam impraegnaverit, et nonnisi suppeditata largior i dote iuvenem per moverit,ut dictam mulierem uxorem duceret, progenitamque ab ipsa prolem ut suam agnosceret. 4. Quod a tribus iam annis scandalosum contubernium habeat cum binis mulieribus, quarum una anno 1870 intra domum parochialem prolem pepererat, et altera tumidum iam gestabat ventrem. 5. Quod ad turpia in confessionali sollicitaverit. 6. Tandem quod in publico diversorio, vulgo « Locanda »*

*in societate duarum puellarum pernoctar erit, et cum una ex illis in lecto iacens fuerit deprelicnsus.*

Archiepiscopus ob id sui muneris esse censuit sequens m eum ferre decretum.« 1. *A momento quo praesens decretam nostrum admanuatum tibi fuerit, suspendimus te ab omnibus sine exceptione sacris functionibus in quocumque loco peragendis , omniaque curae animarum negocia /ibi subtrahi mus. 2. P vivamus te beneficio I. inde a die qua decretum praesens in vim iudicati abiverit, de quo suo tempore specialiter informaberis.* 3. *Urgemus simul ut non solum capellaniae (Paroeciae) I. sed et totius B. territorium deseras, et in honesto aliquo loco extra B. sedem f gas. His demum conditionibus per te impletis ad C. R. regimen Nos convertemus, ut ob infelicem defectum brachii pensionem pro sustentatione tua necessariam tibi exoperemur. S. Curam animarum in I. a momento admanuati huius decreti in cooperatorem, praesentem R. Ioannem F. trans fundimus, cui admodum R. decanus e mandato nostro in praesentia duorum aut plurium honestorum parochianorum Ecclesiae et paroeciae regimen tradet.»*

Parochus appellavit ad ecclesiasticum Tribunal Olomucense a S. Sede ad hoc institutum; et per huiusmodi appellationem iudicii alea paulisper immutata fuit. Siquidem Tribunal hoc ad tramites iuris Canonici re perspecta decrevit processum ab Archiepiscopali curia L. institutum nullitate laborare 1. quia reus numquam ad audiendos testes, et ad eorum iusiurandum vocatus fuerit. 2. quia uti testes auditi fuerint ipsimet accusatores. 3. quia testes adhibiti deposuerint de auditu, et nonnisi singulares extiterint. 4. quia omnis aditus ei interclusus fuerit ad sui defensionem peragendam, cum testes ab eo adducti haud fuerint auditi. Piae de re sententiam latam revocavit quoad parochiae privationem, caetera autem quae administrativam primi iudicis iurisdictionem respiciunt, ad tramites S. Concilii Tridentini intacta reliquit.

Tum accusatores iidem ab hac sententia ad Pragae Tribunal, pariter ad id a S. Sede institutum, provocarent; sed malis ominibus, eoquod Tribunal istud sententiam a Tribunali

Olomucensi latam confirmavit, illud tamen adnotatum voluit, videlicet Archiepiscopum quoad suspensionem iure suo usum fuisse ad tradita per S. Concilium Tridentinum *Sess. 14. c. 1. de reformat,* hinc Parocho recurrendum esse ex hac parte ad S. Sedem. Equidem Parochus S. C. C. obtulit interea preces ad id ut suspensio contra eum ab Archiepiscopo lata deleretur ; quae dispensationem ab irregularitate obtentam frustraneam inutilemque reddit.

Precibus eiusmodi acceptis scriptum fuit ad Archiepiscopum ut S. Congregationem Concilii de hac re informaret simulque suam panderet opinionem. Praeter ea quae superius relata fuerunt, Archiepiscopus respondens addidit etiam omnes parochiae proventus in praesens percipi a parocho, exœptis Missarum legatis, nec non reditibus ad cultum servitiumque Ecclesiae destinatis; qui parochiali Vicario tribuuntur, veluti retributio quaedam personalis pro illius opera et labore. Receptis Archiepiscopi Litteris in formatori is sub die 8 iulii 1873 rescriptum fuit - *Ponatur in f lio, et notificetur Archiep/sco po, qui moneat partes, eisque praef gat congr num termm m ad deducendum tura sua coram S. C. Congregatione, ct de resultantibus certior ar et.*

Archiepiscopus de hoc per litteras certioratus, retulit interea temporis Parochum furti accusatum fuisse penes laica tribunalia, et ob id esse in votis eius ut exitus iudicii expectaretur. His cognitis S. C. C. rescripsit - *Eidem ArcJiiepiscopo qui referat an crimen furti, de quo agitur sit simplex vtI qualificatum, et an agatur de re magni vel parvi voluiis.* Archiepiscopus respondit: furtum attingere centum fiorena quae a scrinio ablata fuerunt ; et huius criminis reum a sex ad duodecim menses carceris poena plecti. Verum litteris nuperrimis absolutum fuisse parochum a laico tribunali significavit.

### **Disceptatio sj»optica.**

EA QUAE FAVORE PAROCHI PROSTANT

in huius Presbyteri defensione ex officio peracta animadversum est, Archiepiscopi decretum semper videri labe nullitatis infici, sive suspensio de qua in casu habeatur uti cen--

sura vel uti poena. Si libeat enim uti censura illam haberi indubiun esse iuris solemnitates requiri nec non monitiones praesertim ad evincendam contumaciam iuxta DD. sententiam , ct C. Tridentini dispositionem; potissimum in *cap. 6. Sess. 21. Eos vero qui turpiter et scandalose vivunt, postquam* pra.em.o-*niti fuerint, coerceant ac castigent, et si adhuc* (post monitionem) *incorrigibiles in sua nequitia perseverent, eos benef ciis iuxta Sacrorum canonum constitutiones, exemptione ei appellatione quacumque remota,privandi facultatem habeant.* Si vero uti poena consideretur tunc licet monitiones impune sperni possint ut communiter sentiunt Barbosa *in cap. Romana de sententia excommunicat. in 6 n. 5 et seq.* Van Espen *tom. 10 in tractatu de recursu cap. 3.%. 4. et tom. '4 .part. 3. tit. 11 .cap. 11. de suspens.* Monacelli *formular, leg.p. 2. tit. 2. for. 8. n. 21.* Maschat *inslit. can. lib. 5. tit. 39. §. 3 n. 47.* Pignatelli *tom. 10. consult. 10. n. 3. et alii plures;* attamen vel ordo iudiciarius foret servandus, vel saltem de imputationum capitibus cum reo communicandum ne gravissima poena indefensus afficeretur, quod profecto ab omni aequitate alienum esse omnes norunt. Cum itaque nec monitiones, nec ordo iudiciarius in themate servatus fuerit, ut ex factorum historia deprehenditur, sponte sua fluere videtur decretum in casu nullitate laborare, ideoque etiam ex hac parte appellationis iudices illud annullare coacti fuissent.

Nullam eis difficultatem ingerere potuisse *caput 1. Sess. 14* Sacrosancti Concilii Tridentini; siquidem ex actis minime erui posse illud latum fuisse vel *causis nobis notis* vel ex *informata conscientia,* ceu in more et praxi positum esse quisque noscit. Praeterea caput illud ad rem minime facere videtur, ibi enim loqui S. Synodum de criminibus occultis, in themate vero asserta crimina publica fuisse in propatulo esse. Multoque minus ad rem facere cap. 1 Sess. 22 dicti Concilii Tridentini, quandoquidem ibi mandat dicta S. Synodus, quod appellatio interposita executionem sententiae suspendere non valet, Barbosa in *dict. ap. citatae Sessionis.* Quare concludi posse videtur decretum Curiae L. nullum fuisse etiam quoad suspensionem et a iudicibus appellationis processus quoad hanc partem annullandus quoque fuisset.

EA Q AK CONTRA PAROCHUM PROSTANT

Verum ex opposito haec animadverti p ?se videntur. Quamvis decretum Archiepiscopi neque ex *causis nobis cognitis, neque ex informata conscientia* latum fuisse videatur, tamen ex omnibus circumstantiis et adiunctis illud in vim *Cap. 1. Sess. 14. de Reformât.* Concilii Tridentini prolatum fuisse forte dici potest. Patet enim ex eo facultatem Episcopis tributam esse poena suspensionis plectendi Clericos *ex quacumque causa etiam ob occultum crimen quomodolibet, etiam extraiudicialiter,* docent communiter SS. Canonum interpretes. *Fagnan. in* ***cap.*** *ad aures de temp. Ordin. n. 12 et seq.* Gonzalez in *Decretal, lib. 1. tit. 11. in Cap. ex tenore n. 15.* Benedictus XIV de Synod. Dioecesan. lib. 12 cap. S. num. 3. ubi plures affert S. C. Congregationis resolutiones et inter **alias** *Capritanam* 16 Dec. 1730 et Gritan, seu Tarentinam 20 Augusti 1735. Audiatur Benedictus XIV citato loco. *Concilium. Tridentinum decrevit:* « Ei cui ascensus ad sacros » Ordines a suo Praelato, ex quacumque causa, etiam ob oc- » cultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicialiter, fuerit *y>* interdictus, aut qui a suis Ordinibus, seu gradibus, vel di- » gnitatibus ecclesiasticis fuerit suspensus; nulla contra ipsius > Praelati voluntatem, concessa licentia, de se promoveri fa- » ciendo, aut ad priores Ordines, gradus , et dignitates, sive » honores restitutio refragetur. » *Ex quibus verbis colligitur posse Episcopum ob occultum crimen, etiam extraiudicialiter cognitum non solum deicis prohibere ascensum ad, superiores Ordines, sed etiam a suscepti iam Ordinis ministerio eosdem interdicere ; quamvis enim in secunda decreti parte, ubi de suspensione est sermo non iterentur illa verba* « etiam ob occultum crimen, quomodolibet, etiam extraiudicia- » Ii ter » *constans nihilominus et perpetua S. C. Concilii sententia fuit, ob continuationem sermonis, censeri repetitam eamque utrumque casum complecti. Adeo porro* veruni *est, pos^e Episcopum, ex causa sibi nota Clericum interdicere tam sacrorum exercitio, quam ascensu ad altioris Ordinis*

*gradum, ut n-^que teneatur causam suspens i( ni s , seu delictum mani/'stare ipsi. reo, S"d tantum Sedi Apostolicae, si suspensus ad eam recursum habuerit.*

Nec obstare videtur, quod in themate crimina Parochi minime occulta, sed potius publica essent, ut apparuit ex processu in ipsum instituto. Animadverti siquidem posset, in iure clausulam *ex quacumque causa* utpote universalem comprehendere nedum occulta, sed publica etiam crimina, ceu S. Congregatio Concilii in *Lucionen,* tradit, ubi adductis auctoritatibus statuitur, quodsi delicta publica mixta sint occultis possit Episcopus occulta persequi in vim Tridentini Decreti, in facto vero observandum foret singula, quae parocho obiiciebantur, et causam Isuspensioni dederunt, minime publica et notoria fuisse sed nonnulla etiam occulta. Atqui S. C. Concilii in Perusina *remotionis Vicarii Curati 26 Septembris 1795* suspensionem sustinendam esse respondit in vim dicti capitis 1 Sess. 14 quamvis super delictis praemissum fuisset testium examen. Exinde clarum erumpere videtur, quod bene se gesserit nedum Archiepiscopus, sed et iudices appellationis, quin subsumi posset, quod latum suspensionis decretum latum haud fuerit ex *informata conscientia,* siquidem praeterquamquod id subintelligendum ex natura sua veniat, illud est animadvertendum huiusmodi vocabula haud ex iure sed potius ex praxi descendere.

Si tandem Archiepiscopalis decreti verba serio considerentur, illud manifestum apparere videtur, quod suspensionem tulerit extra formam iudicii: privationem autem in iudicii forma: ait enim « *A momento,, quo praesens decretum nostrum adm-tnuatum Ubi fuerit, suspendimus te ab omnibus sine exceptione sacris functionibus in quocumque loco peragendis, omniaque curae animarum negocia subtrahimus.* » Quoad privationem ex adverso his usus est verbis « *Privamus te beneficio I. inde a die, quo decretum praesens in vim iudicati abiverit, de quo suo te rapare specialiter informaberis.* » Quare patet nullas iuris solemnitates, nullas monitiones ab eo praemittendas fuisse Huiusmodi nini actus non ad contentiosam iurisdictionem, sed ad politicam et correctionalem per-

finere videtur, cuius exercitium arbitrio et prudentiae Episcopi remissum est. Quandoquidem nil magis contrarium et noxium praesertim in regimine spirituali Dioecesis, quam scandalum; hinc prudens esse relinquere Magistratui Ecclesiasiico arbitrium agendi vel in forma iudiciali pro delictis, vel pro circumstantiis in forma mere politica et correctionali, ceu tradunt Barbosa *in cap. 1 de offic, ct potest. Episcopi* Gonzalez *in cap. 28 de offe, et potest, n. 2. et 8.* Berard. *part. 2 dissert. 3. cap. 5 de suspens, censur.* Quapropter concludi posse videtur bene se gessisse Episcopum, et iudices appellationis.

Hisce, aliisque praenotatis prudentiae et sapientiae EE. CC. remissum fuit sequens enodandum

**nubium.**

*An sustineatur suspensio in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii die 27 Pebruarii 1875, causa cognita, respondere censuit.

*Affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

L Episcopum posse ex causa sibi nota interdicere clericum sacrorum exercitio; neque teneri causam suspensionis vel delictum ipsi reo pandere, sed solum Sedi Apostolicae, casu quo suspensus ad eam recursum habuerit.

II. In themate nullas, videtur, praemittendas fuisse monitiones, nullasque iuris solemnitates, dum actus Ordinarii magis pertingeret iurisdictionem politicam, quam contentiosam.

III. Suspensionem duplici modo considerari posse quoad applicationem; vel uti censuram, vel uti poenam: uti censuram requiri omnino monitiones, uti poenam eas minime requiri.

IV. Ex doctrina S. C. C. pluries confirmata, videtur Episcopum vi decreti Tridentini Sess. 14 cap. 1. persequi posse delicta occulta si his etiam peccata publica admixta sint.

# EX S. POENITENTIARIA APOSTOLICA

## SUPER DUBIIS (1) NONNULLIS

### INDICTUM IUBILAEUM RESPICIENTIBUS

### DECLABATIONES

I. Si Ecclesia designata pro visitationibus implendis ad Iubilaeum lucrandum angusta sit ita ut omnes christifideles processionaliter eam visitantes haud capere valeat; quaeritur an ii qui ingredi nequeunt onus visitationum impleant?

R. *Fideles in processionibus extra ianuas Ecclesiae, aut Oratorii ob illius angustiam remanentes, et cum aliis orantes, unum corpus moraliter efformare, ac proinde visitationi pro lucrando Iubilaeo satisfacere.*

II. Ordinarius quidam quaesivit an censeri possint veluti processiones-ad quatuor Ecclesias designatas pro Iubilaeo lucrando, visitationes, quas ille peragit una cum Capitulo et Seminario in vestimentis haud choralibus sed nigris, psallendo voce submissa; et proinde an sit in suo arbitrio numerum visitationum imminuere, sicuti est in sua facultate eas imminuere, quae processionaliter fiunt.

R. *Quatenus processiones fieri nequeant more solito, affirmative.*

III. An religiosi iubilaeum lucrari valeant peragentes in propria ecclesia visitationes ad id praescriptas \

R. *Negative.*

IV. Religiosus qui iam visitationes in propria Ecclesia implevit, ut supra, et eas iterare debeat, poterit ne in sua

(1) Alia huiusmodi prostant pag. 266,359, et 485 Voluminis praesentis.

confessione privilegiis frui per Encyclicam concessis si his nondum usus fuerit?

R. *Affirmative.*

V. An satisfaciat duplici praecepto confessionis annualis et Iubilaei ille qui confessorem adit duabus vicibus in ordine ad unicam absolutionem ?

R. *Negative.*

## RUSSICI IMPERII SUPER IUBILAEO

Sanctissimus Dominus Pius Papa Nonus adductus paterna sollicitudine, gravibusque circumstantiis, in quibus Catholici in Imperio Russico degentes versantur, et cupiens ut omnes Christifideles in eodem Imperio commorantes apud quos Apostolicae de Iubilaeo Maximo Litterae promulgari non potuerunt; indicti tamen Iubilaei gratia frui, ipsamque eo quo possint modo consequi valeant, per officium huius Sacrae Poenitentiariae omnibus praedicti Imperii Ordinariis, Parochis et Confessariis rite approbatis, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentibus declarat, et Apostolica Auctoritate facultates necessarias ac opportunas concedit, ut favore praedictorum Fidelium, ad effectum Iubilaei assequendi, iniuncta ad ipsum lucrandum opera, pro sua prudentia, et prout necessitas postulaverit, reducere vel in alia religionis aut caritatis opera commutare possint, servata ubi fieri valeat, alicuius Ecclesiae vel publici Oratorii visitatione, et firmis remanentibus reliquis omnibus Apostolicis de eodem Iubilaeo dispositionibus, quae in encyclicis litteris die 24 Decembris anno elapso editis continentur, tum quoad Confessionis et»Sanctae Communionis Sacramenta, tum quoad alias gratias et facultates ad spiritualem Fidelium utilitatem, eiusdem Iubilaei occasione concessas, in contrarium facientibus etiam individua et speciali mentione dignis non obstantibus quibuscumque.

Romae ex S. Poenitentiaria die 7 Maii 1875.

A. C. Panebianco P. M.

L. Peirano Secretarius.

# LI i TE RAE APOSTOLICAE

**ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO, ALMOQUE THEOLOGORUM COLLEGIO CUPIENTIBUS ANGELICUM DOCTOREM OMNIUM UNIVERSITATUM, GYMNASIORUM, ET COLLEGIORUM PATRONUM CONSTITUERE.**

PIUS PP. IX.

*Dilecte Fili Noster, Venerabiles Fratres et Dilecti Filii Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Nemini certe res litteraria disciplinaeque altiores totaque, qua late patet, scientia commendaretur aptius, quam Sancto illi Doctori, qui. angelico ferme intellectu ditatus, ita scripsit de humanis divinisque rebus, ut ab ipso Domino Nostro diserte probari meruerit. Laudamus itaque desiderium, quo petitis, ipsum Patronum constitui Universitatibus omnibus, Gymnasiis et Collegiis; at cum haec vota totum respiciant orbem, vos simul animadvertere gaudemus, id undique petendum esse, ut res iuxta eorum, ad quos pertinet, suffragium rite decernatur. Iam vero contentio, quam passim excitatam laeti conspicimus, exigendi philosophicas theologicasque disciplinas ad scholasticam methodum, suadere videtur, huiusmodi postulata crebriora in dies fieri debere; quod certe assequetur, ut, honore multo splendidiore, Sancto Doctori ab omnibus expedito Patronatus universalis studiorum ab hac Sancta Sede deferatur. Non ambigimus autem quin ipse e coelo sit amplam relaturus gratiam egregio desiderio vestro, atque ita sit adfuturus conventibus laboribusque vestris, ut veri et optimi eius discipuli ab omnibus haberi mereamini. interim superni favoris auspicem, et praecipuae Nostrae benevolentiae pignus vobis omnibus Apo-

stolicam Benedictionem peramanter impertimus. — Datum Romae apud S. Petrum die 3 Maii anno 1875. — *Pontificatus Nostri Anno Vigesimonono* — PIUS PP. IX. — Dilecto Filio Xysto S. R. E. Card. Riario-Sforza Arch. Neap., Venerabilibus Fratribus Praesulibus, et Dilectis Filiis Almum Neap. Theologorum Collegium constituentibus.

**CLERO TENETENSI QUI SPIRITUALIA EXERCITIA IMPLEBAT MITTENS S, PONTIFICI R. LITTERAS FILIALIS AFFECTUS FIDEIQUE PLENAS.**

PIUS PP. IX.

*Dilecti Filii, Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Si Spiritus Dei Spiritus est concordiae et unitatis, gratulamur vobis, Dilecti Filii, ipsum in spirituali recessu confirmatum fuisse in cordibus vestris largiterque sic effusum, ut e litteris vestris aperte prodat, Hoc potissimum expetebat a fidelibus Apostolus, quos perfecte consentientes in eodem sensu eademque sententia desiderabat; et id Nos in vobis conspicere gaudemus, quos adeo devinctos huic veritatis cathedrae discimus, ut adversa quaevis perferre potius decreveritis, quam ab eius obsequio, sententia, documentis vel hilum recedere. Acerrimo quidem bello pulsamur undique; at cum victoria quae vincit mundum sit fides nostra; si eamdem caritatem habentes idipsum sentiamus omnes atque dicamus unanimes, profecto confundamus inimicos Dei et Ecclesiae irritosque faciemus eorum conatus. Oificia propterea vestra collatitiumque munus, quo filialis pietatis sensus illis significatos confirmare voluistis, iucundissimo et pergrato excepimus animo; potissimum cum eiusmodi studium erga hanc Petri cathedram non mediocrem portendere videatur fructum ministerio vestro. Hunc itaque vobis animarum amplissimum optamus, dum superni favoris auspicem et paternae Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem vobis omnibus, Dilecti Filii, peramanter impertimus. — Datum Romae apud S. Petrum, die 29 Martii' 1875. Pontificatus Nostri Anno Vigesimonono.

PIUS PP. IX.

DILECTO FILIO PRESBYTERO IACOBO MARGOTTI
SCRIPTORI EPHEMERIDIS TAURINENSIS, CUI TITULUS

*L' Unità Cattolica*

PIUS PP. IX.

*Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem.*

Tot inter praeclara testimonia, quibus Ecclesiae filii suum Nobis obsequium et affectum, anniversaria die natalis Nostri redeunte, Nobis declararunt, perlibenter accepimus vota, gratulationes et dona, quae christifideles Italicae huius regionis, Episcopis praeeuntibus, Nobis deferri voluerunt tuo ministerio, quaeque perpetuae memoriae commendata extant in pretiosis voluminibus per dilectum filium fratrem tuum Nobis in Alma hac Urbe reverenter oblatis. Vere grata ac iucunda fuit Nobis haec publica pietatis et amoris significatio, quae profecto tam insignis et splendida non extitisset, nisi intime ac penitus in catholicis italis religionis amor et constans in hanc S. Sedem devotio flagraret, et inte, dilecte fili, fervens ille zelus vigeret, quo diuturno ex tempore naviter ac alacriter Ecclesiae causae famularis. Excipe igitur in his litteris novum laudis et peculiaris dilectionis Nostrae testimonium , atque apud omnes, qui vota et munera sua Nobis tua opera exhibuerunt, quique Nos tam amanter solari contendunt, paternae Nostrae caritatis, et gratissimae voluntatis sensus, eodem affectu, quo illorum Nobis amorem declarare consuevisti, Nostro nomine effundas. Per te ipsi sciant, Nos illorum religionis et fidei illustribus spectaculis impense delectari, quae hanc miseranti Italiam exornant ac décorant, quaeque efficiunt ut eos tanquam gaudium et coronam Nostram libenter intueamur. A Deo autem clementissimo exposcimus, ut eos omnes et hanc regionem potius respiciat ac protegat, ac det eis uberrimam meritorum suorum erga Nos mercedem ac solidam virtutem ad feliciter superandos hostes, qui insurrexerunt contra Dominum et contra Christum eius. Sit autem

auspex omnium gratiarum et pignus ardentissimae caritatis Nostrae apostolica benedictio, quam tibi, dilecte fili, cunctisque Pastoribus ac fidelibus, quorum te hortatore ac interprete oblationes excepimus, peramanter ac ex intimo corde in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 19 maii anno 1875. Pontificatus Nostri anno vigesimonono.

PIUS PAPA IX.

**R. P. D. D'AVANZO EPISCOPO CALVEN. THEANEN.**
**CIRCA LINGUAM LATINAM.**

PIUS PP. IX.

*Venerabilis Frater,*
*salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Quo libentius ab orbe catholico indicti a Nobis Iubilaei beneficium fuit exceptum, Venerabilis Frater, eo uberiorem inde fructum expectandum esse confidimus, divina favente clementia. Grati propterea sensus animi, quos hac de causa prodis , iucunde excipimus , Deoque exhibemus , ut emolumentum ~ laetitiae a te conceptae respondens Dioecesibus tuis concedere velit. Acceptissimam autem habemus eruditam epistolam a te concinnatam de mixta latinae linguae institutione. Scitissime namque ab ipsa vindicatur decus christianae latinitatis, quam multi corruptionis insimularunt veteris sermonis; dum patet, linguam, utpote mentis, morum, usuum publicorum enunciationem, necessario novam induere debuisse formam post invectam a Christo legem, quae sicuti consortium humanum extulerat et refinxerat ad spiritualia, sic indigebat nova -eloquii indole ab eo discreta, quod societatis carnalis, fluxis tantum addictae rebus, ingenium diu retulerat. Cui quidem observationi sponte suffragata sunt recensita a te solerter monumenta singulorum Ecclesiae saeculorum; quae dum exordia novae formae subiecerunt oculis, eiusque pro-

gressum et praestantiam, simul docuerunt constanter in more fuisse positum Ecclesiae, iuventutem latina erudire lingua per mixtam sacrorum et classicorum auctorum lectionem. Quae sane lucubratio tua cum diremptam iam disceptationem clariore luce perfuderit, efficacius etiam suadebit institutoribus adolescentiae, utrorumque scriptorum opera in eius usum esse adhibenda. Hunc Ños labori tuo successum ominamur; et interim divini favoris auspicem et praecipuae Nostrae benevolentiae testem tibi, Venerabilis Frater, universoque Clero et populo tuo Benedictionem Apostolicam peramanter impertimus.

Datum Romae apud S Petrum die 1 Aprilis anno 1875. Pontificatus Nostri anno Vigesimonono.

PIUS PP. IX.

DILECTO FILIO NOSTRO XYSTO TIT. S. SABINAE
S. E. R. PRESBYTERO CARDINALI RIARIO S FORTIA
ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili Noster, salu!ein et Apostolicam Benedictionem. Omnipotenti Deo permittente propter arcana, iudicia sua ut qui nocet noceat adhuc, qui in sordibus est sordescat adhuc donec ipse adveniat reddens cuique iuxta opera eius, nonnullos iniquitatis filios in ista regione surrexisse deplorara us, qui grave scandalum Christifidelibus obiicere non timent, et unitatem communionemque catholicam isthic perturbare conantur. Compertum enim Nobis est, et ipse Nobiscum doles, Dilecte Fili Noster, miseros quosdam Fidei et regularis disciplinae desertores, eo temeritatis isthic progressos esse, ut ad nefariam sectam seu factionem constituendam sub titulo — *Ecclesiae Catholicae Nationalis italicae* — sua consilia aususque converterint, et conditis ad eiusdem regimen quibusdam statutis, quae dogmatico organi co-di sciplinaria ab ipsis appellantur, caput etiam ac pseudo-Pastorem iam designasse qui sub titulo Primi Episcopi, addito Coadiutore, cui episco-

palis dignitas imponenda dicitur, et Vicario Generali, factio^ ni eidem praeesse debeat.

Haec impietatis consilia non potuerunt non gravia et acerba Nobis accidere. Agnoscis enim hoc insanae conspirationis opus eo spectare, ut zizania in ista agri Dominici parte seminentur, et corrumpatur fides istorum populorum, qui Catholicam Religionem a Principe Apostolorum acceptam, integram semper inviolatamque servarunt.

Quod si inspiciatur caput ipsum, quod huic perditorum hominum factioni praefici intenditur, ex hoc magis ac magis eius turpitudo et pravitas elucescet. Ad hoc enim munus designatum esse accepimus notum a Catholica Religione Apostatam Dominicum Panelli Clericum Neapolitanum , ob suos sacrilegos ausus iamdudum suspensionis vinculo obstrictum et irregularitati obnoxium, de quo homine plura a Nobis dicenda essent, nisi eius facta, quae singularem impietatem, versutiam, fallacias, et temeritatem illius produnt , certis apud Nos documentis, et illius magna ex parte confessionibus probata, in hominum notitiam dimanassent. Illud tamen est d& quo tacendum Nobis hic non esse existimamus, nempe eumdem cum olim in hac Urbe ob necessariae doctrinae defectum ab Ordinibus Maioribus repulsus fuisset, ad Graecos Schismaticus in Orientem migrasse, ibique schismaticae pravitati adhaesione praestita, turpem a Catholica Ecclesia defectionem consummasse. Cum deinde idem ipse, sese Catholicae Ecclesiae reconciliari velle ostendens affirmaret, sacerdotalem ordinationem et episcopalem consecrationem apud schismaticus accepisse, vim nimirum ecclesiasticae ordinationis ac consecrationis tribuens nocturnae cuidam clandestinaeque caeremoniae, quam profana convivia praecesserant; peteretque ut sacerdotalis eius ordinatio ab hac Sancta Sede agnosceretur ; tunc de hoc negotio examen mandato nostro ab hac romana Supremae Inquisitionis Congregatione rite institutum fuisse, et re accurate ac mature expensa, eam a praedicta Congregatione sententiam latam esse, nostra etiam auctoritate probatam, de memorati nempe Dominici Panelli ordinationis et consecrationis validitate nullo pacto constare; ac proinde illum in

numero tantum Clericorum haberi posse, et perpetuo inhabilem ad cuiuslibet Ordinis exercitium esse censendum.

Iamvero cum ex iis, quae breviter significavimus, perspicue pateat quae sint molitiones , qui molitores a quibus istius populi fidei insidiae struuntur, cumque in eiusmodi adiunctis filiorum nostrorum paterna nostra erga eos caritas et supremi ministerii ratio Nos tacere non patiatur, Nos, Dilecte Fili Noster, ad occurrendum scandalis, et ad lupos arcendos, qui perniciem Christi ovibus meditantur, illud sine mora consilium a Nobis suscipiendum esse duximus, quod, ex sacrorum canonum praescripto, ex Romanorum Pontificum Praedecessorum nostrorum exemplo, praesto Nobis esse cognoscimus.

Quare suprema nostra Apostolica auctoritate schismaticam et haereticam factionern, quae titulum Catholicae Ecclesiae nationalis italicae assumit , quaeque facto ipso negat unam esse fidem, unam Ecclesiam, unum visibile eius Caput a Christo Domino constitutum, dum novum isthic et profanum humanae religionis aedificium iuxta elementa mundi et huius saeculi placita excitare audet, detestamur, damnamus, ac reprobamus, omnesque, si qui ei misere nomen dederunt ac dederint, ab unitate catholica defecisse edicimus et pronunciamus.

Auctoritate praeterea Omnipotentis Dei et Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, Apostatam Dominicum Panelli, qui laqueus ruinae populo Dei et offendiculum iniquitatis fieri non timet, aliosque eius temeritatis et Apostasiae socios ei quomodolibet opem, operam, consilium, assensum, favorem praestantes aut praestituros, hisce nostris litteris solemniter excommunicamus, anathematizamus: et eum aliosque praedictos ab Ecclesiae corpore segregatus, ac prorsus ab omnibus vitandos esse statuimus, decernimus,, denunciara us.

Nunc vero, dum Nos haec Apostolicae providentiae et caritatis nostrae studia ac officia erga fideles Nobis carissimos praestanda censuimus, de quorum religione et devota voluntate erga Nos et hanc Apostolicam Sedem nova nuper et illustria testimonia excepimus, facere non possumus, quin Te, Dilecte Fili Noster, in partem sollicitudinis nostrae vocatum, ad ope-

ram et zelum tuum curis nostris coniungendum, in custodiendis a qualibet impietatis contagione iisdem fidelibus excitemus. Eos itaque admoneas ut caveant a fraudulentiae et iniquitatis insidiis, quae ad eorum perniciem spectant; iis in mentem revoces, haereses et schismata a Deo permitti ut probentur electi; ac nihil ipsis praeclarius et salutarius fore, quam si in hac saeculi nequitia id strenue curent, ut « pro-
» batio eorum fidei multo pretiosior auro, quod per ignem
» probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem in
» revelatione Iesu Christi. »

Nec vero si in causa tam gravi armis spiritualibus in operarios iniquitatis uti coacti sumus, oblivisci tamen possumus Nos pro Christo legatione fungi, qui venit quaerere et salvum facere quod perierat. Quapropter illos etiam monere et hortari non omittimus per viscera Dei Nostri, per adventum D. N. Iesu Christi, ut serio cogitent, quod Redemptor noster inquiebat « vae illi per quem scandalum venit » ac statim a perditionis via recedant, et ab eorum numero in quos illud Prophetae, ut luctuosa experientia docet, misere impletur «fiat via illorum tenebrae et lubricum, et Angelus Domini persequens eos. » Ut autem Deus Clementiae eorum mentes suo lumine illustret et corda flectat , férvidas apud ipsum preces, Dilecte Fili Noster, effundere non cessemus: at si nihilominus sunt ex illis, qui ob impletam iniquitatis mensuram in profundum demergi volunt, nec ullum emergendi studium admittunt, Deum precemur, ut in iis sistat nefandum ulcus, nec ullam partem sani gregis inficiat. Tibi demum tuoque Clero ac Fidelibus implorantes ex corde, ut Dei virtus et splendor sit iugiter super Vos, et gratia Vobis ac pax multiplicetur, in auspicium horum coelestium munerum, et in pignus peculiaris benevolentiae nostrae Apostolicam Benedictionem toto cordis affectu peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Iulii An. 1875.

Pontificatus Nostri Anno Trigesimo.

Pius PP. IX.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## SUBSIDII DOTA LIS

***Die 27 Februarii 1875.***

**Compendium facti.** Eleonora M. pia atque nobilis foemina, ultimis suae voluntatis tabulis anno 1724 opus charitativum instituit dotandis puellis religiosam vitam voventibus destinatum. Varios inter illas puellas constituit gradus; voluit enim ut quovis tempore praeferentur primogenitorum Filiae sex familiarum, quas ipsa designavit; deinde vocavit puellas aliarum trium familiarum,quae tempore praesenti penitus extinctae sunt, et hisce omnibus deficientibus substituit puellas pauperes civitatis F. quae utrum e coetu nobilium esse debeant in quaestione versatur. Eo quod aiebat se velle ut primogeniti sex praedictarum familiarum, si eligere deberent puellas ultimo loco substituías, eligerent puellas quae essent *donne* (in tabulis authenticis dicitur *dome)* pauperes et miserabiles.

Adeles N. huius postremae paragraphi dispositioni innixa, cum esset puella honesto quidem, sed humili genere nata, supplicem exhibuit libellum Emo. Archiepiscopo Archidioecesis F. ut charitativum subsidium assequi valeret. Ipsa enim inops et miserrima in Asceterio Monialium a S. Clara in oppido G. eiusdem Archidioeceseos iam pluribus ab hinc mensibus commorabatur desiderio flagrans sese religiosae vitae perpetuo mancipandi.

Patroni super his precibus ab Archiepiscopo interrogati in varias abierunt sententias; duo enim eidem petitioni prorsus adversati sunt, tertius maluit a sententia proferenda sese abstinere, quartus se adhaesurum spopondit illi dispositioni, quam Archiepiscopus capiendam putavisset, et quintus solum-

modo expresse oratricis precibus annuit. Hac in sententiarum discrepantia fas sibi non duxit quidquam in re decernere, idque Oratrici significandum censuit. Quapropter praefata Oratrix die 26 Ianuarii labentis anni S. C. C. preces admovit, ut non obstante patronorum sententiarum varietate sibi spiritualem dotem piae testatricis M. consequi liceret.

Eiusmodi preces Emo. Archiepiscopo ablegatae fuerunt, ut auditis interesse habentibus, inspectaque fundatione de bono iure oratricis referret. Antistes morem gerens supra exposita confirmavit ; et postquam retulisset in praesentia patronos omnes Adelis precibus adversari, praeter Sacerdotem G. qui plene adhaerens iis quae superiori anno exposuerat, Oratricis votis annuendum omnino censuit; animi sui sententiam late docteque aperuit; quae uti valida Oratricis defensio inferius relata legitur.

His litteris acceptis, causam in plenariis S. C. Congregationis comitiis disceptandam reputatum est.

### Disceptatio synoptiea.

EA. QUAE PATRONORUM PARTIBUS FAVENT. Patroni omnem argumentorum suorum vim in eo posuerunt, nempe ut ostenderent nullum puellis Civitatis F. humili genere natis ius esse ad eiusmodi subsidium dotale consequendum. Evincere id nisi sunt sive ex tabulis testamentariis, sive ex chirographo SSmi. Benedicti XIII Pontificis maximi, sive ex ipsa dotis quantitate, nimirum quingentorum scutatorum, sive ex consuetudine plusquam centenaria, sive demum ex pluribus gravissimis periculis, quibus obiiceretur pium opus charitativum si Adelis preces exciperentur.

Et primum ad tabulas testamentarias quod attinet animadverterunt patroni nonnisi puellas genere nobili natas a testamento vocatas fuisse. Ait enim: item volo et iubeo ut primogeniti sex praedictarum familiarum eligere debeant sex puellas, quae sint *dam°*, pauperes atque miserabiles, itaque non legi *donne* ut assertum est ab Oratrice aiebant. Et hanc esse genuinam lectionem probaverunt sive ex aliquibus testa-

menti exemplaribus, sive presertim ex publici tabellionis veteribus instrumentis servandis praepositi testimonio, ex quo eruitur in ipsis originalibus tabulis reperiri vocabulum *Dame*. Admissa autem hac lectione, cuius genuinitas ex ipsis authenticis tabulis apprime elucescit, subdebant, nonnisi contra expressam testatricis voluntatem puellae ignobili genere ortae ad hoc subsidium admitterentur, cum notum sit vocabulum *Dame* nobilitatem generis secum ferre, et solis foeminis splendore natalium illustribus reservari. Cum igitur verba eo sensu sint accipienda, quem sponte praeseferunt, prono fluit alveo, Adelem oratricem, quae ab humilibus parentibus exorta est, nullo pacto ad huiusmodi subsidium admitti posse.

Neque iuvat opponere supervacanea prorsus videri ea integra testamenti paragraphus si vox *Dame* ita intelligatur ut puellas pauperes et nobiles denotet, cum istas iam superiori paragrapho tertio loco vocaverit. Certum est enim testatricem aliquam saltem in mente sua posuisse differentiam inter *gentildonne* et *Dame* tertio loco consideratas, et inter simpliciter *Dame* quarto loco positas; et fortasse vocans tertio loco « *tot puellas legitimas et naturales, pauperes et miserabiles et honestas, et quae sint gentildonne et Dame huius civitatis* » puellas intellexit aliquo nobilitatis titulo insignitas; vocans autem quarto loco « *alias puellas quae sint* « Dame » *pauperes atque miserabiles* » puellas simpliciter nobiles, idest nobilitatis titulo carentes ad subsidium admisit. Caeterum quaecumque fuerit ratio huiusce distinctionis, fixum semper immotumque manet Adelem Oratricem neque inter « *gentildonne e Dame* » neque inter « *Dame* » simpliciter adnumerari posse.

Hinc parum vel nihil interest opponere testatricem voluisse in quarto gradu humiles puellas vocare ex eo quod pro istis testimonium Parochi exquisivit, dum pro iuvenibus nobilibus in praecedenti gradu vocatis, utpote quae a patronis satis cognitae supponuntur, Parochi documentum non exegit. Etenim eiusmodi differentia satis non est ut differentem personarum speciem constituat; est enim simplex modus, qui sub-

stantiarn non afficit. Insuper methodus ista aliquantisper di* versa pro eligendis puellis quarto loco vocatis explicari potest si supponamus testatricem in isto gradu designa visse quidem puellas nobiles, sed titulo tamen carentes vel magis pauperes.

Ad secundum argumentum descendentes, inquiunt paucos post annos a morte testatricis sex praelatas familias supplicem SSmo. dedisse libellum, quo nimirum peterent ut fructus pii Operis nedum in dotes spirituales sicuti Eleonora M. praescripsit, sed etiam in dotes temporales possent impendi, quatenus nulla ex puellis quae in tribus prioribus gradibus vocantur, monasticam vitam vellet amplecti. Huic autem petitioni sese opposuerunt non quidem puellae humili genere natae sed puellae nobiles pauperes eum in finem ut etiam ipsis praedicta commutatione frui liceret. Et S. O. O. consideratis tabulis testamentariis, audita Ordinarii informatione, attenta etiam oppositione illarum nobilium pauperum puellarum, quae ad spiritualem dotem ius habebant, commutationem indulsit favore pauperum et nobilium iuvenum, quin de humilibus ullum verbum faceret. Postero insuper tempore Benedictus XIII Pontifex Maximus in suo Chirografo, quo eandem commutationis gratiam concessit, recitatis ad amussim testatricis verbis, triplicem ordinem pauperum nobilium puellarum distinxit, eisque beneficium commutationis impertivit, quin de humilibus puellis ullam faceret mentionem. Hinc rescriptum Auditoris SSmi. quod Pontificio Chirografo immediate successit in eumdem prorsus sensum recidit. Concedit enim primogenitis patronis facultatem « *in omnibus et singulis casibus, in quibus in eorum familiis. . . . vel in omnibus aliis familiis nobilibus pauperibus et miserabilibus . . . non adessent puellae quae habitum monasticum suscipere vellent . . . erogandi in perpetuum summam scutatorum 500 . . . in constituenda et assignanda dote temporali puellis descendentibus ex omnibus supra dictis familiis, servato tamen ordine praelativo* ». Ex his deducunt puellas tertio et quarto loco vocatas et in duplicem classem a testatrice distinctas sub uno genere tam

a Pontifice, tum ab eius Auditore fuisse comprehensas, sub genere nempe puellarum pauperum et nobilium. Quare concludimi; iuvenes plebeias nullum habere ius ad dotem piae testatricis Bleonorae sive temporalem sive spiritualem assequendam.

Tertium argumentum a quantitatae dotis desumptum paucis absolverunt. Etenim inquierunt, dotem quingentorum Scutatorum talem esse ut apprime denotet Testatricem solummodo puellis nobilibus pauperibus eam reliquisse. Siquidem tanta vis pecuniae humilium iuvenum dotem omnino exsuperat, sive carnali sive spirituali matrimonio adhaereant. Insuper in hypothesi adversariorum dicendum foret piam testatricem, quae utpote nobilium moribus imbuta societatis gradus maxime intuebatur, aequalem prorsus summam pro dotandis puellis nobilibus ac pro dotandis intimis de plebe constituisse. Hinc factum est (ad quartum argumentum gradum faciunt) ut ab anno 1724, quo scilicet pium opus initium habuit, numquam huiusmodi dotes sive temporales sive spirituales puellis ignobilibus cesserint; imo nemo unquam, qui inter nobiles non recenseretur, subsidium hoc sibi petiit, ita ut una post hominum memoriam Adeles oratrix controversiam hanc excitaverit. Huius autem preces (argumentum ultimum aggrediuntur) si semel exciperentur, totum opus testatricis Eleonorae uno veluti ictu corruere dixerunt. Etenim huc usque illud immune a Gubernii administratione servarunt tum quia proprietas bonorum piae testatricis ad sex designatas familias pertinet uti habetur in testamento « *quod omnes praedicti census semper manere debeant uti fundus pro nobilibus puellis, et quod fructus decurrere debeant favore praedictarum puellarum ex die post testatricis mortem* » tum quia puellae nobiles ac pauperes classem illam vere miseram haud constituunt, cuius iura tuenda ac servanda iuxta Gubernii leges Congregationi Charitatis et Provinciali Commissioni concredita fuerunt. At vero si ignobiles puellae ad subsidium admitterentur, iam nulla omnino ratio praesto esset, qua Patroni mum Opus a Gubernii administratione eximere possent.

Subdunt insuper se pium Institutum nullo alio pacto a suppressione et indemaniatione eripere valuisse, quam ostendendo iam non dotem spiritualem, sed tantummodo temporalem puellis nobilibus pauperibus suppeditari. At si Oratricis precibus S. O. C. annueret et Gubernium nosceret (quod certe evitari non posset, cum de re agatur quae ad totum populum spectat) indemaniationem minime posset effugere, siquidem veluti fons quidam haberetur, quo Monasteria legibus suppressa servarentur atque alerentur.

Sermonem denique absolverunt animadvertendo, actum conclamatumque esse de dote temporali iuvenibus nobilibus statarum familiarum aliisque distribuenda, si ignobilium classis ad"subsidium semel admitteretur, siquidem numerus puellarum ignobilium, quae monasticae vitae adhaererent, magnus est; cumque dos spiritualis prae temporali concedi debeat, iam puellae pauperes nobiles, quae matrimonium temporale ineunt, ab omni dote excluderentur. Hoc autem in casu patroni suis familiis consulere percupientes fundos ab Eleonora relictos in libertatem, licet aequo animo, vindicarent, atque ita ignobiles puellas ab assequendo dotali subsidio repelieren t. Stat enim pro viribus pium Opus tueri, viasque omnes experiri, etiam ad, laicum tribunal, si necesse foret, causam deferendo, ne caritativum Opus, a quo tot bona dimanarunt, ante ipsorum oculos destruatur. Quoniam vero ipsis foret id durissimum, hinc EE. CC. adprecati sunt ut ipsorum iura defendentes periculum omne amoverent.

### EA QUAE ADELTS ORATRICIS PARTIBUS FAVENT.

Emus. Archiepiscopus qui Oratricis partes tueri adgres • sus est, praemisit in primis heic quaestionem fieri de iure tantummodo, proindeque in expendendis consectariis quae urgent patroni se minime immoraturum. Quod vero iuris argumenta attinet a patronis adducta accurate docteque ita respondit: « Admissa lectione (nimirum vocabulum *Dame* et non *Dornte)* » cuius genuinitas ex ipsis authenticis tabulis nonnisi post » motam hanc controversiam patefacta est (cum in anteces-

sum valde de ea poterat dubitari ex variantibus exemplarium, quae circumferuntur, testamenti lectionibus), non exinde quaestio est resoluta, cum adhuc perpendendum supersit , quo sensu testatrix vocabulum hoc usurpavit. Licet enim verum sit in communi significatione verbum illud nonnisi foeminis nobili genere natis reservari, et caeteroquin verba eo sensu esse excipienda, quem sponte praeseferunt, attamen tum usus particularis aliquo nempe tempore vel loco vigens , tum intentio loquentis ex adiunctis satis patefacta, posset alium sensum verbis subiicere. In themate vero aliqua praesto sunt indicia , quibus suspicari fas est vocabulum Dame in intentione et sensu testatricis nobilitatem generis minime secumferre. Et ratio (ni fallor) satis valida ex eo primum depromitur , quod inutilis videretur ea integra testamenti paragraphus si vox Dame eo sensu, quem patroni tuentur, esset intelligenda. Cum enim in superiori paragrapho tertio loco vocasset testatrix omnes puellas nobiles et pauperes huius Civitatis, ut quid opus erat iterum in harum defectu puellas itidem nobiles et pauperes substituere? Nullum profecto obiectivum discrimen' (quod alicui solido fundamento innitatur) inter puellas in utraque paragrapho vocatas ex testamento exurgeret, si et posteriores nobilitate generis deberent praefulgere. E converso autem magnum inter utrasque discrimen testatricem posuisse manifestum est nedum ex posteriorum prioribus substitutione, sed et ex diversa electionis methodo, quam pro utrisque constituit. In quam methodum pressius advertentes deprehendimus, electionis formam pro puellis tertio loco vocatis congrue aptari iuvenibus nobili genere ortis quae satis cognitae patronis debent supponi, - tale elezione, - ait testatrix, - spetti ed appartenga alii primogeniti delle sopraddette sei casate - ; methodum vero pro puellis quarto loco admissis praestitutam indicium praebere agi de iuvenibus obscuro genere procreatis, utpote quia pro earumdem electione testimonium omnium parochorum sit exquirendum. - Fra di esse, - sunt ipsa testatricis verba , - debba pre-

» ferirsi quella, che sarà maggiore di età e debbano detti
> primogeniti stare alla relazione di tutti i Signori Curati di
» questa Città , che quella o quelle che si avranno da eleg-
» gere sieno le più povere e miserabili e superiori di età. »

« Neque haec satis, urget enim pro hac sententia aliud
y> indicium desumptum ex altera testamenti particula, in qua
» Testatrix iubet ut ex pretio retrahendo a venditione uni-
» versae supellectilis argenteae octo dotes statuantur aliqui-
» bus designatis foeminis elargiendae, inter quas foeminas
» postremo loco adnumeratur quaedam Zita . . . - Alcuna che
» sta in casa di Orsola del q. Tommaso detto Tomassetto. -
» Qua in re tria notanda sunt: primum est quod ceterae se-
> ptem legatariae proprio nomine et cognomine indicentur,
» addito etiam uniuscuiusque patre et matre, dum postrema
» nihil horum habet: secundum est quod expresse dicatur *al-*
» *cuna* atque ad eam determinandam domus in qua moratur
» et persona apud quam degit exprimantur; tertium ex libris
» parochialibus resultat, ex quibus deprehenditur nominatam
» Ursulam q. Thomae apud se consuevisse retinere aliquas
» puellas, quae filiae S. Mariae appellantur (quo nomine puel-
» lae incertorum parentum designabantur) et eo ipso anno ,
» quo testamentum ï conditum est, unam tantum ex his apud
» Ursulam fuisse diversatam. Quae omnia manifeste evincunt
» praedictam Zitam octavo loco inter legatarias nominatam
» fuisse puellam incertae paternitatis , atque ea tantum de
» causa non fuisse proprio cognomine et paternitate indica-
» tam, quia quos habuerit parentes nesciebatur. Verum quidem
» est (candide fateor) quod in libris parochialibus puella, quae
» anno 1724 apud Ursulam degebat, non Zitae sed Dorotheae
» nomine designatur, attamen cum nulla alia praeter Doro-
» theam domi Ursulae eo anno degeret, cumque nullum de
» Zita vestigium in regestis parochialibus existat, dicendum
» esse videtur Zitam a Testatrice nuncupatam, eamdem pror-
» sus esse ac Dorotheam. Eo vel magis quod nomen Zita non
» proprium sed appellativum in specie videatur, eo sensu ni-
» mirum usurpatum, quo omnibus puellis nondum nuptis

-p (quemadmodum ei diminutivum Zitella) applicatur. Haec » autem Zita nobilitate profecto generis minime praefulgens » in aliquo testamenti exemplari expresse dama vocatur: le- » gitur enim - ed a Zita dama alunna, che sta ecc. - Exinde » autem indubium exurgit argumentum ad dignoscendam Te- » statricis voluntatem; si enim Testatrix vocabulum *dama* ad » eas etiam puellas protendit, quae incertos haberent paren » tes, consequens est idem vocabulum in mente et in sensu » Testatricis nobilitatem generis minime secumferre. »

« Neque (ut urbitror) difficultatem ingerit, quod tum in » authenticis seu originalibus tabulis testamenti tum in alio » exemplari, quod consolili, vocabulum *Dama* post vocem Zita » minime reperiatur; sciendum enim est in praedictis authen- » ticis tabulis, quas attente considerandas esse iussi, post » vocem Zita manifestam adesse abrasionem et super ea » vocabulum (ut videtur) Dorothea fuisse appositum. Haec » autem novi vocabuli appositio dum aperte evincit Zi- » tam eamdem esse ac Dorotheam, non tamen aeque probat » (attenta abrasione) vocabulum Dama minime ab initio po- » situm fuisse. Imo cum verba Dorothea et dama valde infer » se discrepent ita ut amanuensium errori unius pro altero » appositio adscribi nequeat, cumque in exemplari superius » citato habeatur vox Dama, cum denique vox Dorothea » fuerit certe superaddita, dicendum est verbum Dama in » praefatum exemplar ex ipso originali (antequam abradere- » tur) derivasse. Tertium denique exemplar et ipsum, ut as- » serui, vocabulo *Dama* caret, attamen immediate post ver- » bum Zita habetur vox abbreviata Dornen", quae lectio nescio » quomodo sive cum originali, sive cum alio exemplari, sive » denique cum regestis parochialibus conciliari possit. Ab- » breviatio tamen vocis Domenica ex eo fortasse originem » repetit, quod in transcriptione eiusdem exemplaris spatium » inter duo verba Zita . . . . Alumna fuerit vacuum reli- » ctuin et insequenti tempore addita fuerit vox Domenica, » quam breviari necessarium fuerit, cum maius pro ea excri- » benda spatium exigeretur. Idque ex eo argui posset quod

» licet litera O (initialis vocis Do.uen[3]) idem omnino aira- » mentum exhibeat ac reliqua verba sive praecedentia sive » subsequentia; subsequentes tamen literae cum alio atramen- » to (nempe aliquantisper debiliori) videantur exaratae. Qua- » propter (ut paucis concludam, quae fusius hactenus exposita » sunt) si vox Dama in testamento admittere cogimur, non » idcirco puellae humili genere natae excludendae sunt a pio > Opere Moroniano, cum vox Dame eamdem significationem in > sensu Testatricis praeseferat ac vocabulum Donne. »

« Nituntur etiam duo patroni Chirographo SSmi D. P. Be- > nedicti XIII, qui paucis post annis a morte Testatricis ad » preces -sex praelatarum familiarum indulsit ut fructus pii » operis in dotes etiam temporales possent impendi, quatenus » nulla ex puellis in tribus prioribus gradibus a Testatrice » vocatis monasticam vitam vellet profiteri. Verum si nulla » mentio in praelaudato Chirographo et subsequuto decreto » Auditoris SSmi. de puellis nobilitate minime praestantibus » habetur, id ex eo repetendum quod nullum in iisdem verbum » fiat de quarto gradu a Testatrice constituto. Ea vero de » causa id factum esse puto, quia rescriptum petitioni omni- » no concordandum erat; preces autem nomine familiarum in » duobus prioribus gradibus constitutarum datae solummodo » erant. Quod si de nobilibus etiam puellis ratio habita est, id » factum est quia nobiles pauperes petitioni illarum familiarum » sese opposuerunt, quae oppositio ex parte pauperum non » nobilium defuit. »

« Denique consuetudinem urgent unanimiter quatuor Pa- » troni asserentes toto tempore, quod a morte Testatricis usque » ad praesens elapsum est, nullam puellam obscuro genere » natam hoc subsidium dotale umquam expetiisse; quod mani- » festum indicium esse putant in hujusmodi puellis praefatum » jus nullimode fuisse recognitum. Verumtamen an id jure » asseratur nescio; neque enim facile concedendum putarem » silentium harum puellarum ex ea unice causa posse repeti, » cum plures allegari valeant rationes ob quas hoc silentium » verificatum fuisse supponi potest. Nam praeterquamquod fa-

» cílis admittenda est in his puellis ignorantia quoad hoc jus, » cum nonnisi quarto loco fuerint vocatae, recolendum est » plures adversas vices pium Opus Moronianum, tum debi- » torum inopia, tum Exequutorum ineptia passum fuisse, et » in tot extraordinaria subsidia labentibus annis fuisse ero- gatum, ut nedum omnes annui fructus, sed etiam ipsa ca- » pitalis summa laesa fuerit. Qua de re indubium extat docu- » mentum in ipsa quaestione coram S. C. C. anno 1832 *9* proposita cui quidem quaestioni ea applicata est decisio, ut » ad tuendum pium Opus subsidia omnia revocarentur. Cum » igitur omnes exhausti essent fructus pii Operis, non video » quomodo puellae quarto loco vocatae aliquod jus potuissent » praetendere. »

Hisce pro utraque parte adductis proposita sunt EE. PP. dirimenda.

**Dubia.**

I. *An Puellis (civitatis) F. humili genere natis ius insit ad subsidium M. assequendum in defectu pHmo, secundo et tertio loco vocatarum,*

Et quatenus affirmative

IL *An et quomodo excipiendae sint preces Adelis in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii die 27 Februarii 1875 causa cognita respondere censuit.

Ad L *Providebitur in secundo.*

Ad IL *Negative et ad mentem: Mens est ut Oratrix commendetur charitati Collaturum, etiam cum derogatione, quatenus opus sit, voluntatis Testatricis, facto verbo cum SSmo.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

L Voluntatem pii disponentis habere vim legis, sancte ac religiose servandae; eique neminem praeter Summum Pontificem derogare posse.

II. Romanum Pontificem, utpote Legislatorem Supremum, testatorum voluntatem aliquando commutare; quae commutationes tamen ex Conc. Tridentino *nonnisi eoo iusta et necessaria causa fieri debent.*

III. Voluntatem piorum fundatorum, si in aliquo adiuncto minus clara se praebeat, erui etiam ex rationabili et diuturna anteriori applicatione; vel etiam ex periculis et inconvenientibus quae, deserta priori interpretatione, enascerentur.

## EXISTENTIAE CONFRATERNITATIS

*Lie IO Augusti 1873.*

Cum hanc causam ageremus fase. 89 pag. 279, omnia positionum folia nobis tradita non fuere, atque prorsus ignoraba mus, iterum quaestionem illam in iudicium revocatam fuisse. Qua de causa pag. 285 in nota scripsimus, S. Concilii Congregationem *utramque Congregationem confirmasse; quod ad tollendas controversias et lites, etiam post publicationem Bullae Clementis VIII non semel a Sede Apostolica factum fuerat.* Et vera quidem diximus quantum ad historiam.

Attamen in praesenti causa cum fratres Congregationis Charitatis a S. Congregatione Concilii exqui vissent, quo sensu lata ab EE. PP. sententia esset accipienda, sub die 25 Augusti 1874 hi respondendum censuere: *In decisis et amplius: et scribatur Archiepiscopo, substantiae sententiae confirmatae nihil detractum fuisse per modos adiectos in decisione.*

Id est; EE. Patres ad tramitem iuris sententiam tulere: Societatem quidem Charitatis uti Confraternitatem recognovere; illam SS. Annunciatae uti Congregationem, quae non posset Confraternitatum iuribus frui, sed iis tantummodo privilegiis quae ab Episcopo sancita fuere. Vide pag. 272.

MAíRIMONIJ

*Die 22 Maii 1875.*

**Compen« i u m f a c t i .** Vertebat annus 1869, dies vero 15 Iunii, quando in faciem Ecclesiae initum fuit matrimonium inter Franciscum oenopolam urbis I. Dioecesis E. et Annam B. urbis M. quorum primus viginti sex, altera viginti quatuor annos attigerat.

Infausto sed vero sidere huiusmodi nuptiae conciliatae fuisse videntur; nam immediate post diversi sparsi fuere rumores de mutua coniugum aversione, de denegato ab uxore debito coniugali, deque eius mentis perturbatione. Hac de re vir modo uni, modo alteri de tristi coniugio conquerebatur.

Parentes interea a sponso moniti, filiam conspicient.es quasi mentecaptam, varias cum ea ad loca sacra peregrinationes aggressi sunt; ex quibus itineribus filiam aliquantisper recreatam, atque ipsa desiderante, sponso reddidere.

Verum morbo iterum ingravescente, iterum mulier ad lares paternos reducta fuit, eamque parentes ad quemdam sibi consanguineum chirurgum miserunt, ut curaretur: de cuius tamen consilio post duos menses ad manicomium adducitur.

Interea temporis, scilicet die 16 Maii 1870, Franciscus sponsus SSmo. preces admovit, ut matrimonium a se cum Anna initum nullum declararetur; sin minus a vinculo matrimonii rati et non consummati dispensantur ad eum finem ut novas nuptias conciliare valeret.

Acceptis precibus die 19 Septembris anni 1871 Episcopo mandatum datum fuit I. ut tabulas processuales conficeret tum super matrimonio rato et non consummato, tum super causis dispensationis; 2. ut eas absolutas ad S. Congregationem transmitteret.

Maximopere curavit Episcopus ut processus institueretur ad tramites Benedictinae Constitutionis. Hinc eligitur Matrimonii defensor, eique iuramentum defertur, et tum coniugum, tum septimae manus, aliorumque testium examini fit locus.

Suppositus examini sponsus sub iuramenti fide deposuit, 1. *se quamquam erga aliam personam inclinatum. Annam tamen in uxorem duxisse suasionibus parentum suorum. 2.* Annam sibi re velasse ideo *sibi nupsisse erga que?n nullum sentiret amorem, quia secus a patre fuisset trucidata;* occasione vero sponsalium coram Parocho dixisse, libere se nupturam, quia pater aderat. 3. Scire eam erga alium amore captam, cum eoque inclinatam fuisse ad matrimonium ineundum. 4. Etiamsi debitum coniugale ab uxore saepius exquisierit, illud tamen semper denegasse, inquiendo: *hoc numquam faciam;* id vero contigisse etiamsi a prima nuptiarum nocte in eodem cubiculo dormierint, in lecto tamen separato. 5. Probare, se commercium carnale cum uxore numquam habuisse tum iuramento, tum taedio quodam quo atfici erga eam coepit ob quasdam, quas in ea immunditias animadvertit.

Examini subiecta sponsa, eique iuramento delato, et percontata: 1. an ante sex hebdomadas prius quam nuptias iniret melancholia laboraret, respondit: *nequaquam, sed sana fui et corpore et mente, donec de matrimonio cum Francisco ineundo tractari inciperetur.*

*2.* Sciscitata autem: num vera sint quae a marito affirmantur, scilicet in ipso nuptiarum die eam omnino mutam fuisse, et nihil ad quaestiones respondisse, posthac} saepius de lecto surrexisse et affirmasse, omnino sibi in urbem M. esse redeundum, cum ibi malum aliquod acciderit; respondit: *Haec omnia in quantum recordor sunt verissima.*

3. Interrogata: utrum ante matrimonium cum Francisco initum, cum alio aliquo viro familiariter conversata sit, et an eidem nubere voluerit; respondit: *Affirmative; non tamen intimior quaedam relatio inter nos intercessit.*

4. Requisita: utrum marito ante nuptias detexerit, ipsam a matrimonio ineundo esse aversam, respondit: *Paucissima*

*verba ante nuptias cum marito meo locuta sum, neque aliquid de illa aversione eidem det exi.*

Negavit autem se Parocho dixisse , ideo consensum matrimonio dedisse, quia secus a parentibus occisa fuisset.

5. Interpellata autem: num die nuptiarum et postea pertinaciter debitum coniugale denegaverit, et utrum maritus illud saepius, non obstante denegatione, petierit, et an vi in illo petendo' usus fuerit; num in eodem cubili et lecto cum viro noctes transegerit, et quanto tempore, et utrum matrimonium consummatum fuerit, respondit: *Debitum semper denegavi, quamvis vir id saepius etiam instanter, nulla tamen vi adhibita, petierit. In eodem cubili, sed in lectis distinctis dormivimus, idque cum aliquibus intervallis per duos quasi menses. Debitum autem potissimum denegavi ob aversionem erga matrimonium et virum.*

Interrogata de conditione sui corporis, absolute respondit: *Virgo fui et sum, nec abhorreo ab inspectione corporis mei.*

Percontata: utrum aliqua inclinatio erga virum ipsi insit, et an ad eum rediret officiis uxoris functum, respondit: *Nullo pacto ad virum, erga quem nullam sentio inclinationem, redire possum; immo coniremisco toto corpore, quoties de hoc reditu cogito.* Addidit autem se nullum sentire desiderium aliud contrahendi matrimonium, hoc dissoluto.

Subiectus examini Parochus qui nuptiis benedixit, ait: *In ipso actu copndationis Anna,, capite demisso, tristis oculos defixit. Ad solitas in hoc actu interrogationes nullum ab ea audivi responsum, et solummodo facta tertia interrogatione, eam vidi capite leviter annuere. Caeterum non dtibitabam eam libere consensum dedisse.* Arbitrabatur vero Parochus reconciliationem inter coniuges fore impossibilem, sponsumque, si dispensatio denegaretur, ad Protestantium Sectam transiturum, ut novas nuptias contrahere posset.

Parentes utriusque coniugis et testes reliqui septimae manus testati sunt tum de aversione Annae a nuptiis cum Francisco ineundis; tum de assensu ab ea praestito ad protractas et repetitas parentum cohortationes; tum de eius taciturnitate

post praestitum assensum; tum de eius repugnantia in ipso matrimonio coram Parocho ineundo, de eius inter epulas moestitia, de nullo erga sponsum specialis dilectionis signo, de negatione debiti coniugalis, de filiae bona valetudine ante sponsalia inita cum Francisco, de quadam alienatione mentali Sponsae tum post contractum matrimonium -, tum antea sed post contracta sponsalia; tum de impossibili coniugum reconciliatione; nam singuli omnia tentaverant, ut reconciliatio ad effectum deduceretur; at frustra.

Valburga tamen famula familiae Annae praeter relata testata insuper est: « Mater ut ego ipsa vidi et audivi, non » solum continuis persuasionibus movebat filiam, ut iniret has » nuptias, sed etiam omnibus possibilibus opprobriis, immo » et datis alapis urgebat resistentem. Quo non obstante, filia » mihi dixit: non possum contrahere hoc matrimonium. Tan» dem victa, ut puto, et coacta cessit e pugna. »

Praetereundum tamen non est, testes septimae manus utriusque partis fassos fuisse, Franciscum et Annam tali praeditos esse pietate, conscientia, bonisque moribus, ut omnem fidem promereantur, atque ita in examine locutos fuisse ut nonnisi veritatem illos dixisse arbitrentur.

Interrogati testes, alii deposuerunt, coniuges in epulis nuptialibus admodum indifferentes, imo frigide ad invicem se gessisse; alii vero, se nihil in eis contra morem solitum conspexisse, imo eos consaltasse dixerunt.

Peracto coniugum et testium examine, ad tramites instructionis S. Congregationis Concilii anni 1840 tres deputatae fuerunt obstetrices, honesta matrona, et duo in arte medica periti, ut inspectio corporis Annae fieret, et referretur.

Peracta inspectione, reperta sunt cetera virginitatis indicia, praeter hymen; quod medici fassi sunt destrui potuisse vel ex coitu saltem semel habito, vel etiam alia de causa; Anna vero iuridice interrogata, huius defectus causam aliam sub iuramento retulit, praeter coitum sive cum sponso sive cum alio.

Processu ad S. Congregationem Concilii transmisso, monitae sunt partes ut deputarent respectivam Procuratorem in

Urbe ad sua iura defendenda. Cum vero Sanctissimo relatum fuerit de coniugum paupertate, benigne indulsit, ut causa oeconomice pertractantur cum voto Theologi et Canonistae, nec non animadversionibus Defensoris matrimonii ex officio.

*Atque praemissa brevi factorum narrationem haec a Theologo inquisita sunt.*

1. An consensus ex parte mulieris fuerit revera vi, raetuque coactus.

2 An matrimonium in casu adhuc ratum tantum perseveret .

3. Tandem, an iustae ac honestae adsint in themate causae ut consulendum sit SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati.

Quoad 1. animadvertit, agi in themate de metu reverentiali; porro non quemcumque metum reverentialem matrimonium irritum reddere, sed eum cui talia accedunt adiuncta, quae libertatem tollere possunt.

« Non sufficere » inquit D. Alphonsus de Ligorio 1. 6. Tract. 6 de matrim, n. 1056, « puram reverentiam; sed requiri ut » adiungantur aut verbera , aut minae , aut timor alicuius » gravis mali, puta odii, diuturnae indignationis, etc. »

Advertendum tamen esse, importunas quoque et assiduus preces, potissimum quae a persona procedunt cui reverentia debetur, non secus ac vis et metus, consensus libertatem excludere, ac nullum matrimonium reddere. Non quivis metus reverentialis, inquit Lessius de iust. et iur. lib. 2 cap. 17 « censetur gravis; sed ingens, vel si coniunctae sint minae, » vel timor malae tractationis, vel preces importunae, id est » vehementes et saepius repetitae; haec enim dum iunguntur » illi reverentiae quae superioribus deferri debet, aequivalent » metui gravi. »

Metus vero eiusmodi etiamsi talis debeat esse naturae, ut cadat in virum constantem, tamen pensandum esse in sensu relativo nemo non novit: quod enim viro forti periculisque assueto leve foret, alii meticuloso, et mulieri praesertim, intolerabile esse posset.

Qua de causa S. Rota R. coram Ludovisi dec. 326. n. 1

consultissime decernit: « Prudens iudex non tenetur tantum
» examinare qualitatem metus, et an adsit metus gravis vel
» levis, et an concurrant minae et violentiae expressae, vel
» deficiant; sed magis magisque circumstantias et conditionem
» personarum tam inferentis, quam patientis, si filius sit
» suavis ingenii, timidus, et pusillanimis, honestis optimisque
» moribus praeditus, parentum voluntati vere subditus et metu
» patris simulatum contraxisse matrimonium exponat ; tunc
» iudex nullum et irritum huiusmodi matrimonium iudicare
» debet, etiam si paternae minae et violentiae expressae non
» intervenerint. »

Iam vero circumstantias antecedentes , concomitantes et consequentes demonstrare metum gravem intercessisse in nostro matrimonio facillime probavit Theologus.

Quoad enim antecedentes circumstantias, nullum esse potest dubium, ex relatione testium fide dignorum, ipsorumque Annae parentum, eam has nuptias horruisse: *filia mea,* inquit pater, *neque de negotio sponsi aliquid audire, neque generatim matrimonium ullum contrahere voluit.* Mater vero: *filia mea perhorrescebat has nuptias.* Quid vero ipsa Anna de sua ab matrimonio cum Francisco ineundo aversione dixerit, supra retulimus.

Attamen eam unice cessisse precibus et cohortationibus assiduis et importunis parentum a minis ac alapis minime disiunctis ex iis ipsis quae parentes famula et testes deposuere, tum ipsa Anna sponso suo et officialibus Curiae Episcopalis affirmavit facillime patet.

Atque hinc a Chirurgo deputato dictum est, omnia Annae mala ex hac derivasse coactione: « Quod equidem sentio circa
» causas huius status (dementiae) Annae, hic sincere dicam.
» Ipsa prius adamaverat, et quidem omni, qua par est, ser-
» vata morum honestate, alium iuvenem, ac proinde animo
» aversa erat ab ineundis cum Francisco nuptiis. Assuefa ut
» numquam contradiceret volunmti parentum, tandem cessit,
» et irritatis tali modo intentis priori tempore nuptiis, con-
» clusum est cum Francisco matrimonium. Per haec omnia
» Anna vehementer commota et quasi remansit attonita. Per

» consequens et cessavit eius purificatio menstrua, unde de-
» ducenda et caetera omnia. »

Ad eiusmodi igitur matrimonium conciliandum concurrit metus et vis; proindeque abfuit liber consensus qui pro matrimonii validitate requiritur.

Equidem vis Annae illata constat praesertim ex Valburgae eius famulae testimonio; fidem ei proinde, dicet quis, non esse adhibendam.

At falso; primo quidem quia ius tenet, in materia, domesticitatem non esse legitimam exceptionem; domestici, sancit ius, ni alium patiantur defectum, dicuntur in causis matrimonialibus *testes omni exceptione maiores,* etiam ubi agitur de infringendo matrimonio, eo quod prae ceteris informati praesumuntur (1); secundo quia quamvis Valburga tempore metus incussi fuerit famula familiae Annae, tempore tamen examinis non erat; et ad effectum iuridicum habilitandi testem, attendendum est tempus constituti; qua de causa *Farinacc. de testibus quaest. 62 n. 298* inquit: *non est repellendus a testificando pro praeterito domino, et multo minus pro illius filia;* tertio tandem quia Valburgae depositio ita firmiter adminiculis, et quod magis est, contestibus quamplurimis confirmatur, ut nil amplius desiderali sinat. In matrimonio nostro igitur adfuit metus et vis antecedens, defuit proinde liber consensus.

Actus vero concomitantes coactionem in dicto coniugio satis clare praeseferunt. Ex omnium siquidem testium depositione liquet, quod Anna domo discedens Ecclesiam aditura tanta mentis anxietate, tristitia et afflictione afficiebatur, ut potius ad funus quam ad hymenaeu n eam ire diceres. *Cum filia mea,* inquit mater, *relicta dom> , ad Ecclesiam iret et ad copulationem pergeret, anxia mut f um et afflicta apparebat.* Pater vero: *Die autem ipsa nuptiarum notavi, quod filia mea quasi invita ad altare accesserit.* Tandem Paro-

(1) **Imo ubi agitur de infringeiidu matrimonio ex metu sponsi vel sponsae inter domesticos parietes incusso, muí requiruntur testos omni exceptione *ma*-jores, sed admittuntur qui alias non admitterentur. Alexand. cons. 156. n. 15. Gregor. Decis. 351. n 7. ilantic. decis. 112. n. 4.**

chus: *hi actu ipso copulationis, Anna capite demisso, tristis oculos defixit. Ad solitas in actu interrogationes nullum ab ea audivi responsum, et solummodo facta tertia interrogatione eam vidi capite leviter annuere* (1).

Subsequentes quoque actus relatum sponsae metum summopere comprobant. Vix enim matrimonio inito, mulier tanto horrore in virum afficiebatur, ut eius quoque aspectum declinaret. *Animadverti,* inquit unus e testibus, *Annam statim post nuptias refugientem a marito.* Alius deponit: *Inter fui epulis nuptialibus, et vidi sponsam omnino iacitur nam et reclusam, cumque semel inter has epulas neo-maritus accedens ipsi diceret: nunc mea es; frigida et quasi rudi modo vultum declinavit ab* eo; quae et alii affirmant. Expietis epu-

**(1) Haec vero tristitiae et moeroris indicia liberum Annae assensum excludere videntur. Quare Rota Decis. 405. n. 8. part. 18. Tom. 2. recent, in casu fere simili concludit: *Cum ad actum matrimonii contrahendi coram Parocho pervenisset , ab ipso interrogata , numquid vellet in eum consentire, prae nimia tristitia ac timore pallida et deformis subsisteret in respondendo eadem Margarita sic ipsa cum magna displicentin et moerore dictae Margaritae potius voluntate quam sua matrimonio consenserit, quo fit ut non dicatur satisfactum iuris dispositioni , quod matrimonia, debent esse libera a coactione, et a nullius arbitrio pendere,., et consequenter matrimonium huiusmodi ex defectu consensus irritum et inane remansit.***

**Hic vero Theologus adnotare non praetermittit ea quae ipsum Annae assensum in dubium revocare videntur. Parochi depositio se habet ut supra; at illam annuentiam pater Annae in dubium adducit, affirmans: *mihi videor;* Pater sponsi contradicit utrique, unu referat non de capitis annuentia , sed de verbis quibusdam inarticulatis . a sc tamen non intellectis: *quamquam non (tudierim quid ipsa dixerit, quum omnia in actu voce submissa dicta fuerint.* At Pater Annae haec verba prolata voce submissa excludit dicens: *quod mihi tam singulare videbatur, ut post filiae dixerim, ipsam ne verbum quidem consensus de praesenti emisisse.* Atqui Tridentina Synodussess 21 cap. 1. de Reform, matrim, duos vel tres in actu copulationis testes, praeter Parochum ad validitatem matrimonii exigit, qui una cum Parocho omnes percipere debent mutuum contrahentium consensum , sub poena nullitatis. Testes probe videre, recteque audire debent id de quo testantur, alias non attenduntur iuxta receptam opinionem, de qua Barbos, in cap. Tuae Fraternitati n. 2. in fin. de Sponsal. Patet vero, patrem sponsae non firmiter sed dubitanter de signo a muliere edito deposuisse; canones vero excludere dubitationem in testibus, atque praecipere positivam depositionem. Cum itaque testes uniformes non sint, et dato quod patris sponsae testimonium aliquid esset faciendum , unico testi matrimonium nostrum inniteretur; at Concilium Tridentinum annullat atque irritat ea matrimonia quae, contrahuntur coram Parocho et *uno tantum teste* quamvis dignissimo ct omni exceptione maiori.**

lis, etsi in eodem conclavi, lecto tamen separato, mulier viro debitum coniugale denegavit *potissimum ob aversionem erga matrimonium et virum,* ut rotundis verbis mulier testata est.

Neque eiusmodi aversio cessavit aliquando, sed constans fuit, nullaque medela aut distractione tolli aut saltem mitigari potuit; adeo ut mentecapta tandem putata fuerit, et etiamsi ad maritum reversa semel sit, numquam tamen maritalia officia cum eo peregit, semper eius consortium refugit, semper moesta et taciturna remansit, ita ut tandem coacta ab eo discedere fuerit numquam reversura. Adsunt igitur in nostro matrimonio factorum adiuncta tum praecedentis aversionis, tum concomitantis tum consequentis, quae omnia evincere consensus defectum unicuique facile patebit.

II. Quod vero matrimonium nostrum adhuc ratum perseveret facillime demonstratum est 1. ex ipsorum coniugum iuramento, qui sine ulla tergiversatione asseruere, inter ipsos numquam matrimonium fuisse consummatum; 2. ex depositionibus testium septimae manus, qui iuramento affirmarunt se firmiter credere, coniuges testimonium veritatis praebuisse in suis iuramentis dum dixerunt nunquam matrimonium fuisse consummatum; 3. ex testibus fide dignis qui id tum a viro tum a muliere audivere; 4. ex publica fama et quidem con • stantissima, quae viguit statim post initum matrimonium, et apud parentes utriusque coniugis et penes domesticos et familiares, et apud civitatem I. et oppidum M. percrebuit; 5 ex iuridica corporis inspectione, ex qua constitit cetera in sponsa fuisse virginitatis indicia, praeter hymen; hymenis vero defectum non esse habitae copulae carnalis argumentum, inter ceteros affirmat Barzellotti medie, legal, lib. 1 §. 28. *Dietro simili esempi ed altri che la Storia medica somministra, se si volesse decidere della verginità per Vesistenza dell'imene, noi ci troveremmo sovente ad asserire, essere vergini alcune sebbene corrotte, ed altre corrotte sebbene vergini e caste* (1).

**(1) Id est. Stantibus adductis exemplis, aliisque quae ex medicinae Histeria peti possent, si iudicandum ess: t de virginitatis existentia ab existentia hymenis, compelleremur iudicare uti virgines quae corruptae fuere, et Viceversa»**

De cetero professores iuridice inducti testati sunt, hymen amitti posse alia de causa quam ex habita copula carnali ; Anna vero indicavit causam hymenis amissi.

TIT. Causas ad consulendum SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati Theologus ad sequentes reduxit.

1. Ad defectum animi, et ad metum in muliere tum antea tum tempore initi matrimonii.

2. Ad nimiam inter coniuges animorum aversionem.

3. Ad maximum et quidem certum periculum quod miserrimae mulieri immineret, in amentiam reincidendi, si ipsacompelleretur invita ad virum redire, ceu pro certo tenent medicus et chirurgus in testes adducti.

4. Ad coniugum aeternae salutis discrimen, de quo testati sunt parochi respectivi.

Ex iis vero luculenter apparere arbitratur theologus dispensandum esse a matrimonio rato.

## Votum Canonistae

Accurata praemissa factorum historia, Canonista ad 1. quaestionis caput respondit, non ea factorum adiuncta praesto esse quae suadeant, quaestionem nullitatis matrimonii ex capite metus utiliter tractari posse. Exploratum esse enim, inquit, apud Canonistas, timorem ex reverentia erga parentes, ne scilicet offendatur eorum persona, regulariter matrimonium non dirimere; et tunc solum impedimentum dirimens constituere, cum reverentiae coniunguntur continuae obiurgationes, vexationes, vehementes et importunae persuasiones austeri parentis, cui resisti non solet, quae omnia constituerent speciem gravis timoris externi iniuste incussi ; in themate vero nostro metum non esse eiusmodi, saltem non apparere , tum quia de alapis illatis unus adest testis (Valburga), tum quia haec non affirmat, molestias et opprobria Annae perdurasse usque ad diem celebrati matrimonii, sed posita videntur quousque illa non consenserit in matrimonium de futuro contrahendum; tum quia ceteri testes sunt tantummodo de auditu, et referunt generice rigidam parentu. > agendi rationem erga filiam ; tum

quia parentes coactionem se exercuisse inficiantur; tum quia Parochus censet, Annam libere consensisse ; tum quia ipsa Anna interrogata: *num ideo a parentibus tuis commutationes fiebant,* respondit: *negative,* quae omnia utique, concludit, exprimere animum Annae a matrimonio cum Francisco alienum, non autem voluntatem et libertatem eius excludere.

Circa secundum quaestionis caput adnotavit Canonista exclusionem consummationis matrimonii duplici probatione evin ei, morali scilicet et physica; admisit vero probationem moralem 1. quia explorata erat et certa voluntas aversa Annae a contrahendis cum Xaverio nuptiis ex indiciis antecedentibus, concomitantibus et consequentibus, ex sua (1), sponsi, parentum, et testium depositionibus. Hanc autem animi aversionem magnam et vehementem praesumptionem gignere de non secuta matrimonii consummatione. Quousque enim a muliere amor erga virum suum exulat, et potius dominatur cordis moestitia atque animi alienatio, supponi nequit positio actus, qui amoris expressio reputatur.

Non eodem tamen pacto admisit Canonista probationem physicam, quae ex praxi Ecclesiae et positivo iure prae oculis maxime est habenda ; nam ex concordi confessione obstetrices adnotarunt defectum hymenis , simulque existere vel unam vel etiam binas parvas carúnculas. Ex eiusmodi relatione chirurgus et medicus deputati possibilitatem coitus saltem semel, vel raro admodum habiti non excludunt. Ex quibus concludit Canonista, physicam probationem virginitatis Annae disparere ; nam carunculae quae supersunt non sunt aliud quam residua hymenis contracta, quae demonstrant, hymen extitisse, et a causa physica fuisse laceratum; hypothesim vero medicorum de coitu saltem semel habito

(1) **Licet sola depositio iurata coniugum in quaestione matrimonii contracti non sit valde attendenda;** ***cap. Super eo 5. De eo qui cognovit;*** **tamen quando agitur de non consummatione inatrimonii, haec eadem depositio testimonióseptimac manus propinquorum roborata, max imi facienda est. Cap. V.** ***de, Frigidis et maleficiatis,*** **ubi haec leguntur:** ***Si autem, quod numquam se invicem cognoverini ambo*** **(coniuges)** ***fateantur, cum septima manu propinquorum ac vieinorum bonae famae*** **(si propinqui deiuerint)** ***tactia Sacrosanctis Evangelii uterque iureiurando dicat, quod numquam, per carnis copulam una caro effecti fuissent, et tunc videtur quod mulier naleat ad secunda» nuptias convolare.***

non destitui suo fundamento; tota enim ratio denegati ab Anna debiti coniugalis reponitur iuxta testes in habituali aversione animi eiusdem a viro suo, et in quadam confusione, seu quadam mentis infirmitate. Atqui saltem unum temporis punctum insinuatur in actis, in quo haec duo suspensa saltem fuisse coniici potest. Sane Francisca mater Annae ita loquitur. « Mox » post^ adventum filiae in urbem I. notitiae factae sunt'de » aucta filiae confusione, de inhabilitate ad negotia et ad ci- » bum etc. Inde eam domum reduximus, peregrinationes ad » loca sacra instituimus, et cum eius status ad meliora fle- » cteret, eam, sicut ipsa desideravit, iterum in urbem I. (id » est ad vinrm suum) perduximus. » Ex quibus eruitur saltem semel Annam desiderasse cum viro suo reperiri. Quare certo non constat, matrimonium in casu non fuisse consummatum (1).

Ad 3um Negat Canonista preces porrigendas esse Summo Pontifici pro dispensatione super matrimonio rato et non consummato, cum ex iure, et constanti S. Congregationis praxi constare debeat de non secuta matrimonii consummatione, antequam ad negotium dispensationis definiendum procedatur. Dato vero quod a S. Congregatione iudicetur, matrimonium non fuisse consummatum, plures esse causas pro dispensatione concedenda ultro affirmavit Canonista; quas quidem reponit 1° in nimia aversione animorum inter coniuges, ita ut reconciliatio cum felici exitu nequeat praevideri; 2° in verificatione quod non constet, consensum alterutrius coniugis fuisse undequaque liberum; 3° in periculo scandali et fornicationis; 4° in periculo corporis, in timore scilicet alterutrius coniugis amittendae bonae valetudinis. Quarum causarum una vel altera sati< esset ad dispensationem obtinendam, multo magis simul coniunctae.

ANIMADVERSIONES DHFKNSORIS MATRIMONII EX OFFICIO.

Pro munere suo Defensor matrimonii ad 1um exclusit existentiam metus reverentialis et cuiuscumque coactio-

(1) Hoc argumentum impetit etiam üiuiukü) probationem. Ex eo enim deducitur, aversionem Annae a viro non fuisse constantem.

nís ex parie parentum. Quandoquidem manifeste ex actis eruitur coniugis utriusque parentes Sanctam Sedem rogasse ut *matrimonium nostrum vel annullarHur, vel super eo rato tantum et non consummato granosissime dispensaretur;* convenisse vero sponsum et Annae parentes inter se, ut *uterque dimidiam praestaret partem expensarum quae solvendae forent pro obtinenda dispensatione ad effectum, ut solveretur hoc matrimonium ratum quoad vinculum.*

Ipsius ergo Annae pater, et ipse sponsus ratum habuere matrimonium hoc quoad vinculum; nullam igitur intercessisse coactionem, vel metum gravem, qui constituisset impedimentum dirimens, implicite fassi sunt.

Quod et explicite fassus est Pater sponsae: nam de re iuridice interrogatus respondit: *Iterum iterumque filiam cohortatus sum ut Francisco nuberet; opprobria aut minas numquam adhibui pyra casu recusati matrimonii. Inde deduco, filiam meam consensum de hoc matrimonio omnino libere emisisse.*

Nec aliter mater deponit; siquidem et ipsa ad interrogationem opportunam respondit: *Cohortata stem utique filiam, ut contraheret ho: matrimonium; sed opprobria et minas nunquam ad, ibui; unde censeo, ip/Sam libere consensisse.*

Ex his vero destrui censet defensor tum depositionem Walburgae famulae, tum illam sponsi affirmantis, se ab Anna audivisse quod nisi matrimonio fuisset assensa, *trucidata fuisset a patre suo;* cum enim ipsi parentes id penitus iureiurando excludant, manifeste falsum apparet quod famula et sponsus deposuere; de cetero ipsam Annam de iis formiter interrogatam ad omnia respondisse negative, acta processualia perhibent.

Supradictis vero rationibus accedere, quod status melancholiae et perturbationis mentalis Annae nullo pacto sit repetendus a propositis nuptiis cum Francisco Xaverio ineundis, sed ab irregularitatibus mensfruationis quae in ipsa configere. Medicus enim formiter de causa perturbationis Annae interrogatus respondit: *Quum compjerissem menstrua Annae antehac maxime regularia et largissima fuisse, suspi-*

*cari coepi, causam interruptae menstruationis in graviditate esse requirendam. De qua suspicione, diligenti examine instituto, revocatus, persuasum habui, affectiones extraordinarias in Anna mihi occurrentes, physicum eius statum perturbasse, et mentis eius perturbationem nonnisi ex anomalia menstruationis prodiisse.*

Cum autem certum sit, anomaliam hanc menstruationis, adeoque melancholiam praedictae Annae incepisse multo ante nuptias rite initas, nil mirum si eodem morbo affecta fuerit tum ante, tum post matrimonium cum Francisco initum, quin censendum sit vel ex hoc facto morbum derivasse, vel libertatem in consensu praestando amisisse.

De cetero, non obstante hoc Annae statu, utriusque coniugis parentes eam aptam putarunt, ut praedictum coniugium perficeret.

Falsum vero esse apud vulgus opinionem inolevisse, eam esse ad negotium vini gerendum ineptam ob mentis perturbationem, nuptiarum contradarum causa acquisitam, sed ob inusitatam vivendi rationem. Ita enim unus e testibus deponit: « Ipso die nuptiali nihil insolitum in sponsis conspexi. Post » duos autem dies, cum ambo domum suam in urbe nostra » possidere incepissent, eodem ferme tempore, paviditas quae» dam et anxietas in uxore nec meipsum, nec alios praesens» tes subterfugi t, quae tunc quidem ex inusitata vivendi con» ditione provenire mihi videbatur. Idem omnes de illa sen» tiebant hospites in domo Francisci. » Quod et ipsa Anna fatebatur dum Francisci sorori dixit : *se in illa domo non posse manere, omnia ibi super conditionem suam esse no->biliora; se tali hominum societati non esse adaptam.* Non itaque matrimonium contractum, sed naturalis paviditas aucta ex inusitata illa vivendi ratione in domo viri ad mentis perturbationem Annam adduxit; qua de causa non ex metu reverentiali, non ex parentum imperio, minis, alapis consensum ea praestitisse dicenda est, sed ex sua libera voluntate.

Quid amplius? Nonne ipse maritus unice conquestus est quod uxor esset inhabilis ad negotia, ob idque eam domo expulerit? *Verum est,* inquit, *me iussisse eam discedere, utpote*

*negotio inhabitem.* Qua de causa si habilis ad vinum vendendum fuisset domo discedere non coegisset ; alias ergo causas ut Annam abiiceret non invenit, non, inquam, animi aversionem, non mentis perturbationem, non negatum debitum coniugale, non aliud quidquam cum unice queratur de inhabilitate mulieris ad negotia.

Edicere igitur, concludit Defensor, matrimonium hoc nullum et irritum ob metum reverentialem in Annam a parentibus incussum, idem est ac lucem in pleno meridie, nec non ipsa elementa utriusque iuris perperam denegare. Non minori autem evidentia, censet Defensor, ex actis constare matrimonium fuisse consummatum.

Quando enim constat virum coeundi potentia praeditum in uno eodemque cubiculo cum uxore etiam semel condormivisse, praesumptio iuris et de iure clamat matrimonii consummationem, hanc vero praesumptionem destrui non posse neque ipsorum coniugum , vel parentum, aut septimae manus assertione uno ore tradunt Doctores in Cap. *Super eo* de eo qui cognov. consang. uxor. suae. « Super eo quod postulas
» edoceri, utrum Coniugatus, qui ante contractum matrimo-
» nium uxoris suae consanguineae! carnali commixtione co-
» gnovit, cum id fateatur uterque et aliqua pars viciniae hoc
» acclamare dicatur, sit ab uxore sua iudicio Ecclesiae sepa-
» randus: Tuae Fraternitati respondemus, quod propter eorum
» confessionem tantum, vel rumorem viciniae separari non de-
» bent; cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimo-
» nium velint colludere, et ad confessionem incestus facile pro-
» silirent, si suo iudicio crederent per iudicium Ecclesiae con-
» currendum, rumor autem viciniae non adeo est iudicandus
» validus, quod nisi rationabiles et fide dignae probationes
> accedant, possent bene contractum matrimonium irritare. »
Unde si huiusmodi Coniugum confessio, argumentabatur defensor, et rumor viciniae seu septimae manus assertio irritare nequeunt matrimonium, quia ad confessionem incestus facile prosilirent, multo minus coniugum et septimae manus, de quibus agitur, confessio et assertio seu credulitas matrimonium hoc non consummatum edicere possunt, *nisi rationabiles et fide*

*dignae probationes* accedant; nam posita indubia viri potertia et condormitione per duos menses cum uxore in uno eodemque cubiculo, praesumptio iuris et de iure habetur quod matrimonium fuerit consummatum; quae praesumptio iuris et de iure destrui nequit, nisi praeter coniugum Xaverii et Annae confessionem, nec non septimae manus assertionem, praedictae *rationabiles et fide dignae probationes accedant.*

Atqui in themate, affirmavit Defensor, nullatenus huiusmodi rationabiles et fide dignae probationes accedunt: nam hae probationes desumendae omnino essent ex corporis inspectione, vel ex alio indubitato argumento. Cum autem instituta accurata corporis-Annae cognitione detectum sit hymen deesse, cum medici affirment, id evenire potuisse ex coitu vel raro, vel saltem semel habito, desunt fide dignae probationes, quae requiruntur ex cit. can. praeter iuramentum coniugum et septimae manus. Inspectio igitur corporis nullimode destruxit praesumptionem illam iuris et de iure , quod matrimonium fuerit consummatum.

Addendum, quod Xaverius conquestus sit utique de uxoris inhabilitate ad negotia, non autem de recusato debito coniugali; nam mater sponsi affirmavit quod die sequenti ad matrimonium: « Filius meus nihil de uxore dixit ; post paucos » dies, subiunxit, tentatis omnibus ut nurum ad sensum re- » vocarem absque effectu etc. Quoad recusationem debiti con- » iugalis nihil a filio meo audivi. » Mater Annae idem deposuit: *Intimiorem atque strictiorem recusati debiti coniugalis rationem Filia mea mihi numquam aperuit, neque ego ex ea umquam tale quaesivi.* Id vero incredibile videtur. Quin immo testis unus ipsius Francisci consanguineus affirmare non dubitavit: *Ex tota midieris agendi ratione, insuper ex verbis ab ore mariti auditis suspicari quidem sed non tuto persuadere mihi potui, matrimonium non esse consummatum* (1).

Qua de causa desunt omnino fide dignae probationes, ex quibus evidenter decernatur matrimonium consummatum non

(1) Si starent eiusmodi argomenta, defuisset etiam testimonium séptimas manus, praeter rationes fide dignas*

fuisse. Quibus omnibus consideratis , S. Congregatio Concilii in Comitiis diei 23 Ianuarii labentis anni ad sequentia dubia, quorum

**1.** *An constet de nullitate matrimonii in casui*

*Et quatenus negative.*

***2.*** *An consiUendum sit SSmo pro dispensatione matrimonii rati et non consummati in casu.*

Respondere censuit.

Ad 1. *Affirmative.*

Ad 2. *Provisum in 1.*

Verum cum Defensor matrimonii beneficium novae auditionis postulasset atque impetrasset, et interea nonnulla alia produxisset, quibus probare, seu melius confirmare conabatur matrimonium hoc nullimode fuisse metu et coactione contractum, iterum causa proposita est sub die 22 Maii, et ad praedicta dubia responsum fuit: *In decisis.*

EX **QUIBUS COLLIGE.**

1. Purum metum reverentialem per se matrimonium non dirimere; dirimere tamen si talibus adminiculis sit coniunctus ex quibus contrahentium libertas impetatur.

2. In foro tamen externo requiri probationes concludentes antequam matrimonium ex iudicio Ecclesiae dirimatur.

# INTERPRETATIONIS RESCRIPTI

***Lie 27 Februarii 1875.***

**Compend m m facti.** R. Canonicus Cathedralis Ecclesiae S. ad Sedem Episcopalem H. promotus anno 1872 sequentes Pontifici preces obtulit « *attese le sue ristrettissime finanze per i danni sofferti dalle disgraziate attualità dei tempi* .... *voglia degnarsi di accordargli la facoltà di poter proseguire a godere le rendite del canonicato del quale è investito nella Metropolitana di S.* » Et die 25 Februarii eiusdem anni rescriptum consecutus est « Sanctissimus attentis » peculiaribus circumstantiis, et speciali ex gratia in exemplum » nunquam afferenda, benigne annuit, ut Orator canonicalem » Praebendam, qua in Metropolitana S. fruitur, licite ac valide » ad beneplacitum Sanctitatis Suae retinere, ac omnes Canoni- » catus fructus percipere valeat, amissis tantum distributionibus » inter praesentes: Constitutionibus, sanctionibus, Literis Apo- » stolicis iam expeditis super provisione Ecclesiae H. et aliis » quibuscumque minime obstantibus. »

Quaestio exorta est de interpretatione verborum « *amissis tantum distributionibus inter praesentes* » siquidem Capitulum contendebat etiam quotidianas distributiones amplecti locutionem *amissis distributionibus inter praesentes,* ideoque illas in Pontificia concessione non contineri. Haec litis contestatio. Praestat ceu moris est, praecipua hinc inde argumenta referre.

## Disceptatio synoptica.

ARGUMENTA CAPITULI. Quibusdam praemissis de peculiari Capituli constitutione, statuebant Canonici principium iuris vetustissimum, quod habet: dispositiones iuri communi contrarias aut iura tertii quaesita laedentes, ampliandas non esse sed re-

stringendo s. In rescripto, de quo quaestio est, de quotidianis distributionibus verbum non fieri, sed tantummodo fructuum. Sub nomine autem generali fructuum distributiones quotidianas non contineri: ex Benedicto XIV *de Synod. Dioeces, lib. V Cap. 2 %. 5 ei* ex Ferraris verbo *Distributiones art. 1 n. 67 81 82.*

Huiusmodi argumentum convalidari ex eo quod Pontifex praeceperit distributiones infer praesentes amittendas ab Episcopo indultario. Has vero non coerceri tantum ad emolumenta funerum aliaque eventualia et incerta, sed omnes complecti eas distributiones quae inter praesentes locum habent. Quamobrem dato et non concesso veram distinctionem quandoque fieri inter distributiones quotidianas et distributiones inter praesentes (quam Capitulum nunquam vidisse asserit), hanc utpote genericam habendam esse, et qua talem inter species sibi subiectas etiam quotidianas distributiones comprehendere, quia distributiones inter absentes non dantur, et cuiuscumque sint speciei, semper respectu praesentium considerantur.

Nec quidquam facessere, prosequebantur, Pontificem Episcopo huic concessisse perceptionem omnium fructuum___amissis tantum distributionibus inter praesentes. Ex his namque duobus extremis legitimam consequentiam descendere, quod ipse nequeat ullam distributionem percipere: non distributiones inter praesentes, quia eas Pontifex expresse exclusit: non quotidianas, quia expresse in rescripto non fuerunt inclusae. Haec ex peculiari distributionum quotidianarum natura confirmabant, quia distributiones quotidianae in Capitulo S. non repraesentant partem fructuum in distributiones erogandam, sed proveniunt ex bonis dono datis Capitulo qua corpori, non singulis canonicis: et sub conditione expresse a donante imposita, ut de his perciperent illi tantum qui chorale servitium praestitissent. Pontificem vero de his mentionem non facere quia non novit, dum necessarium et quasi integrale fuisset, eum certiorem reddere. Multo minus aequiparari posse Episcopum hunc rescripto gaudentem, vel professoribus qui ob docendi obligationem choro absunt, vel clericis studiorum causa discedentibus. Idque duplici ex causa. Tum quia agitur de re odiosa

quae extensionem de casu ad casum non admittit: tum quia professoribus et clericis studiis incumbentibus, assistit iuris communis dispositio pro omnium fructuum perceptione: dum canonici ad Episcopatum evecti, ipso iure canonicalia beneficia amittunt *Cap. Cum in cunctis de elect. §. Cum vero.*

Deterius opponi redituum de quibus quaestio est distributionem non fieri respectu horarum, sed eos omnes ad participationem admitti qui mille horas expleverint: quamobrem quotidianas distributiones fructuum maiorum *(grossi)* speciem praebere. Nam (respondebat Capitulum) fructus maiores describuntur « *Distributiones quae non fiunt respectu horarum et dierum* sed in capita: quaeque annuatim dividuntur praeter minutam ratione servitii divisionem.»* Iamvero distributiones quotidianae in Capitulo S. non fiunt per capita, sed illis tantum conceduntur qui mille horis per annum choro interfuerint: et insuper non *praeter* minutam servitii divisionem quae residentiam tantum requirit, sed *iuxta* servitii divisionem quae et in choro interessent am imponit *Maschat, lib. 3 tit. 40 q. 20.*

Nec, prosequebantur, admittendum esse, novum Episcopum, vi indulti, tamquam in choro praesentem haberi: cum Pontifex in rescriptis quibus lucrandi quotidianas distributiones facultatem concedit aperte clausulam apponere soleat «*perinde ac si choro et divinis officiis personaliter interesset.* » Quapropter cum nihil in huiusmodi rescripto dictum fuerit, tenendum esse Pontificem hoc privilegium indultario concedere noluisse.

Falso demum supposito laborare quae ex adverso afferuntur de tenuitate praebendae ad libellas 98 cohibitae; dum e contra postremis hisce annis, antequam ad Episcopatum ascenderet, huius summae quadruplum Canonicus R. percepit titulo praebendae. Episcopum autem ex eo quod a Pontifice renuntiatus fuerit *Canonicus uti prius* ius amittere ad distributiones pereipiendas, nisi horis canonicis intersit. Nec absenti culpam tantum nocere: cum quaelibet absentia distributionum privationem secumferat et ius canonici cuiuslibet ad distributiones non sit quaesitum sed hypotheticum, hoc est servitio chori subordinatum.

ARGUMENTA EPISCOPI R. Eius patrocinator verba sumebat bullae nominationis ad Episcopatum H. ostendebatque in ea Pontificem dixisse « ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis » exigentiam decentius tenere valeas, de alicuius subventionis » auxilio providere ac specialem gratiam facere volentes, motu » proprio et ex mera liberalitate nostra ut tu Canonicatum et > Praebendam Metropolitanae Ecclesiae S. quos modo obtines » uti prius ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum re- » tinere illorumque fructus reditus et proventus percipere » libere ac licite valeas » et per haec verba explicandum esse rescriptum appositum precibus Canonici R. scilicet eo modo quo pontificalis dignitatis exigentiae ac decentiae melius provideatur.

Hoc in genere, in specie autem disserebat primo loco de natura redituum Capituli S. statuens in eo Capitulo reditus quatuor ex distinctis administrationibus confici, eosque omnes efformare massam distributionum quotidianarum. Etenim ad quotidianas distributiones pertinere reditus etiam cumuli, quos Canonici vellent inter fructus canonicales reponere; quia hos sicuti alios omnes amittunt, qui mille horis per annum in choro non steterint.

Nec valere quae aiebant Canonici, patrimonium ex praedictis administrationibus conflatum spectare ad totum Collegium non ad singulos Canonicos: sub hoc de cumulo dici nequire. Haberi namque pro cumulo paritatem cum aliis administrationibus. Praeterea absurdum esse canonicos simul sumptos ab integro capitulo secernere. Demum et in Bulla Alexandri VI et in haereditate C. dispositiones singulos canonicos respicere.

Huc usque de natura redituum: in rescriptis vero duo observanda esse tum mentem et finem rescribentis, tum etiam' rescripti verba in sensu grammaticali et iuridico. In casu mentem et finem erui ex verbis bullae quibus Pontifex aperte profitebatur se pontificalis dignitatis exigentiam prae oculis habuisse. Atqui demptis quotidianis distributionibus servatae praebendae superessent libellae 82, vel 340, si reditus cumuli praebendae accedant; dum e contra demptis tantum distribu-

tionibus inter praesentes, fructus annui ad minimum suum am attingeret^ libellarum 1300. Concludebat, ex mente et fine rescripti necessario etiam distributiones quotidianas Episcopo H. integras remansisse.

Insuper animadvertebat tamquam choro praesentem eum esse habendum cui Pontifex in Litteris eius favore expeditis dixit « ut tu Canonicatum et Praebendam Metropolitanae S. » quos modo obtines, uti prius retinere valeas. » Quibus verbis ab interessentia fuit dispensatus: quapropter omnes debet percipere fructus quos indultarii percipiunt. Id autem erui ex verbis rescripti « Canonicalem praebendam ac omnes Canonicales » fructus percipere valeat, amissis tantum distributionibus » inter praesentes. » Per verbum enim *tantum* unicam limitationem apposuisse Pontificem, scilicet quoad distributiones inter praesentes; quia *exclusio unius est inclusio alterius.*

Inutiliter opponere Capitulum indultario concessos fuisse fructus canonicatus, quorum sub nomine distributiones quotidianae venire nequeunt. « Maschat Vol. 3 pag. 20 Edit. » Florentinae anni 1854. Fructus sunt duplices. Annui seu » grossi, et simpliciter dicuntur fructus praebendae seu » praebendales: et distributiones quotidianae, seu praesen- » tiae, victuaiia, seu fructus canonicales, quae dantur propter » interessentiam in choro Reiffens. in lib. III Decret. Tit. IV » §. IV. N. 166. Distributiones quotidianae sunt illi fructus » canonicales, qui propter singulas praesentias in choro dantur » canonicis interessentes. » Immo distributiones quotidianas repraesentari etiam sub simplici nomine fructuum *Reiffenst. loc. cit. num 164.* Id vero optime applicari subiectae materiae, quia reditus canonicatus fere omnes quotidianis distributionibus coniiciuntur. « Fagnan. Lib. 3 Decret, de praebenda Cap. quia in » tantum N. 29. Ex recepta conclusione, quoties fructus omnes » Canonicatus consistant in distributionibus tantum, qui stu- » diorum vel alia de causa habentur pro residentibus sed non » pro interessentibus et ideo alias percipere deberent in absen- > tia fructus Praebendae amissis distributionibus, eo casu » lucrifaciant distributiones ipsas, perinde ac si divinis inter-

> essent. Textus etc... Huius autem determinationis duae sunt » rationes: altera est quam reddit Glossa in dicto capite quia > nisi privilegiati ad fructus percipiendos perciperent distribu- » tiones, cum ex canonicatu nulli alii reditus percipiantur, pri- » vilegium eis nihil prodesset contra textum in Cap. In his » de pri vii. Altera est ratio magis ex iuris canonici propriis » terminis desumpta, quia ubi omnes reditus canonicatus con- » stant distributionibus, tunc tales distributiones habent ratio- » nem praebendae. »

Et revera distributiones Capituli S. naturam induere eorum fructuum qui *grossi* appellantur ; siquidem quotidianae distributiones non partiuntur respectu horarum et dierum, sed inter eos qui servitium adimpleverunt mille horarum tantum: proindeque horae canonicae non habentur tamquam mensura, sed uti conditio retributionis. *S. C. in Cotronen. Residuorum 3 Martii 1855.* Canonicorum obiectionem de odiosa rescripti natura esse repellen dam, quia in themate agitur de re favorabili: cum indultum a Pontifice Summo Episcopo H. concessum fuerit per *specialem gratiam et motu proprio.* Iam vero tralatitium esse in utroque iure quod beneficium Principis quam plenissime sit interpretandum « L. ult. ff. de » Constit. Princi p. Beneficium Imperatoris quod a divina sci- » licet indulgentia proficiscitur quam plenissime interpretari » debemus Inn. III in Cap. Olim tit. de Verb. Signif. cum » beneficia principum sint interpretanda largissime (1) Reiff. > loc. cit. §. VII N. 210. >.

Demum differentiam inter distributiones quotidianas et distributiones inter praesentes indicare Auctorem Latini Elem. Iur. Can. lib. 1 p. 3 tit. 12 §. 7. Et de primis disserere ipsum quod « sunt certae quaedam specierum vel pecuniae praebitiones » quas tantum lucrantur qui statutis horis canonicis intersunt; » alteras vero describere « emolumenta quae percipiuntur occa-

**(1) Reiffenstuel loco citato haec habet a Generatila loquendo Canonicus ab- » sens ab Ecclesia sua ex privilegio Sum « mi Pu lineis potest percipere distribu- « tiones quotidianas. Privilegium enim » non residendi a Papa concessum, idem » operatur ac si Canonicus vere reside- » ret. Nam ad Romanum Pontificem per- » tinere plenariam Ecclesiarum , Di- » gnitatum , Personatuum , aliorumque *n* beneficiorum ecclesiasticorum disposi- » tione m »,**

» sioDe anni versatorum aliorumque piorum legatorum, quae-
» que dividenda sunt inler eos tantum, qui ad ea persolvenda
» conveniunt, nisi forte testator expresse disposuerit ut ea
» legitime absentibus tribuantur. S. C. C. in causa distribu-
» tionum et Proventuum die 20 Decembris 1873. » (1) Quapropter absurdum esse contendere cum Canonicis vel distinctionem nullam adesse inter duas distributionum species, vel Pontificem ignorasse naturam specialem quotidianarum distributionum quam ipsi effmgunt.

Ultimo loco arguebat Episcopus, etiam in hypothesi quod Pontifex quotidianas distributiones expresse excepisset, cum in casu loco. libellarum 1300 tantum 340 perciperet, intrare compertissimam iuris regulam quod ubi fructus omnes canonicatus in distributionibus consistunt, vel praebendae reditus tertiam distributionum partem non attingunt, duae ex tribus partibus distributionum, vel praebendae ac distributionum simul cumulatarum, fructuum naturam inducentes, etiam absenti tribuendae sunt. *Card. Petra ad Constit. 9 Boni/. VIII nam. 20 21.*

His aliisque deductis propositum fuit resolvendum

**Duhiam**

An et a quo die Episcopo H. in vim Pontificii rescripti diei 25 Februarii 1872 reditus Praebendae et Cumuli tantum debeantur, vel etiam distributiones quotidianae solvendae sint in casu.

RESOLUTIO

S. Congregatio causa cognita, **die** 22 **Maii 1875** respondit « Negative ad primam partem, affirmative **ad** secundam a **die**
» praesentationis Rescripti.»

Hoc rescriptum confirmatum est die 24 **Iulii 1875. Nam** nova audientia a Canonicis impetrata, **ipsis eadem** recinentibus, assuetae dubii formulae

An sit standum vel recedendum a **decisis in casu.**

S. Congregatio respondere censuit:

In decisis et amplius.

**(1) Vide Fasciculum III. Voluminis VIII. pag. 135 in quo eausa istaec fuit diligenter relata.**

Ex HÍS COLLIGES

I. Distributiones inter praesentes a distributionibus quotidianis omnimodo distingui; et has prae illis inter canonicales fructus recenseri.

II. Canonicalibus fructibus indultario concessis, et distributiones quotidianas concessas intelligi, quoties expresse non fuerint exceptae.

III. Rescriptum quo beneficium Pontifex impertitur, quam plenissime esse interpretandum.

IV. Fortius id procedere quando Pontifex motu proprio et per specialem gratiani agere profitetur.

# MISSAE PRO POPULO

***Die 24 Aprilis 1875.***

Episcopus T. uteris datis ad S. C. Congregationem exposuit: « Dubium exortum esse de applicatione Missae a Parochis » faciendae in iis Festis, quae in Germania quidem suppressa, » in choro autem celebranda sunt. Cum enim SS. D. N. Pius » PP. IX prer epistolam Encyclicam de die 3 Maii 1858 con- » cesserit, ut quando una cum solemnitate divinum officium » translatum fuerit in diem Dominicam, una tantum Missa » pro Populo sit applicanda, quaeritur an idem indultum va- » leat et pro his casibus, in quibus propter occurrentem Fe- » stivitatem majoris dignitatis festum aliquod suppressum, » v. gr. Inventionis S. Crucis occurrente festo Tunicae, Cla- » vorum et Lanceae Domini, ad aliam diem ferialem transferri » oportet. Cum in his temporum angustiis absque gravissima » causa onera Parochis imposita amplianda non videntur, mihi » quidem in desideratis est, ut S. C. Concilii declarare digne » tur, in dicto casu applicationem pro parochianis non esse » faciendam. »

Cum vero S. C. Congregatio ad tollendum omne dubium quaesiisset, « an dies ferialis, in quam transfertur festum sup- » pressura, ferialis remaneat, aut veluti festum publice ser- » vetur, vel saltem in Ecclesia peragantur caeterae functio- » nes et ritus in diebus tum festis adhuc de praecepto servatis » tum suppressis peragi solitis » ; Episcopus respondit : « in » feria ista, in quam casu praefato festum suppressum trans- » fertur, nullas functiones et ritus peragi in diebus de prae- » cepto servandis solitas; sed Missam solummodo de festo trans- » lato celebrari officiumque divinum aut privatum a Clero aut » in Ecclesiis collegiatis, in Choro absque solemnitate festi » absolvi solere. »

Hoc accepto responso rescriptum fuit *per summaria precum.* Hodie proponitur.

Ut status hujus quaestionis clarius elucescat operae pretium est aliquid excribere ex Literis Apostolicis Pii VI diei 19 Aprilis 1788 inc. *Potentissimus* datis ad Episcopum Wratislaviensem pro altera reductione Festorum in Regno Borussiae: legitur itaque in ipsis « Cum Borussiae Rex significaverit » Nobis, se vehementer cupere, ut designetur dies pro solemni- » bus quotannis ad Deum faciendis precibus ad obtinendos ube- » res ex agris proventus, qui dies voluit feria quarta tertiae » hebdomadae post Pascha sit festi vus: huic Regiae voluntati » nihil videmus obstare, quominus Nostram apud Te, Vene- » rabilis Frater, interponamus auctoritatem. Itaque Tibi com- » mittimus, ut eum assignes pro solemnibus ejusmodi precibus » quolibet anno celebrandis diem, Tuisque Dioecesanis Borus- » siae Regi subiectis indices. »

Episcopus T. pro sua reverentia erga S Sedem hoc festum in foro suis Dioecesanis continuo indixit exhortans eos, ut quovis anno illud religiose agerent. Quum vero ipsum non lateret, novum festum ultro ab omnibus observatum iri, si in ipso die festivo celebraretur Festivitas, quae apud eos est in magna veneratione et honore, prudenti consilio decrevit, singulis annis in Feria quarta tertiae hebdomadae post Pascha celebrandam esse Commemorationem SS. Tunicae D. N. J. C, quae in ejusdem Cathedrali Ecclesia in magnam populi aedificationem asservatur.

Hoc itaque festum in foro causa esse videtur hodiernae quaestionis, quippe anno 1871 occurrebat in die 3 Maii, hinc Festum Inventionis S. Crucis D. N. J. C in diem 11 ejusdem mensis translatum est insimul cum onere celebrandi Missam pro Populo juxta Directorium Romano-Trevírense illius anni , in quo statuitur : *11 Maii Fer. 5 ( fiat applicat, pro Paroch.) Inventio S. Crucis dupl. 2 cl. (fuit 3 huj.)* Sed haec dispositio non arrisit Parochis; quare Episcopus de hac re S. Congregationem consulere voluit non dissimulans sibi esse in votis applicationem Missae non esse

faciendam, ne in hisce temporum angustiis onera Parochis imposita amplientur.

Quibus expositis nonnulla ex officio in medium prolata sunt.

Ex divino praecepto omnes, quibus cura animarum incumbit, diebus dominicis ac festivis etiam abrogatis pro Parochianis vivis atque defunctis sacrificium Missae offerre et applicare debent, sive pinguis sive tenuis sit congrua; non enim ratione congruae, sed ratione pastoralis officii pro suis ovibus sacrificium offerre tenentur. Si igitur ob occurrentiam festi mobilis majoris ritus vel dignitatis festum fixum in aliam diem transferatur, aequum et justum est, ut in die festi translati pro populo Missa offeratur, ne fideles priventur fructu medio sacrificii sibi debiti. Et revera haec laudabilis consuetudo viget Treviris, ut supra jani vidimus.

Nihilominus si festum in foro alicui diei affixum ab alio Festo majoris ritus aut dignitatis impediatur, tunc si ejusdem Festivitas in ipsa die propria celebretur et solum Officium et Missa ad aliam diem transferantur, sequitur, quod in ipsa Festivitate Missa pro Populo celebranda sit, etsi in eodem die ob praedictum Festum majoris ritus aut dignitatis etiam alia Missa pro Populo lifanda foret, quia duplici praecepto ut recte observat Scavini *Theol. mor. t. 1 tr. 2 disp. unie. c. 7 q. 4* « satisfieri potest per unum actum, si illo unico actu » totum ponatur, ut in casu nostro, quod per diversas leges » praescribitur. Sic v. g. si Festum aliquod occurrat in Do- » minica, satis est semel sacro adesse. » Et revera Pius IX in sua Epistola Encyclica *Amantissimi Redemptoris §. Itaque diei 3 Maii 1858* hanc doctrinam ratam habere videtur, aiens: « Quando una cum solemnitate divinum officium translatum » fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro Populo » est a Parochis applicanda. > Et merito: quando enim una cum festivitate transferuntur officium et Missa, tunc applicatio Missae pro populo fit in die translationis, idest in die, ad quem transfertur. At quando transferuntur tantummodo officium et Missa, tunc applicatio Missae pro populo fit in ipso die festo

impedito, etsi in ipso occurrat alter dies de praecepto, quia unico actu duplici praescripto fit satis uti jam innuimus. Huic principio concinit S. R. C. in *una Oritana diei 23 Maii 1846,* ubi casus agitur aliquo modo casui nostro consimilis. Statuit enim « Clerum ad iteratam chori assistentiam ex solo titulo » translationis Festorum nullatenus teneri, ac proinde rescri- > psit: *in die propria tantum.* »

Hisce breviter expositis quaesitum est quonam responso eiusmodi quaestio dimittenda esset.

S. C. Concilii, causa cognita, sub die 24 Aprilis respondere censuit.

*In casu de quo agitur Parochum non teneri, idque notificetur Episcopo.*

Ex **QUIBUS COLLIGES**

**I.** Ratione divini praecepti et pastoralis officii, haud vero ratione congruae sive pinguis sive tenuis omnes animarum pastores teneri missam offerre et applicare pro populo diebus dominicis et festis etiam abrogatis.

II. Si festum alicui diei affixum ab alio impediatur festo maioris ritus aut dignitatis, Parochum teneri ad Missae applicationem pro populo *in die* ad quem transferantur *festivitas, officium et Missa;* teneri autem ad eiusmodi applicationem in *ipso die festo impedito si officium et Missa* tantum transferantur, non vero festivitas.

III. Neque obstare alterum occurrere diem de praecepto cum ipso die festo ex quo alia litanda esset Missa; quum ex DD. unico actu satisfieri possit duplici praecepto; dummodo per huiusmodi actum totum ponatur quod per diversas leges praescribitur.

# OFFICII FUNEBRI»

*Die 22 Maii 1875.*

**Compendium facti.** A tempore cuius memoria haud amplius extat iu oppido F. Templum erectum fuit, pluribus opibus a fidelium petate auctum, dicatumque B. M. V. Lauretanae. Isti Ecclesiae verum, temporibus nobis proximioribus, Oratorium sub invocatione Deiparae in Coelum Assumptae, et hospitale pro eiusdem oppidi infirmis pauperibus contigua extructa fuere. In Lauretana Ecclesia (quae infra limites paroeciae S. Sebastiani erigitur) Sodalitium est fidelium ut creditur canonice existens. Multis ab hinc annis iurgia et lites agitata fuerunt inter Parochum S. Sebastiani dictumque Sodalitium super iuribus nonnullis. Quae cum Ordinarius haud finem pertingere conspiceret, reputans animo illis terminum imponi posse, ad simultates et scandala tollenda, decretum in S. Visitationis tempore edidit: ast effectum, qui Episcopo cordi erat, haud obtinuit. Verum ad S. C. Congregationem, instante Sodalitio, res delata fuit die 5 Decembris 1863, sub dubii formula « *An sententia* (Curiae Episcopalis) *die 28 Aprilis 1862 sit infirmanda vel confirmanda in casu.* Et tunc rescriptum prodiit « i lata et coadiuventur utrimque probationes, et afferantur do-
» cimenta, et acta SS. Visitationum ad rem facientia, et con-
> innentur dubia particularia super singulis quaestioni-
> bus. »

Eo quo S. Congregatio innuit modo, sic obtemperatum fuit, et proposita peculiaria fuere dubia: « I. An et quomodo
> Sodalitio ius competat deferendi Crucem sine velo in
> casu II. An et quae exemptio eidem Sodalitio competat in
> funeribus a parocho in casu III. An et quae exemptio ei-
> dem Sodalitio competat in processionibus a Parocho IV. An

» ei quae eidem Sodalitio competat exemptio quoad verbi Dei » praedicationem in casu **V.** An et quas functiones peragere » possit Sodalitium independenter a parocho in casu. » Ea quae subnectuntur apposita dedit responsa S. C. Congregatio sub die 25 Iunii 1864: « Ad 1. Affirmative. Ad IL Affirmative » pro defunctis in Hospitali, in reliquis servetur responsum » N. 20 Decis. Urb. et Orb. SS. RR. Congregationis diei 10 » Decembris 1703. Ad **III.** Affirmative quoad consuetas pro- » cessiones etiam circa ambitum externum Ecclesiae et pro- » ximam plateam; in reliquis negative nisi adsit licentia Epi- » scopi. Ad IV. Servetur idem decretum in responso ad » dubium XVIII. Ad V. Affirmative in omnibus quoad fun- » ctiones non parochiales ad formam p raed. Dec. in Respon- » so **III.** et IV. »

Parochus et Sodales eiusmodi cognito decreto acquieverunt: ast decennio transacto, Sodales ipsi iterum S. C. Congregationem adiverunt postulantes, supplici libello, causam instaurari super dubio secundo; eo quod Parochus diverse omnino ac Sodalitium interpretetur responsum secundo dubio datum, ob defectum in Sodalitii defensionem admissum. Nam dum ageret de Sodalitii iure circa secundum dubium, egit tantum de parochiali exemptione pro mortuorum in suo hospitali funeribus, verum ne verbum quidem fecit de funeribus praedicti Sodalitii fratrum. Ex conventione enim, aiebant, et ex consuetudine immemorabili, eiusmodi Sodalitium exemptionis privilegio praeditum fuit. Quoniam vero praefatum decretum anni 1703 habet pacta conventa, consuetudinesque immemorabiles, aut saltem centenarias ut titulum canonicum aptum conservandis possessoribus in propriis iuribus; proindeque sodalitium numquam passum esse, ut Parochus, eo quo interpretabatur modo exequeretur secundi dubii responsum semperque paratum fuisse ad S. C. C. recursum iterum habere.

Cum libellus S. C. C. oblatus fuisset, rescriptum fuit *« Epi scopo pro informatione et voto. »* Ordinarius, uti decuit, respondit decretumque illico prodiit « *Ponatur in folio.* »

## Disceptatio synoptica.

### EA QUAE PAVORE PAROCHI PROSTANT

Partes contendentes per Oratores electos dubia in calce excripta concinnarunt. Quapropter Orator Parochi contendens paucis se expedire, relate ad primam dubii formulam « *An obstet exceptio rei iudicatae in casu* » ostendere conatus est propositam fuisse eamdem quaestionem, quae iudicio anni 1864 definita fuit. Placuit enim in illa occasiones. O. C. respondere ^Sodalitio competere exemptionem a Parocho « *pro defunctis in hospitali. In reliquis servetur responsum n. 20 decr. Urbis et Orbis S. Rituum Congregationis diei 10 Decembris 1703* » quod decretum constituit funebre officium « *super cadaveribus sepeliendis in Ecclesiis ei Oratoriis Confraternitatum* » ad parochum pertinere « *quando tumutandus est subditus parocho, intra cuius f nes est Ecclesia vel Oratorium.* » Eamdem proponere Sodalitium, autumavit, quaestionem mutata tantum rogandi formula « *An ad Parochum S. Sebastiani spectet officium funebre super cadaveribus confratrum, dicto Parocho subditorum in Ecclesia S. Mariae Lauretanae et in publico Oratorio B. M. in coelum Assumptae.* »

Atqui, aiebat Orator, rescriptum anni 1864, abiisse in rem iudicatam post elapsum a iudicio decennium, nemine provocante, nullum adesse dubium. Quamvis haud diffiteretur defensor, quandoque legitime insurgere licuisse etiam contra rem iudicatam; verum non temere, neque sine causa, sed alterutro dumtaxat in casu, vel si *violata lex* fuerit, vel *nova et gravia monumenta* demonstrent iudicantes deceptos fuisse in factorum adiunctis.

Nil horum adfuisse, ut restitutio in integrum posci posset demonstravit, describens causarum summam quibus sodalitium postulavit beneficium extraordinarium praedictum quaeque fuere; *quia* anno 1864 actum non fuit de conventione,

*per Tabellionem stipulata; quia* actum non fuit de consuetudine; *quia* si haec fuissent exposita, Sacer Ordo secus iudicavisset.

Verum penitus commentitium in primis fuisse, ait, anno 1864 actum non fuisse de conventione: dum Sodalitii Orator acriter institerit ut dubium disputaretur « *An sit servanda transactio inita anno 1713 inter sodales et Parochum S. Sebastiani* » et in sua oratione arcem totius causae posuerit super eiusmodi transactione.

Commentitium pariter clamavit Orator, vel tunc disputatum non fuisse de *consuetudine* sive de decreto Urbis et orbis, a quo praecipitur legitimas consuetudines servandas esse. Quin imo Sodalitii Oratorem totis egisse viribus de consuetudine eiusmodi ex illius defensionis synopsi patuisse, « ibi »
» Tandem animadvertit Orator huiusmodi transactionem omni-
» no legitimam, per spatium centum quadraginta annorum
» fideliter observatam fuisse, adeo ut quoties contigerit circa
» superius allata iura controversia inter partes, secundum
» eamdem transactionem dirempta fuerit. »

Quod autem consuetudines a decreto Urbis et Orbis praeservata omissae non fuerint eadem synopsis demonstrat « ibi »
« Praesertim cum ea omnia quae in transactione firmata
> sunt, iam Confraternitati competerent sive ex iure com-
» muni, sive ex immemorabili consuetudine, sive ex privilegiis
> Pontificum. Atqui S. Rituum Congregatio in decretis Urbis
» et Orbis 12 Ianuarii anno 1703 praeter ibidem resoluta
> dubia expresse favore confraternitatum reservavit, quae
» consuetudine, pactis et conventionibus firmata essent. »

Adesse aliud praeterea gravissimum subiunxit defensor; non modo enim et consuetudinem et transactionem anno 1864 sodalitium uberrime allegaverat, sed etiam petiit et accepto habuit rescriptum quod S. Congregatio edidit, scilicet a parochi iurisdictione excipi dumtaxat funera decedentium in nosocomio. Ita in eadem synopsi « *Ad alterum procedens dubium* ^Sodalitii defensor) *quod de ducendis funeribus est, consuetudini et transactioni innixus, in qua habetur etc.*

*funera solummodo quae respiciunt decidentes in nosocomio ad sodalitium spectare contendit.* » Quapropter alienissima a veritate esse contendit ea quae a Sodalitio obiciuntur, quatenus vel non de omnibus anno 1864 iudicatum fuerit, vel non de omnibus a Sodalitio disputatum. Hoc enim a disputatione non abstinuit quia praetermitteret aut ignoraret, sed quia praeter unum ius quoad decidentes in Nosocomio, caetera omnia sustineri non posse agnovit. Proindeque concludit nullam esse restitutionis in integrum concedendae causam, praesertim cum hodie magis etiam quam antea non deceat his litibus ansam praebere, in quibus agitur de ecclesiastica potestate a~ laicis invadenda.

De altera dubii formula fassus est defensor in quaestionibus de consuetudine, de transactione, de privilegiis Pontificum, de Synodo dioecesana centies iactatis, et funditus expensis, ut patet ex pluries citata synopsi; se perspectum non habere quae et qualia argumenta a Sodalitio rursus in discrimen revocentur. Attamen orator protestatus est parochum concordiae studio nonnullas anni 1864 definitiones toleravisse: quod si res iudicata, et partium conventio rescinderentur, institit ne ad imparia iudicetur, ac sibi vicissim licere petivit neglecta imprudenter iura contra Sodalitium vindicare.

## EA QUAE SODALITII PAVORE PROSTANT.

Sodalitii orator in primis, relate ad **1.** dubium ex textu in *legibus 12, 13 et 14 Dig. de excepi, rei iudic,* recensuit extrema quae requirantur ut reiiudicatae exceptio opponi valeat, atque in themate tum *rei petitae,* tum *rationis petendi* itentitatem desiderari demonstravit» Sustinuit inde, quod modo non *eadem res* petatur, quia anno 1864 apud S. O. C. disceptatum fuit de funeribus ducendis decedentium in nosocomio, dum praesens quaestio officium funebre respiciat solummodo confratrum, quod in Sodalitii Ecclesia perficiatur. Quod vero spectat *petendi rationem* monuit, ex ipso folio pro congregatione diei 25 Iunii 1864 exhibito erui

tunc Sodalitium ius funera ducendi in nosocomio decedentium ex consuetudine et transactione anni 1713 sibi tribuisse, nunc vero exemptionem a parocho in funeribus confratrum officii in Ecclesia S. Mariae Lauretanae peragendis sibi competere asseruit, non tam ex consuetudine et transactione, quam ex SS. Pontificum privilegiis, et ex lege politiae ecclesiasticae in Regno N. obtinenti. Ex quibus deduxit, reiiudicatae exceptionem haud ullo esse impedimento, quominus de recenti Sodalitii petitione disquirendum sit.

Gradum ad *secundum dubium* faciens plura recensuit SS. Pontificum indulta privilegia, e quibus arguit, posse Sodalitium confratrum funera in propria ecclesia independenter a parocho absolvere. Quod ius sategit immemorabili consuetudine confirmare; tum iugi atque constanti observantia, quae viguit ad annum usque 1869, tum transactione inter Sodalitii moderatores et S. Sebastiani parochum adstipulata sub die 9 Iulii 1713. Quae transactio religiose servari debere contendit nedum quia per publicum instrumentum et Episcopo nedum adnuente sed etiam suadente stipulata fuit, sed praecipue quia ut p¿ix, concordia et christiana charitas redintegraretur ad eam partes devenerunt; quo casu non pauca, quae aliter non sustinerentur solent admitti uti post Textum *in Cap. 1 art. 23 quaest. 4* docent *Valeren, de transad, num. 24 Alciat.* in Lege transactio Cod. de Verb. signif. Rota in Romana Legitimae 8 Iunii 1759 §. 6 coram Conillac; in Firmana exequutionis concordiae 25 Iunii 1760 coram Rinaldo et Emo Pacca relatore in causa Montis Alti Transactionis 20 Februarii 1808 §. *Quid.* Et postquam monuerit transactionem ex iure tum romano, tum pontificio litis finitae exceptionem induere, praesertim si effectum habuerit, et subsequuta observantia illi accesserit, observavit transactioni diei 9 Iulii 1713 ex A. C. monitorio, SS. Rituum Congregationis attenta resolutione, et Clementis VIII decreto emisso novum robur superadiectum fuisse; et conclusit quod licet memorata transactio non undique valida foret, Apostolico[5] beneplacito confirmari tamen mereretur, ne odia, animorum simultates et

rancores rursus exoriri contingeret, et ne lites et dissidia iam sopita iterum excitentur, ad ea quae in supracitata *Montis Alti Transactionis* 20 Februarii 1808 §. *Quid,* opportune disseruntur.

Animadvertit praeterea Orator, in genere laicalia sodalitia ad ius publicum ecclesiasticum indirecte tantum pertinere, et relationes cuiusque Sodalitii cum aliis vel cum ecclesiastica auctoritate moderandas esse a moribus atque consuetudinibus loci, ubi memorata sodalitia existunt. Quod vero Sodalitates laicales spectat in Regno S. institutas, monuit, ex iis quae statuta fuerunt in concordato inter S. Sedem et civilem illius regni auctoritatem inito, externas relationes inter praedictas Sodalitates et Parochos Ecclesiastica et regia auctoritate una simul interveniente praefinitas fuisse. Hinc variis temporibus Regia prodiisse rescripta, quibus amplissima data fuit morien-» tibus, atque eorum heredibus potestas quot et quos vellent presbyteros et regulares ad cadaver deferendum vocare, salvo tamen parocho iure cadaver benedicendi in ipsa defuncti domo, atque illud usque ad Ecclesiam tumulantem prosequi, quin tamen ius ullum super funebri officio quod in Ecclesia Sodalitatis locum habeat sibi posset tribuere. Cautum idcirco fuisse asseruit, quod singula Sodalitia habere debeant capellanum Ecclesiasticum, a quo independenter a Parocho in eorum Ecclesiis et Oratoriis religiosae functiones perficiantur. Ex quibus ortam esse consuetudinem nullum ius ad parochum pertinere super funeribus, quae in Confraternitatum Ecclesiis fiunt, prout in facto in Dioecesi S. complures fide digni obtinere autumant.

Ex quibus omnibus Sodalitii Oratorem arguere posse contendit, ius nullum parocho competere posse super confratrum funeribus in Sodalitii Ecclesia perficiendis, etiamsi per hypothesim fingeretur controversiam de qua res est, definiri debere ad tramites S. C. C. resolutionis diei 25 Iunii 1864, qua constitutum vidimus, exceptis defunctis in hospitali, in reliquis servandum esse responsum num. XX. Decr. Urbis et Orbis SS. Rituum Congregationis diei 10 Decembris 1703. Quia licet eo responso cautum sit, in genere ad parochum spectare

officium funebre super cadaveribus in Sodalitatum Ecclesiis tumulandis, si defunctus parocho subditus sit, intra cuius fines Ecclesia reperitur, attamen cum eidem decreto additum sit *« ita tamen salvis conventionibus et pactis in erectione Confraternitatum forsitan factis, concordiis inter partes initis, et a S. Sede approbatis, indultis constitutionibus Synodalibus et provincialibus, et consuetudinibus immemorabilibus, vel saltem centenariis declaravit et decrevit:* » indubium esse affirmavit, nil praesidii ex huiusmodi responso sibi parochum posse comparare,dum in propatulo sit ex indultis plurium Pontificum, ex conventione anni 171*3, ex consuetudine immemorabili, ex supra relatis decretis in vim concordati a Regia potestate editis, nullum sibi posse eumdem parochum ius tribuere super funebri confratrum officio, quod in S. Mariae Lauretanae Ecclesia vel in finitimo Oratorio a Sodalitio expleatur.

Hisce utrimque notatis sequentia enodanda proponebantur

**Dubia**

**I.** *An obstet exceptio reiiudicatae in casu.*

*Et quatenus negative.*

II. *An ad parochum S. Sebastiani spectet officium funebre super cadaveribus confratrum dicto parocho subditorum in Ecclesia S. Mariae Lauretanae, et in publico Oratorio B. Mariae Virginis in coelum Assumptae in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio die ***22*** Maii 1875. causa cognita, respondere censuit.

Ad I. *Affirmative et amplius*

Ad IL *Provisum in primo.*

Ex QUIBUS COLLIGES:

I. Neminem appellare posse a definitiva sententia lata nisi infra tempus a iure constitutum; nempe antequam definitiva sententia transeat in rem iudicatam; dum ex regula iuris *res iudicata pro veritate accipitur.*

IL Sententiam definitivam tunc regulariter ex iure transire in rem iudicatam, si infra decem dies a sua prolatione

non appelletur ab ipsa, adeo un postea retractari non possit, et contradicere volens amplius non audiatur (1).

III. Sententiam definitivam transire in rem iudicatam etiamsi debito tempore appellatum sit ab ea ; postea tamen appellatio deserta fuerit (2).

IV. Licere aliquando legitime insurgere contra rem iudicatam; haud temere tamen, nec sine causa ; sed alterutro dumtaxat in casu; vel si *violata lex* fuerit, *vel nova et gravia monumenta* demonstrent iudicantes deceptos fuisse in factorum adiunctis.

Ad Rvmos Ordinarios Nanneten, et Paderbonen. EE. PP. Cardinalium S. Congr. Concilii Litterae, ex quibus pars illa excerpitur quae philosophiae et Theologiae studium respicit.

*Ex Epistola ad Ordinarium Nanneten die 27 Februarii 1875.*

____Libentissime etiam audirent Emi Patres, in philosophicis ac Theologicis disciplinis tradendis S. Thomae vestigiis istic insisti. Doctrina enim huius Sanctissimi, ac praestantissimi magistri non solum sana, aptissima in primis est ingeniis acuendis, atque erroribus detegendis et convellendis. Nec timendum, quin quousque clerus ei adhaereat, catholicorum liberalium, uti vocant, placita (quibus nulla deterior pestis) (3) sectetur;

(1) **Expresse habetur in** ***cap. Quod ad consultationem 15 de sententia et re iudicata*** **« ibi »** ***Cum post decem dierum spatium sententia in auctoritatem rei transeat iudicatae, qui ad provocationis subsidium infra id temporis non recurrit, appellandi sibi aditum, denegavit, eum per hoc videatur per interpretationem Iuris latae sententiae paruisse.***

**(2) Pariter expresse habetur in** ***Authen. Ei, qui appellat Cod. de temporibus et reparationibus appellationum*** **u ibi »** ***Hi, qui appellat, impertitur annus, intra quem secundum se communiterve dUÌÌZ*** **u** ***dversario litem txequatur, aut si insta causa interposuerit, alius annus indulgeatur, quo transacto, lite non completa, rata manet Sententia,*** **ac si non fuisset appellatum, subiungit Glossa** ***ib. vers. Manet.***

**(3) Si cui phrasis istaec parum arrideat quod nimis dura, meminisse dignetur , adprecamur , pestis proprium esse corpora, quibus per infortnnium adhaereat, inficere. Neque in rerum natura deteriorem, magisque perniciosam inveniri pestem, quam quae praecaveri nequeat; quippe quae horrífico morbi exuta aspectu, Ienem induerit formam. Huic persimilem sese exhibere catholicum liberalem, nemini ambigere fas est. Fraus eiusque nequitia horroris exp«r-**

populus vero a tali clero excultus avitam fidem et morum integritatem perpetuo servet.

*Ex Epistola ad Ordinarium Paderbonen. diei 4 Iunii 1870.*

Nolunt vero Emi Patres sine laude abire curas, quas in novo clero efformando adhibere soles; qua quidem in re eadem certe doctrinae sanctitate, ac soliditate, eademque erga Apostolicam Petri Cathedram observantia, qua ipse, *Amplissime Domine,* maxime praestas, imbuendum illum atque ornandum curabis, propositis eidem ad penitiorem philosophiam ac theologiam hauriendam immortalibus Divi Thomae libris, quibus recta ad altissimam speculationem, qua tantopere Germanica Gens delectatur, via et ratio panditur.

Sacra C. Concilii quoties in suis responsionibus ad Relationes Episcoporum super statu Dioecesium de studiis seminariorum agere contingat, hoc iam a non paucis annis solemne habet ut in philosophicis ac theologicis disciplinis tradendis S. Thomae placita ex quibus sacrarum et humanarum scientiarum instauratio pendet, sequenda Episcopis proponat, gra*» vissimisque verbis inculcet. Speciminis gratia afferre vobis datum est quae Episcopo Nanneten, die 27 Februarii 1875. quaeque Episcopo Paderbonen. die 4 Iunii 1870 rescripta circa hoc caput fuerunt.

tes sunt, dum specie recti vestiantur; malae cogitationes eiusque omni aneto- ritati divinae humanaeque rebellio *pro- grams* indumentis cooperantur; latro- cinia ipsa et *despoliationes* nominibus appellantur novis, omnique turpitudine

destitntis. Sub eiusmodi specie, et his comitatus illecebris hodiernus libera- lismus animos inopiuatos occupat, atque decipiendo corrumpit j fitque errorum omnium pessimus,

# EX S. CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM
ET REGULARIUM

## EMOLUMENTORUM FUNERALIUM

***Die 28 Maii 1875.***

**Compendium facti.** Minores Conventuales civitatis C. iam instantes ut consequerentur medietatem emolumentorum funeralium adversus Canonicos Ecclesiae Collegiatae, in generali conventu S. C. Ep. et Regni, diei 27 Iulii 1860 proposito dubio « *An **et** quomodo sustineatur consuetudo favore Conventualium C. ita ut ipsi percipiant medietatem emolumentorum funeralium in casu* » responsum obtinuerunt *Affirmative.*

His in genere constitutis, quaestio exorta est de emolumentis in specie, quae illius loci propria omnino dici potest. Siquidem ex consuetudine, cuius initium ignoratur, tres funerum celebrationes in civitate C. enumerantur, solemnis, duplex, et simplex. Et *prima* quidem cum cantu in officio et Missa, *secunda* cum cantu in Missa et uno Officii Nocturno, *tertia* cum cantu in Missa tantum. Cuique celebrationi certa respondet ac praestituta emolumentorum quantitas.

Sed in constitutionibus recenter approbatis, Confraternitatis SSmi Sacramenti eo loci paucis abhinc annis restitutae, dictum est: Sodalitium confratribus praestare funus tertiae classis: Sacerdotes vero confraternitati adscriptos, Officium defunctorum ante Missam recitare, et quidem primum nocturnum cum cantu: liberum tamen esse defuncti confratris parentibus duplex vel etiam solemne funus praecipere. Inde praesentis quaestionis origo. Etenim in duobus confratrum funeribus, omnium emolumentorum, non cerae tantum, medietatem petebant Conventuales: eamque proportionalem funeribus secundae classis, quod Capitulum acriter contendebat.

EA QUAE PP. CONVENTUALES SUI FAVORE ADSEREBANT. Tam-

quam factum non controvertendum ponebant, sibi ius esse ad percipiendam medietatem emolumentorum sive in cera sive in pecunia numerata: et toti in eo erant ut ostenderent, funera confratribus celebrata duplicia revera fuisse: cum locum in illis habuerit cantus unius Nocturni et Missae, qui proprius est funerum secundae classis. Idque exurgere in facto ex emolumentis a Capitulo perceptis, excedentibus quantitatem cerae et pecuniae numeratae quam Capitulum habuisset si secundae classis funera celebrata fuissent. Immo instabant ut ex confraternitatis constitutionibus illae delerentur, quae in sui praeiudicium funus pro confratribus indicunt nomine simplex, specie tenus duplex, et quandoque etiam solemne.

EA QUAE CAPITULUM RESPONDEBAT. Negabat primo loco Confraternitatis statuta ad eum finem condita fuisse ut PP. Conventuales emolumentorum partem amitterent. Sodalitium funus tertiae classis confratribus promittens curavisse, ut praesertim pauperes ad adscriptionem postulandam allicerentur. Liberum sed esse pro confratrum familiis residuum supplere, et funera indicere duplicia vel etiam solemnia, quod viam quoque aperit ad huiusmodi funerum celebrationes promovendas.

Ostendebat in facto, funera in constitutionibus promissa tertiam classem non superare: cum Officii recitatio et Primi Nocturni cantus sit speciale suffragium quod Sacerdotes sodalitio adscripti confratribus sponte praestant. Nec quempiam prohibere posse ut aliquis pietate motus solemniora suffragia confratri celebret. Multo minus ex lege ulla vel Ecclesiastica vel civili cerae quantitatem pro unaquaque classe fuisse praestitutam: perceptorum vero cerae emolumentorum medietatem PP. Conventualibus religiose semper traditam fuisse, et hoc esse unicum emolumentum Patribus illis debitum ex conventionibus peculiaribus biscentum abhinc annis conditis inter Capitulum et Patres, et constanter servatis.

His acceptis Sacra Congregatio rogandi formulam reformans a defensore minorum Conventualium propositam, concinnavit

**llubium**

*An funeralia quae Confratribus celebrantur expensis Confraternitatis habenda sint tertiae classis ad effectum*

*perceptionis medie tatù cerae Patribus Conventualibus de* bitae in casu.*

RESOLUTIO

Sacra Congregatio die 1. Maii 1874 causa cognita responsum dedit *Affirmative.*

CAUSAE PROSEQUUTIO. PP. Conventuales petito revisionis beneficio animadvertebant: ex vetustissima consuetudine in loco C. vigente, funerum celebrationem nullam adhiberi posse, quae tres praestitutas classes modificet. In facto confratrum funera specie tenus secundae classi esse adscribenda, quamquam tertiam haud excedere dicantur. Et factum verbis esse praeferendum ex notissima *leg. 4 Cod. plus valere quod agitur.* Iamvero ex *Cap. 8 de reg. iur. in 6 quod is committit in legem, qui verba legis complectens contra legis nititur voluntatem:* ideoque statuta Confraternitatis esse corrigenda iuxta legem C. vigentem.

Contendebant insuper Capitulum taxam solita tertiae classis maiorem pro funeribus confratrum percipere, nec Officii cantum Sacerdotum confratrum pietatem largiri, cum Sacerdotes isti omnes Capitulo sint addicti: ac ita verificetur in facto, quod non Sacerdotes quia tales, sed Capitulum revera funera absolvat. Proposito itaque

**Dubio**

*An et quomodo recedendum sit a resolutione diei i Maii 1874 in casu.*

RESOLUTIO

**S.** Congregatio omnibus prae oculis habitis respondere censuit die 28 Maii 1875.

*In decisis et amplius.*

Ex HIS COLLIGERE POTERIS

**I.** Conventiones consuetudine firmatas esse manutenendas, et iuxta consuetudinem, quae praebet conventionis interpretationem hinc inde accepto habitam.

**II. In facto cum ex vetusta conventione inter emolumenta Patribus debita sola cera recenseretur, non licere ipsis et pecuniam numeratam postulare.**

**III. In materia funerum, emolumenta percipi non posse ab his suffragiis quae aliqua persona vel sodalitium pietatis impulsu propriis operibus defuncto praestat.**

# EX S. RITUUM CONGREGATIONE.

## 3. RITUUM CONGREGATIONIS RESPONSUM EPISCOPO LUCER1N0 SUPER S. NATALIS MISSIS.

Rmus **D.** Ioseph M. Cotellessa Episcopus Lucerinus a Sacra Rituum Congregatione declarari petiit « *Utrum Sacerdos possit duas tantum Missas celebrare in die Nativitatis D. N. Iesu Christi* » siquidem cum privilegio ter celebrandi eadem die repraesentet Mysterium Generationis aeternae, temporalis et per gratiam in anima iusti, id non videtur significari si in praedicta festivitate duae tantum celebrentur Missae. - Sacra vero Congregatio, audita relatione ab infrascripto Secretario facta, re mature accurateque perpensa, rescribere rata est. *Affirmative , seu Sacerdotem posse pro suo arbitrio in die Nativitatis Domini duas tantum Missas celebrare, atque ita declaravit die 19 Iunii 1875.* - C. Ep. Ostien. et Velit. Card. Patrizi S. R. C. Praefectus. - *Loco ^ sigilli.* - Piae. Ralli S. R. C. Sec. - Concordat cum originali, quod asservatur in hoc Capit. Archivio. - Luceriae 2 Iulii 1875. - loseph. M. Episcopus Lucerinus.

# VENERABILIBUS FRATRIBUS

## MICHAELI ANGELO ARCHIEPISCOPO PANORMITANO, CETERISQUE ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS SICILIAE.

*Venerabiles Fratres,*
*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Qui novimus quanto Nos amore prosequamini, Venerabiles Fratres, quanto studio huic Petri Cathedrae adhaereatis, quam fortiter nobiscum pugnetis pro causa Ecclesiae, quantaque sedulitate occurrere nitamini malis quotidie increbrescentibus; nequivimus amantissime non excipere officia vestra faustaque illa omina, quibus ad rem adducendis tam constante solertia adlaboratis. Periucundum autem nobis accidit, fiduciam vestram iis maxime niti prodigiis, quibus divina providentia sustentavit ac sustentat adhuc imbecillitatem Nostram. Haec enim sicuti Deum pro nobis stare demonstrant, sic nos erigere debent, indubiique auxilii et certae splendidaeque victoriae spe recreare. Et sane, si cuiusvis sapientis est accommodatas propositi finis indoli rationes adhibere ; absonum certe non censebitur prodigiosum exitum expectare, ubi ad illum via per iugem prodigiorum seriem quodammodo sterni videtur. Ecclesia profecto eo fulgentiore aureola redimita redire consuevit e certamine, quo periculosiore petita fuit impetu. Atqui nihil praesente insectatione exitiosius, ubi fraus, insidiae, calumniae, falsae scientiae apparatus, infensae leges, violentia in perniciem Ecclesiae simul ubique coierunt ; ubi commota per orbem universum insectatio eadem regi mente, eadem moderari methodo conspicitur ; ubi impietas ad id impudentiae devenit, ut apertum profiteatur odium religionis, et non hanc aut illam veritatem reiiciat, ut alias, sed omnem prorsus et palam explodat supernaturalem rerum ordinem ipsumque Deum. Haec vero inaudita hactenus principiorum omnium generalis subversio, et universalis tot hostilium virium in Ecclesiam conspiratio, sicuti prorsus insolitae insectationis spectaculum

exhibet, sic insueto manifestoque prae ceteris egere videtur Omnipotentis interventu. Quidquid tamen futurum sit, certitudo triurnphi Ecclesiae et patentia superni favoris indicia nos roborare debent, et ad pugnam alacri ores efficere. Ad hanc itaque impavide strenueque pugnandam copiosa vobis adprecamur a Deo gratiae subsidia et munera ; ac eorum auspicem interim et praecipuae Nostrae benevolentiae testem vobis omnibus , venerabiles Fratres , et singulis uniuscuiusque vestrum Dioecesibus Apostolicam Benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die 5 Iulii anno 1875. Pontificatus Nostri Anno Tricesimo.

Pius PP. IX.

LITTERAE NOMINE PII PAPAE IX MISSAE AD DIRECTORES EPHEMERIDIS CUI TITULUS *il Credente cattolico.*

Perillustres et adm. Rendi Domini.

In Ecclesiae vexatione tam acri tantaque veritatis oppugnatione et tanta nefariarum ephemeridum copia ac licentia SSmo **Dno.** Nostro acceptissimum plane contingit, eos non deesse, qui per catholicas ephemerides tenebras errorum discutere, mentes illustrare decepti populi, religiosos animis ingerere sensus vel confirmare, morum integritatem custodire, sacra iura tueri conentur. Non minus itaque iucunde excepit officia vestra, quam eorum munus qui vestrae ephemeridi nomina dederunt. Sicuti enim illa obsequium et devotionem testantur eorum, qui, praestanti quidem, sed arduo et ut plurimum ingrato, vindicandae veritatis muneri dant operam; sic a dono praeferri simul animadvertit ad effectum huiusmodi curarum, et nativam filiorum pietatem, qui communis parentis aerumnas dolentes, angores eius lenire nituntur. Utrisque propterea me significare iussit gratum animum suum, et utrosque vos hortari ad sustinendum ea alacritate certamen pro iustitia susceptum, quae nec vos abduci sinat ab ipso,

# EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

*Be Consistorio habito die 17 Septembris 1875.*

Sanctissimus Pater quum transtulisset Emum ac Rmum Cardinalem Thomam Martirelli in Ordinem presbyteralem conferens eidem Titulum S. Priscae, dimissa Diaconia S. Georgii in Velabro, et quum ei locum assignavisset post Emum Cardinalem Ioannem Si mor, et quum os clausisset, iuxta morem , Emo Cardinali ioanni Mac-Closkey creato publicamque die 15 Martii currentis anni ; praemissa allocutione, publicavit Cardinales S. R- Ecclesiae , creatos et in pectore reservatos die 15 Martii 1875:

Ex **ORDINE PRESBYTERORUM.**

Emum Rogerium Aloisium Emidium Antici Mattei,

Emum Salvatorem Nobili-Vitelleschi.

Emum Ioannem Simeoni.

Deinde Sanctissimus Pater creavit et publicavit Cardinalem S. R. Ecclesiae:

Revmum Archiepiscopum Rhedonensem GofFredum Brossais Saint Marc.

Ex **ORDINE DIACONORUM.**

Emum Laurentium Raudi.

Emum Bartholomaeum Pacca.

Deinde eadem Sanctitas Ph Papae IX. sequentes proposuit Ecclesias :

*Ecclesiam Metropolitanam* Vallisoleti pro R. P. D. Ferdinando Blanco y Lorenzo translato ex Abula".

cupati eligimus facimus, et teque in ornatissimum huiusmodi coetum et numerum referimus. Proinde ut eius Ordinis insignia, nempe torquem aureum et ensem atque aurata calcaría gestare possis, utque utaris, fruaris omnibus et singulis privilegiis, praerogativis, indultis, quibus alii eiusdem militiae Equites utuntur, fruuntur, vel uti ac frui possunt et poterunt, citra tamen facultates sublatas a Concilio Tridentino huius Sedis auctoritate confirmato, tibi concedimus atque indulgemus. Item tibi concedimus ut auream Crucem octogonam alba superficie imaginem S. Silvestri Papae in medio referentem ad pectus taenia serica rubro nigroque distincta colore, extremis oris rubris, sinistro vestis lateri affixam gestare libere ac licite possis et valeas. Ne quod vero discrimen tam in veste quam in cruce gestandi s contigat, appositum schema tibi tradi mandamus. — Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XXII iunii MDCCCLXXV, Pontificatus Nostri anno trigesimo. — >*fe* Loco sigilli.

F. CARD. ASQUINIUS.

nec commoveri ab adversis Quod ut, Deo iuvante, fiat, favoris eius auspicem et paternae suae benevolentiae testem Apostolicam Benedictionem vobis omnibus peramanter impertit. — Ego autem haec nunciare iussus, muneris mei functione libentissime utor, ut obsequii mei praecipuaeque aestimationis testimonia vobis exhibeam, quibus adprecor a Deo fausta omnia et salutaria. — Vestri, perillustres et adm. RR. Domini — Romae 28 Iunii 1875 — *Addictis. Famulus* FRANCISCUS MERCURIALI *SS. D. N. a Brev. ad Pr.* — Perillustribus et adm. Rendis Dominis Scriptoribus ephemeridis, cui titulus *II Credente Cattolico.*

Dilecto filio Eduardo Ar borio Mella Corniti Verceliae.

Pius PP. IX.

Dilecte fili, salutem et apostolicam benedictionem. — Qui animi causa bonas excolunt artes, easdemque in rei sacrae bonum singulari studio et assiduitate exercent, dignos censemus, qui Pontificiae beneficentiae significationibus honestentur. Atqui quum a venerabili fratre Ioanne Episcopo Pineroliensi accepimus te religionis virtutumque laude, et erga Beatissimi Petri Cathedram obsequio, spectatum, antiquae architecturae sacrae peritia clarum pluribus abhinc annis egregiam operam tuam instaurandis, ornandis, extruendisque templis singulari virtute ac diligentia gratis et sine ulla mercede navasse, in id consilii venimus ut aliquam tibi honoris exhibeamus significationem, quae tuis in rem sacram meritis praemio sit, nostraeque in te propensissimae voluntatis testimonio. Te igitur praecipuo honore prosequi volentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes apostolica auctoritate nostra hisce Litteris te Equitem Ordinis Sancti Silvestri ab aurata militia nun-

*Ecclesiam Metropolitanam* Tarraconensem pro R. P. D. Constantino Bonet v Zanuv translato ex Gerunda.

*Ecclesiam Archiepiscopalem* Saraiae *in part. infiel,* pro R. P. D. Philippo Manetti translato ex Tripolitanensi Ecclesia *in part. infid.*

*Ecclesiam Metropolitanam* Bisuntinensem. pro R. P. D. Petro, Antonio, Iustino Paulinier translato ex Gratianopoli.

*Ecclesiam Metropolitanam* Brundusii cum administratione perpetua Sedis Cathedralis Ostrogensis pro R. P. D. Maria Aguilar e Clericis Regularibus S. Pauli, translato ex. Ariano.

*Ecclesiam Archiepiscopalem Melitenensem in part. infid.* pro Rmo Felice M. De Neckere, presbytero e Dioecesi Brugensi, Praelato Domestico Sanctissimi Patris , Protonotario Apostolico *ad instar,* Referendario utriusque Signaturae et Canonico Basilicae Lateranensis.

*Ecclesiam Cathedralem* Maioricensem pro R. P. D. Matthaeo Jaume y Garau translato ex Minorica.

*Ecclesiam Cathedralem* Cuschensem pro R. P. D. Petro Iosepho Tardoya translato ex Ecclesia Tiberiopolitana *in part. infid.*

*Ecclesiam Cathedralem* Asturicensem pro R. P. D. Mariano Bresmes y Arredondo translato ex Gandicensi Ecclesia.

*Ecclesiam Cathedralem* Novae Pampelonis pro R. P. D. Ignatio Antonio Parra iam Episcopo Panamensi.

*Ecclesiam Cathedralem* Arianensem pro R. P. D. Salvatore M. Ioanne Nisio e Clericis Regularibus Matris Dei, Missionario Apostolico et Doctore S. Theologiae.

*Ecclesiam Cathedralem* Albae Regalis pro R. P. D. Ferdinando Dulanszky 'presbytero >trigonii, Canonico illius Cathedralis, Abbate Titulari S. Egidii, et Doctore S. Theologiae.

*Ecclesiam Cathedralem* Oscensem pro R. P. D. Onorio de Onaindia Protonotario Apostolico, Archipresbytero Cathedralis Burgensis , Administratore Oeconomo illius Archidioecesis, Examinatore Pro-Synodali et Doctore S. Theologiae.

*Ecclesiam Catltedralem* Vicensem pro R. P. D. Petre

Colomer y Mestres, presbytero Gerundensi, professore philosophiae et S. Theologiae in illo Seminario, et Doctore S. Th.

*Ecclesiam Cathedralem Minoricensem* pro R. D. Emmanuele Mercader y Arroyo, presbytero Barcinonensi, a Secretis Episcopi Pampelonis, Canonico illius Cathedralis et S. Theologiae Doctore.

*Ecclesiam Cathedralem* Conchensem pro R. P. D. Sebastiano Herrero y Espinosa de los Monteros , presbytero Gaditanensi, Praeposito Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, Rectore Seminarii Gaditanensis, Archipresbytero illius Cathedralis , Vicario Generali eiusdem Civitatis et Dioecesis, et utriusque iuris Doctore.

*Ecclesiam Cathedralem* Seguntinensem pro R. D. Emmanuele Gómez Salazar, presbytero Burgensi, Rectore Seminarii Valentinensis , canonico illius Metropolitanae, S. Theologiae Doctore et licentiato iuris canonici.

*Ecclesiam Cathedralem* Gandicensem pro R. Fr. Vincentio Pontes y Cantalar Matritensi Parocho SS. Caroli et Dominici.

*Ecclesiam Cathedralem Panamensem* pro R. D. Iosepho Telesphoro Paul e S. Fide de Bogota , presbytero professo e Societate Iesu, missionario, et S. Theologiae Doctore.

*Ecclesiam Cathedralem Loianensem* pro R. Fr. Iosepho Mosia Tarraconensi, sacerdote professo ex Ordine Minorum S. Francisci, et Examinatore Synodali.

*Ecclesiam Cathedralem* de Guamanga seu Ayacuquensem pro R. D. Ioanne Iosepho de Polo, presbytero Limanensi, canonico illius Metropolitanae et S. Theologiae Doctore.

Sanctissimus D. N. Pius Papa IX. quum die 23 Septemi bris de mane os clausisset Emis Cardinalibus Salvatori Nobili Vitelleschi, Laurentio Randi et Bartholomaeo Pacca (I), qudie lo Martii creati fuerant, et publicati die 17 Septembris currentis anni , sequentes proposuit Ecclesias:

*Ecclesiam Archiepiscopalem Thebarum in part. infid.* pro R. P. D. Aloisio Biscioni Amadori iam Episcopo Burgi S. Sepulchri.

(1) **Emus Autici Mattei valetudinis causa aberat.**

*Ecclesiam Cathedralem Gratianopolitanam* pro R. P. D. Amando Fava, translato ex Marfinicensi Ecclesia.

*Ecclesiam Cathedralem* Burgi S. Sepulchri pro R. D. Instino Puletti , Archipresbytero Parocho Cathedralis Burgi S. Sepulchri, et Examinatore pro-Synodali.

*Ecclesiam Cathedralem Nemausensem* pro R. D. Nicolao, Francisco, Aloisio Besson, presbytero e Dioecesi Bisuntinensi et canonico illius Metropolitanae.

*Ecclesiam Cathedralem Trecensem* pro R. D. Petro Maria Cortet, presbytero e Dioecesi Nivernensi , Parocho et Vicario Generali Rupellae et Niverni.

*Ecclesiam Cathedralem Gerundae* pro R. D. Isidoro Valls y Pascual, presbytero e Dioecesi Vicensi, Iudice, Examinatore Synodali, et Licentiato utriusque iuris.

*Ecclesiam Cathedralem Piacentinensem* pro R. D. Petro Casas y Souto Canonico Poenitentiario et S. Theologiae Doctore.

*Ecclesiam Cathedralem Pampelonis* pro R. D. Iosepho Oliver y Hurtado Canonico Metropolitanae Ecclesiae Granatensis , Vicario Generali illius Archidioecesis, et utriusque iuris Doctore.

*Ecclesiam Cathedralem Mur gis* pro R. D. Iosepho Orberà, y Carrion, Canonico Metropolitanae S. Iacobi de Cuba, ibique Vicario Generali et Capitulari, Sede vacua, S. Theologiae Doctore, et utriusque iuris licentiato.

*Ecclesiam Cathedralem S. Christophori de Avana* pro R. D. Apollinare Serrano Diez, Canonico Cathedralis Abulensis et utriusque Iuris Doctore.

*Ecclesiam Cathedralem Auriensem* pro R. D. Caesareo Rodrigo, presbytero Archidioecesis Burgensis , et S. Theologiae Doctore.

*Ecclesiam Cathedralem Illerdensem* pro R. D. Thoma Costa y Fornaguera , canonico Cathedralis Gaditanensis, et S. Theologiae Doctore.

*Ecclesiam Cathedralem Abulae* pro R. D. Petro Iosepho Sánchez Carrascosa y Carrion , I jctore utriusque iuris et S. Theologiae licentiato.

*Ecclesiam Cathedralem Sidunensem* pro R. **D.** Adriano Tardinier, parocho, canonico titulari et Vicario foraneo.

Tandem Sanctissimus Pater publicavit sequentes electiones per Breve pontificium peractas :

*Ecclesiam Metropolitanam Atheniensem* pro R. P. **D.** Ioanne Marangò translato ex Ecclesiis Miconensi et Tenensi.

*Ecclesiam Metropolitanam Naxiensem* pro R. D. Iosepho Zaffino.

*Ecclesiam Cathedralem Labacensem* pro R. **D.** Ioanne Chrysostomo Pogacar, Examinatore pro-Synodali et S. Theologiae Doctore.

*Ecclesias Cathedrales unitas Miconensem et Tenensem* pro R. D. Ignatio Giustiniani.

*Ecclesiam Cathedralem Thiensem* pro R. **D.** Andrea Timoni.

*Ecclesiam Cathedralem Mallensem in part. infid.* pro R. D. Hermanno Gleich, presbytero Wratrislaviensi, canonico dictae Cathedralis, et deputato auxiliari Episcopi Wratrislaviensis.

*Ecclesiam Cathedralem Mylasensem in part. infid.* pro R. D. Iosepho Boltizar, canonico Cathedralis Strigoniensis, Vicario Generali et deputato auxiliari Eminentissimi Cardinalis Simor Archiepiscopi Strigoniensis,

*Ecclesiam Episcopalem Gerasenssm in part. infid.* pro R. D. Ludovico Vey deputato Vicario Apostolico Siam Orientalis.

*Ecclesiam Cathedralem Lyrbensem in part. infid.* pro R. D. Ioanne Prendergast, deputate coadiutore Revmi Eugenii O' Connell Episcopi Vallispratessis.

*Ecclesiam Episcopalem Dansarensem in part. infid.* pro R, D. Iosepho Bugliari.

Denique Advocato Consistoriali qui petiit a Sanctissimo Patre Sacrum Pallium pro Ecclesiis Metropolitanis Vallisoleti, Tarraci, Vesontionis, Brundusii, Athenarum et Naxi, SSmus dignatus est respondere : *dabimus propediem.*

# EX S CONGREGATIONE CONCILII

## MATRIMONII

*Die 22 Maii 1875.*

**Compendium facti.** Titius amore captus erga Lucrefiam puellam **tau** cum ea eiusque matre usus est familiaritate, ut saepe in earum domo nedum die verum etiam nocte moraretur. Quapropter vesana abreptus libidine accidit ut ille violaret Lucretiam et praegnantem redderet. Ut tamen eiusmodi scandalo aliquod afferretur remedium anno 1851 nuptiae celebratae fuerunt, obtenta a tribus publicationibus dispensatione.

Hoc peracto coniugio, usque ad annum 1857 visi sunt Titius et Lucretia secure permanere; prolemque interea temporis susceperunt, quae tamen naturae concessit. Attamen sub die 17 Decembris praedicti anni 1857 suae Curiae Episcopali Lucretia obtulit libellum, quo nullitatem sui matrimonii definiri petivit ob dirimens affinitatis impedimentum ex copula illicita oriens. Asseruit enim Titium antequam sibi matrimonio iungeretur carnaliter suam cognovisse matrem; seque ab ea id rescivisse autumavit, quippe quae conscientiae stimulis agitata totam aperuit rem.

Curia Episcopalis interea nil omisit eum in finem ut, aestu animorum composito, processuque omisso iudiciali recursus ad S. Sedem haberetur pro adserti impedimenti dispensatione impetranda; verum cum omnes conatus in irritum cederent, tunc formali instituto iudicio, constitutoque matrimonii defensore, qui semper citatus adstitit, partes et testes examini subiecti fuere. Prae caeteris primum interrogatio delata fuit Titio et matri; qui sub iuramenti fide deposuerunt, sese reapse carnaliter saepissime cognovisse, et copula quidem per-

fectâ, ante Lucretiae matrimonium. Dein plures interrogati fuerunt testes tum de visu, tum de auditu; quorum depositiones apud Curiam in compendium redactae asservantur. Quapropter partibus et testibus auditis, Iudex Ecclesiasticus illius Curiae mense Aprilis anni 1858 sententiam protulit, qua de impedimento affinitatis non satis constare declaravit: coniuges tamen separandos esse quoad torum et quoad habitationem.

Sed Titius ab hac sententia ad Curiam Metropolitanam appellavit. Ab illa Curia appellatio admissa quoque fuit; seque uti criminale Tribunal constituit, causamque uti criminalem egit, si excipias defensoris matrimonii constitutionem. Verum enim vero res inibi quievit usque ad annum 1866, quo Titius ipse ad S. C. Congregationem recurrens matrimonii dissolutionem petiit; simulque exposuit, se modo ex alia muliere cum qua vitam degit, filiam procreavisse; nihilque magis exoptare quam propriae conscientiae et prolis legitimitati consulere. Litterae tunc a S. C. C ad Episcopum missae fuerunt pro informatione et voto. Ordinarius iste harum litterarum tenorem communicavit Archiepiscopo apud quem appellatum fuerat; quique die 21 Aprilis 1866 ad S. C. C. universa acta causae transmisit in statu ac terminis, quibus sese habebant. Verum attenta appellatione quae penes illam Curiam interposita fuerat, rescriptum fuit die 4 Iunii 1866 « *Servetur appellatio coram Curia Archiepiscopali ad formam iuris et vocetur agens.* »

Huiusmodi vocationis scopus fuit, ut nimirum huius decreti notitia Archiepiscopo daretur et causae prosequutionem urgeret. Nihilo secius res suspensa mansit usque ad annum 1871, quo scilicet cum Titius S. C. Congregationi dato libello, antiquas preces instauravisset, Archiepiscopus rogatus fuit cur appellationis iudicium ad exitum ductum non fuerit ad formam decreti anno 1866 lati. Archiepiscopus respondit, se causae decisionem ideo distulisse, tum quia notitiam illius decreti minime a suo agente receperit, tum quia ob temporum difficultatem opportunius censuit ut S. C. C. ad se negotium istud a vocaret; subdidit autem tum Titium cum Lucretiam alteri personae in praesens adhaerere, et pristino matrimonio

despecto, de novo contrahendo cogitare. Verum mense Februario anni 1872 acta remissa ei sunt, simulque mandatum- fuit ut huic iudicio prosequendo quamprimum alacriter manum admoveret. Quod exequi cupiens Archiepiscopus, utrumque coniugem exoravit sive per se sive per procuratorem ut iura sua deducerent coram Archiepiscopali Curia; idque tantum peregit Titius non sine gravi difficultate, renuente perpetuo Lucretia.

Quapropter die 18 Aprilis 1873 dé impedimento affinitatis non satis constare, simulque coniuges quoad thalamum et habitationem separandos non esse decrevit; ideoque priorem sententiam ex parte ratam habuit, ex parte véro revocandam duxit. Sed cum ab huiusmodi decisione Titius ad S. C. C. appellavisset, integrum actorum exemplar transmisit. Tum facta causae relatione Sacratissimo Principi, ut oeconomice apud S. C. C tractaretur responsum fuit. Quapropter theologi, atque canonistae vota requisita fuere; quorum summam una cum officiosi defensoris animadversionibus hic referendam esse perutile censuimus.

VOTA IN COMPENDIUM REDACTA

**\oinm Canonistae.** Libenti animo litteras S. C. Congregationis Secretarii excipiens Canonista ut suam panderet sententiam, de qua per illas rogabatur, ponere coepit quaestionis statum his verbis: totum igitur, ut mihi videtur, elucubrationis opus erit investigare, an praesenti in themate impedimentum affinitatis in primo gradu in linea recta, sit iuridice probatum, ac per consequens sententiae a praefatis Curiis latae sint confirmandae vel infirmandae.

In primis, ait, scire oportet **S.** Tridentinam Synodum *Sess. 24. cap. 4 de matrim,* irrita ea declaravisse matrimonia cum impedimento affinitatis in primo aut secundo p radii contracta; ita ut sic contrahentes, qui etiam ausi fuerint eiusmodi matrimonium consummare, nullo vinculo obstringantur et omnino separandi sint quoad torum , quoad habitationem et quoad vinculum. Attamen si hoc in iure certum est; quo-

níam vero ius ex facto oritur; hinc coniugibus probandum manere, ut eorum matrimonium nullum ab Ecclesia renuntietur, de facto iuridice hoc contraxisse impedimentum ante connubium. Omne impedimentum dirimens probatione indigere ambigi nequire; verum haud oportere probationem semper esse eiusdem evidentiae. Etenim si agatur de matrimonio contrahendo, vel de separatione coniugum, sufficere probabilitatem, vel etiam dubium; sin vero de irritando vel dissolvendo matrimonio res sit, tunc requiri certitudinem plenam atque iuridicam. Idque per SS. Canones praescribi, per DD. et Tribunalia tradi: Cosci *de sep. tor. coniug. lib.* i. *Cap. 6. num. 35. Quando enim agitur de Matrimonio iam contracto plenissima impedimenti probatio requiritur Rota. decis. 1317. n. 3. coram Lancetta « Quia cum agatur de materia gravissima, ac irritando matrimonio iam consummato, requiruntur probationes undequaque certae et concludentes.* »

Nunc ergo videndum prostare ait an Actores probationes eiusmodi praebuerint. Ex tabulis processualibus constat matrem narravisse filiae, se cum Titio pluries habuisse copulam carnalem, et quidem perfectam; seque id revelare ob conscientiae stimulos. Verum quam mereatur fidem eiusmodi confessio erui *ex Cap. super eo 22. de test, et attesi,* in quo mater testabatur de affinitatis impedimento, hoc non obstante responsum fuisse « *Si vero matrimonium est firmatum non debet sine plurium iuramento dissolvi » Et Cosci loc. cit. lib. 2. cap, 18. num. 7. € In matrimonio iam contracto contra quod hoc impedimentum fuerit oppositum, statim matrimonium non dissolvitur, non solum si ab aliquo consanguineo, vel extera opponatur; quia saepe contingit, quod haec oppositio affinitatis, praesertim ex illicita copula, ad irritandum matrimonium ex invidia fiat aut ex malitia, unde non est de facili adhibenda fides unico denuncianti* ». Ex Actis enim constare zelotypiâ matrem laborasse in filiam ob illius intimitatem cum Titio, in quem ante et post matrimonium praeferri ardebat; et suspicionem non defuisse matrem colludere cum Titio. Erui dein ex *Cap. Insuper qui matrim, accus, poss.* testes esse debere *fama et conversatione praeclaros* ut sibi fidem

vindicare valeant. Talem non fuisse eiusmodi matrem confirmari per complures testes, et ex facto ipso quod eius* culpa filia ad altare accesserit utero gravis. Tandem ei non esse credendum deduci ex placito omnium Tribunalium « *Propriam allegans turpitudinem non auditur* ».

Nec pluris valere matris confessionem provocatam a stimulis conscientiae; habetur quoque in *Cap. Veniens 9. de eo qui cognov. consanguin,* similis revelatio eodem in adiuncto a quodam iuvene Innocentio III. facta « *Reversus ad cor poenitens de commissis, salutis suae consilium requirit impendi* ¿. Attamen si eiusmodi revelatio satis fuit, ut poenitentiam in foro interno reciperet, abstinendo a iuris coniugalis petitione, non valuit vero ut Pontifex ius dixisset de matrimonii nullitate in foro externo. « *Hoc intellige dictum in iudicio animae cum factum sit occultum, aliud esset si posset probari.* »

Colludere autem Titium et matrem voluisse, constare vel ex eo quod ille Sacratissimo Principi enarraverit in supplici libello ab ista suscepisse filium masculum qui tamen obiit ; dum a suo Ordinario quaesitus uterque responderit ex copula carnali natum fuisse foetum trimestrem et informem. Ex quo erui mendaces illos fuisse, ast « *mendax in uno, mendax in omnibus.* » Item Titius fassus est habuisse cum matre suae uxoris commercium et copula quidem perfecta, per duos vel tres annos; haud tamen oblivisci debere Titium esse Actorem principalem in causa. Nunc explorati iuris est neminem esse posse in causa propria testem *Glos, in rit. Cap. super eo verb. Confessionem de eo qui cognov. consanguin.* Et confessionem suam esse Titio favorabilem neminem ambigere. Super quod audiendum esse Cosci *loc. cit.* ibi « *Cum agatur de matrimonio iam contracto, quod nexum indissolubilem habet, nec ipsismet coniugibus est credendum.* »

Gradum Canonista faciens ad testes rationabiliter proposuit sibi esse investigandum an ii qui a Titio et a Lucretia adducti fuerant concludenter probaverint eos de facto affinitatis impedimentum contraxisse.

Deposuerunt prae omnibus Coniuges A. se vitam eadem in domo degere Titii et matris uxoris eius, et ab ipsa matre

rescí visse Titiura cura illa maxima usum fuisse familiaritate et eam habuisse veluti uxorem; ita ut in *coniecturam* descenderint turpem inter illos relationem intercessisse. Depositionem coniugum attendi haud posse, ait Canonista, dum ea solum coniecturam ingerat, et opus sit in re tali gravissima argumentis positivis. Neque credendum esse revelanti turpitudinem suam eo quod *effronti nulla fides.* Testis B. probare nisus est condonationem habitualiter peractam tempore nocturno, eodem in cubiculo eodemque in lecto Titii cum Lucretia eiusque matre. Eiusmodi verum probationem elidi testimonio alterius qui retulit matrem omni in adiuncto se vigilantem praebuisse in protuenda filiae honestate, facile noscitur. Si enim mater ita vigilans fuit quomodo filiae scandalum eiusmodi praebere passa est? Retulit insuper alius Lucretiam signaculum posuisse ad ostium cubiculi matris suae ut pernosceret an Titius ingrederetur in eo; ergo cum ea et cum Titio haud habitualiter cuba bat. Ex opposito erui ex hoc cubiculum Titii separatum ac distinctum fuisse a cubiculo matris.

Attamen ponamus ait per hypothesim eiusmodi depositionem veram fuisse; quid inde? erui ne poterit ex hac praesumptio violenta copulae carnalis *ì* Nullo modo ! Nam tunc violentam dici praesumptionem quando *quis* inveniatur *nudus cum nuda, solus cum sola, secretis locis et latebris ad hoc commodis et locis electis. Cap. Literis 12, de praesumpta* In themate nil horum haberi quemque videre. Defuit enim solitudo, commoditas concertus, et temporis opportunitas. Quae omnia etsi testium assertiones admitterentur extra positionem dubietatis aleam haud ponerent; atqui in subiecta materia dubium non sufficere sed certitudinem exquiri *Cap. super eo 5. De eo qui cognov. consanguin. Cap. 1, qui matrim, accus, poss. Cap. Insuper eod. Cap. De illo etc.* Ergo non probarent de affinitatis impedimento in thesi.

Alii non defuerunt testes qui probare conati sunt turpem praedictam relationem. Etenim testis F. narravit se ad ostium cubiculi per clavis foramen introspexisse haud Titium, sed *graecam* eius in ore lecti matris Lucretiae; nullumque audivisse rumorem sed omnia fuisse illuc penitus in silentio.

Ast neque totum id carnalem copulam evincere, imo nec *ehm* praesumptionem ingerere; ait enim Amen de delict. et poen. tit. 4. n. 7. « ibi » *Praesumptio copulae oritur, si postquam vir et mulier cubiculum ingredi visi sunt, mulier postea visa fuerit crinibus incompositis, facie ultra suum consue~ tum rubicunda, ac tota hórrida, incompta* etc. de quibus indiciis ne verbum quidem fecisse; ergo etiam praesumptionem copulae carnalis exulare. Praeterea haud omittendum censuit Canonista varios testes ad coelum extulisse industriam I ucretiae, ut illa certior fieret de turpi relatione inter matrem et Titium; quinimo asseruit alius ipsam Lucretiam testem fuisse de hoc turpi commercio inter eos habito quia cum illis in eodem Tecto dormiebat. Verum constare Lucretiam haud hoc exposuisse in querela ; sed tantum asseruisse se rescivisse id ex confessione matris sibi post septennium ab inito matrimonio facta. Alius testis retulit se probare posse quod Titius semel iratus matri suae, dormire petivit in domo Lucretiae , quae tamen cum eius matre per illam noctem pene totam labori incubuit. Ex his ergo ruunt caeterae testium depositiones.

Ad actus illicitos gradum faciens testis alius affirmavit, (etsi alius negaverit) se vidisse Titium cum matre Lucretiae actus peragere honestati contrarios; qui tamen de copula non conveniunt, qua opus est ad inducendum affinitatis impedimentum. Text. in L. fin. ff. de rit. nupt. *Actus enim palam gesti omnem removent carnalis copulae suspicionem.*

Alii testes deposuerunt sive de lamentationibus sibi a Lucretia factis super turpi matris amicitia cum Titio, sive ab alio rescivisse; sed a se nil vidisse aut audivisse etsi domum Lucretiae frequentarent. Ergo testes isti proferendi videntur potius ut delictum excludatur quam ad illud evincendum. De aliis e converso dici posset quod ad rem ait *Mota in decis. 31. num. 15. part. 18. recen, et in Terracinen. Immissionis 10 Iunii 1768* §. *Frustra coram Ratto* « ibi » *Cum enim hactenus expensae probationes et circumstantiae sint in suo genere imperfectae, atque inter se repugnantes; ideoque inhabiles ad probandum assumptum, iungi proinde non valent*

*ad inducendam probationem rei, quae nonnisi ex certis et convincentibus probationibus est eruenda.* »

Quod viciniae ruraorem spectat, omnes de dicto alieno et de rumore vulgi, non de scientia propria testati sunt. At SS. Canones habere *Cap. super eo 5. et De eo, qui cognov. consanguin. « Non adeo iudicandus validus (rumor) quo nisi rationabiles, et fide dignae probationes accedant.* » Tandem si fama aut rumor factis, et quidem certis, non nititur, sed tantum verbis, non famam sed potius *murmurationum* dicendam esse. Ad rem « Devoti Ius Can. Univ. Lib. 2 tit. 19 » §. 10 de probat, et fama. In causis tamen criminalibus, re- » busque gravioribus (sicut in casu) quae clarissimas proba- » tiones requirunt, fama ne semiplenae quidem probationis » vim habet, quod etiam tenendum est, cum ea per homines » leves, maledicos, mendaces demonstratur. Et in cit. Cap. » super eo 5 Tuae fraternitati respondemus, quod propter » eorum confessionem tantum vel rumorem viciniae separari » non debent. »

Adiunxit etiam Canonista Parochum, si fundatus rumor fuisset, tacere nequivisse quin Episcopum admoneret de impedimento ut in civitate ferebatur, specialiter quando vidisset licentiam ab Ordinario missam eos coniungendi absque consuetis denunciationibus. Quod si Parochus tacuit, eosque in matrimonio coniunxit, aestimandum esset famam illam solidum haud habuisse fundamentum; de qua sic Reiffenstuel Lib. 2 Decret, tit. 20 §. 12 n. 391 « ibi » *Est vana vox vulgi et rumor in populo, quae nullos habet certos auctores, nec causas seu rationes probabiles ad sic credendum, et talis fama non est attendenda.*

VOTUM THEOLOGI. Illustris Theologus quum nonnulla praemisisset circa factorum historiam, recte animadvertit: Iudices et advocatos Curiarum tum primae, tum secundae cognitionis censuisse (quod ille haud putavit) hanc quaestionem publici iudicii argumentum. Verum nullam esse, ait, de iure disceptationem in themate, sed totum in hoc esse comprehensum, ut nempe vel adstruatur vel excludatur praecedentis copulae factum, quemque conspicere. Unicuique pariter certum fuisse

per huiusmodi copulam induci impedimentum dirimens affinitatis in primo gradu lineae rectae, omnesque advocatos et iudices fassos esse matrimonii causam esse favorabilem , et in dubio standum pro validitate matrimonii: « *Tolerabilius est enim, ut ait Pontifex Decret. L. 2 tit. 20 de testibus....... cap. 47, aliquos contra statuta hominum dimittere copúlalos, quam coniunctos legitime contra statuta Domini separare.* »

Defuisse tamen probationes ad adstruendum praecedentis copulae factum ab ipsa litis contestatione asseruit. Expendit enim et ad exactam revocavit trutinam testium verba et partium confessiones. Sed cum in illis nil aliud prospiceret quam contradictiones, mendacia, aut partium collusiones conclusit: neque ex reorum confessione, neque ex cuiuspiam testimonio demonstrari potuisse, Titium copulam carnalem habuisse cum matre antequam huius filiam Lucretiam duceret uxorem. Proindeque nil aliud adesse quam suspiciones, murmurationes, coniecturas et similia, quae utique valere fortasse potuissent ad inhibendum matrimonium contrahendum; sed nullatenus valere potuisse ad dissolvendum iam contractum, maxime si vix contracto matrimonio cessaverint, et coniuges ad plures annos in matrimonio pacifice et secure vixerint. Hac enim super re claram Canonum adesse sanctionem Cap. 3 tit. 13 lib. 4. *De illo qui uxorem fratris antequam ei matrimonio iungeretur, se proposuit cognovisse: respondemus, quod nisi hoc publicum et notorium fuerit, aut idoneis testibus comprobatum, praedictum matrimonium occasione illa ipsum impetere non permittas. Et Cap. 5 eiusdem tituli. Super eo vero quod postulas edoceriutrum coniugatus qui ante contractum matrimonium uxoris suae consanguineum carnali commixtione cognovit, cum id fateatur uterque et aliqua pars viciniae hoc acclamare dicatur, sit ab uxore sua iudicio ecclesiae separandus, Tuae fraternitati respondemus: quod propter eorum confessionem vel rumorem viciniae separari non debent; cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium velint colludere et ad confessionem incestus facile prosilirent, si suo iudicio crederent per iudicium ecclesiae concurrendum. Rumor autem viciniae non adeo est iudicandus validus quod nisi ra-*

*tionahites et fide dignae probationes accédant, possit bene contractum matrimonium irritare.*

Item *Cap. 1 qui matrimonium accusare. Si iuvenis et puella aliquot annis sine quaestione fuerunt simul, qui praescriptum matrimonium nunc accusant (ex capite praecedentis impedimenti) non videntur suspicione carere. Ceterum si manifestum est quod asseritur, aut legitimi accusatores et testes appareant omni exceptione maiores. . . . . . testes recipere poteris et fine canonico iudicium terminare.* At in themate nostro haud manifestum esse quod asseritur, nec testes apparere omni exceptione superiores.

Huic textui consonare interpretes et Doctores ait: Reiffenstuel enim habet *Decretal, lib. 4 tit. 19 n. 16* « Non debet » nec potest iudex matrimonium in facie ecclesiae contractum » dissolvere quoad vinculum ex hoc solo quod unus vel ambo » coniuges ipsimet, accedente etiam rumore viciniae fateantur » se cum impedimento criminis v. g. vel affinitatis vel » consanguinitatis contraxisse, nisi sufficientes probationes » accedant. Communis et certa, textu expresso Cap. Super » eo 5 de eo qui cognovit ubi etiam ratio subiungitur illis ver- » bis: » *cum et quandoque nonnulli inter se contra matrimonium, velint colludere et ad confessionem incestus (vel alterius impedimenti) facile prosilireni, si suo iudicio crederent per iudicium ecclesiae concurrrcndum. Rumor autem viciniae non adeo est iudicandus validus* etc ut supra. Schmalzgrueber! vero haec sunt verba « Non creditur coniugi- » bus etiamsi ambo confiteantur subesse impedimentum di- » rimens, sed hoc debet esse aut publicum et notorium, aut » per idoneos testes comprobatum ut habet *cap. 3 et cap. 5* » *hoc titulo* quia periculum est ne forte inter se colludant » contra matrimonium, et hac ratione via aperiatur ad dis- » solvendum matrimonium quod legitime contractum est eodem tit. N. 31.

Retulit tandem Theologus resolutionem S. C. Congregationis, quae reperitur inter eas quas collegit Prosper Lambertinius cum esset a Secretis (n. 226) e litam in causa Ravennaten matrimonii. Haec a Theologo relata fuit fere integra

cum ad rem quam maxime faceret. Quidam enim Marcus Antonius De Laurentiis et Felix De Sanctis, vocato ex improviso proprio Parocho, ipso frustra renuente, mutuum protu-1ère consensum coram eo et testibus et matrimonium per verba de praesenti contraxerunt. Eiusmodi arripuerunt expediens, eo quod facta denunciatione de matrimonio inter eos contrahendo in Paroeciali Ecclesia, comparuit coram Vicario Generali Curiae Cappellanus dictae ecclesiae, qui retulit sibi denunciatum fuisse impedimentum dirimens matrimonium, copulam videlicet habitam a M. Antonio cum Diana sorore praedictae Felicis. Huiusce causae pondus cuique est compertum residere in hoc ut clare prospiciatur an copula Marci Antonii cum Diana sufficienter probari posset. Id expletis actibus processualibus, haud visum est satis patere ex defectu probationum; proindeque proposito dubio *An constet de validitate matrimonii in casu* S. C. Congregatio respondit: *Non constare de nullitate matrimonii.*

His perpensis, ait Theologus se pro certo habere in themate publico iudicio locum fieri non debuisse, neque adhuc esse : ast Eminentissimos iudices exorare ut nunc peí fícerent quod iam praestiterunt die 26 Iulii 1873 in causa matrimoniali Vegli en. Tunc enim satis significarunt impedimentorum matrimonialium quae iuridice non probantur certa, nullam in foro externo habendam esse rationem, sed habendum esse super iis recursum ad forum internum, quo famae simul et conscientiae consulitur (1).

Hisce a docto Theologo praenotatis, aliisque in appendice pro commodo Confessariorum necnon Episcopalium Curiarum relatis, ea quae sequitur instituta est ratiocinatio. Dato et non concesso, ait ille. matrimonio de-quo agitur obstitisse impedimentum primi affinitatis gradus ex copula illicita praehabita a sponso cum sponsae matre, impedimentum attamen illud fuisse occultum, et quo tempore contrahebatur et deinde pei septem a celebratione annos. Ita ut dum Mebraretur nullus eiusmodi unioni obstiterit ; et illo celebrato, uterque

(!) Opportunum censuimus ad huius quaestionis finem quidquid animadvcrterit Theologus in propositum referre appendicis instar.

coniux in matrimonio bona fide et absque ulla suspicione perseveraverit, probante matre, probante parocho, probante Episcopo, probantibus cognatis et notis; ex quo palam fit ü'ud matrimonium si ex dicto capite impedimento laborabat, nonnisi occultissimo impedimento laborasse.

Tandem conclusionis instar suam ita pandidit sententiam. « Ex deductis non constare de nullitate matrimonii, seu non » constare matrimonium fuisse initum cum impedimento di- » ri mente affinitatis primi gradus in linea recta ex illicita co- » pula: sed cum agatur de impedimento eius generis occulto, » non debuisse iudicium publicum super eo suscipi, sed par- » tem seu partes fuisse ad S. Poenitentiariam remittendam » vel remittendas: nunc autem etiam suscepto iudicio et re » in publicum deducta, data et numquam concessa praeexi- » stentia impedimenti, adhuc tamen matrimonium habendum » esse pro valido ob praesumptam in foro conscientiae vel » dispensationem vel revalidationem: partes vero si pro tran- » q militate conscientiae suae expedire putaverint, recurrant » adhuc in foro conscientiae et suppressis nominibus ad S. Poe- » nitentiariam , vel ad eius delegatum, vel adeant Confessa- lo i i um facultatibus S. Poenitentiariae munitum. »

**DEFENSORIS MATRIMONII EX OFFICIO ANIMADVERSIONES.**

Censuit Defensor nullam esse fidem matri praestandam revelanti turpitudinem suam; nec aliquid credendum viro eadem de causa. Neque testes vocatos pluris faciendos esse; dum nullus eorum formiter flagitium eiusmodi comprobaverit nullusque fuerit fide dignus omnique exceptione maior.

Testes enim adductos mulierculas fuisse , quae nil aliud effutiunt, quam quae acceperunt a matre, a filia eiusque viro. Cum insuper in eorum depositionibus mendacia, contradictione--que manifestae reperirentur, nullam ideo probationem constituere valere ad effectum irritandi matrimonium rite contractum ex praetenso affinitatis impedimento. His praeiactis, aufumavit nullimode declarationem nullitatis matrimonii sperari posse; cum ad rem S. C. Congregatio in Asculana ma-

trimonii die 4 Iunii 1768 §. De et seqq. perpenderit «ibi » *De modo autem probandi impedi.nentum affinitatis communiter distinguitur; vel enim agitur de matrimonio nondum contracto, et time ad illud impediendum levis sufficit affitti i alis probatio; vel agitur de matrimonio iam contracto dirimendo, et tunc requiritur probatio plenissima.»*

Ita respondit Alexander III in *Cap. Super eo 22* de testibus: *«Respondemus, quod si non esset firmatum matrimonium inter eos, Matre asseverante, ipsos esse consanguineos, non debent coniungi; si vero matrimonium est firmatum , non debet sine plurium iuramento dissolvi. »*

His de iure statutis absurdum videri Coniuges in casu eiusmodi posse nullum efficere matrimonium legitime initum eorum revelationibus et assertionibus. Nam si Ecclesia iubet impedimenti dirimentis delationem, exquirit etiam probationem et quidem iudicialem , omnique exceptione maiorem, cum praesertim res sit, ut in themate, de matrimonio iam legitime contracto.

Hisce, aliisque praenotatis propositum fuit sequens dirimendum

**Dubium**

*An constet de nullitate matrimonii in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio die *22* Maii 1875, causa cognita, respondere putavit.

*Non constare de nullitate matrimonii.*

Ex QUIBUS COLLIGES.

I. Indubium esse S. Trid. Synodum (1) nulla atque irrita declaravisse matrimonia cum impedimento affinitatis primi et secundi gradus contracta; ita ut si qui cum eiusmodi obstaculo contractum matrimonium etiam consummaverunt nil agant pro soliditate vinculi, sed omnino separandi sint.

**(1) Conc. Trid. Sess. 24. Cap. IV. de matrimonio**

il. Quamvis tamen ex iure indubium sit nulla evadere atque irrita cum praedicto impedimento contracta matrimonia; quoniam vero ius ex facto oritur, per coniuges iuridice evincendum esse (si matrimonium resolvere cupiant) se de facto, ante celebrationem eiusmodi contraxisse impedimentum , ut nullum ab Ecclesia illorum renuntietur connubium.

III. In quaestionibus matrimonialibus haud requiri semper eiusdem evidentiae probationem; si enim res sit de matrimonio contrahendo etiam dubium vel probabilitas attenditur ut impediatur; sin vero agatur de dissolvendo matrimonio iam contracto et consummato, requiruntur probationes undequaque certae et concludentes.

IV. Proindeque suspiciones, coniecturas, murmurationes, et viciniae rumorem haud astruere iuridicam plenamque probationem pro resolvendo matrimonio iam contracto; et in dubio stari solet pro validitate matrimonii: quia causae matrimoniales favorabiles sunt.

V. Nec ipsis coniugibus in foro externo fidem esse praestandam; tum quia nonnulli inter se colludere queant et facile ad incestus confessionem prosilirent si putarent Ecclesiam de plano per suum iudicium favere eorum votis ; tum quia non ita facile revelanti turpitudinem suam fides adhibenda sit (1).

VI. In themate haud videri quaestionem esse de iure sed de facto; ita ut ad eam prudenter enodandam satis fuisset evincere aut oppugnare existentiam copulae cum matre ante matrimonium cum filia peractum.

(1) Nobis arridens quod in suo voto clarus Theologus animadvertit relate ad impedimenta occulta; ideo in praxi putamus in casu impedimenti occulti satius per coniuges propriae provideri conscientiae, aptiusque publicum praecaveri scandalum si recursus habeatn' ad S. Poenitentiariam, et publicum vitetur iudicium: dum maxime sit difficultatis plenam conficere et iuridicam pro foro externo probationem.

Adeo clarum est ut vix aliquid clarius habeatur cum iis qui vivunt in fide et obedientia Ecclesiae Catholicae hanc sequendam esse regulam; scilicet foro interno eos esse super occultis impedimentis dimittendus. Quippe iuris publici in appendice *theologiae moralis* Gury typis S. C. de P. F. 1872 vol. 2. pag. 680. redditum fuit sequens decretum ad dubium cuiusdam Vicarii Apostolici editum a suprema Congregatione S. Officii; quo decreto non nova aliqua lex condita certe fuit sed explicata, quae- super hac re sive in Apostolicis Constitutionibus sanciuntur sive ex praxi Sacrarum Congregationum et stylo Curiae urbanae eruuntur, sive tandem a probatis doctoribus traduntur. Itaque feria IV. die 1 Augusti 1866. Emi illi Patres in hunc modum decreverunt. « Subreptitias esse » et nullibi ac nullo modo valere dispensationes, quae sive di- » recte ab Apostolica Sede, sive ex pontificia delegatione super » quibuscumque gradibus prohibitis consanguinitatis, affinitatis, » cognationis spiritualis et legalis, nec non et publicae hone- » statis conceduntur, si sponsi ante earumdem dispensationum » executionem, sive ante siva post earum impetrationem in- » cestus reatum patraverint, et vel interrogati vel etiam non » interrogati malitiose vel etiam ignoranter reticuerint copu- » lam incestuosam inter eos initam, sive publice nota ea sit, » sive etiam occulta, vel reticuerint consilium et intentionem, » qua eamdem copulam inierunt, ut dispensationem facilius » consequerentur. Sufficere autem ut unus ex sponsis delictum » hoc suum vel nefariam intentionem modo dictam expiraverit. » Quod profecto nedum a probatis AA. communiter traditur, sed » etiam a S. P. Ben. XIV. confirmatur in Constitutione quae » inc. *Pastor bonus* §. 41. 42. ideoque a Vicario Ap. et a » missionariis curandum esse, ut qui dispensationem in me-

moratis gradibus prohibitis petunt, prudenter quidem et pro personarum ac circumstantiarum varietate caute moneantur nullam esse quae eis conceditur dispensationem, si incestum invicem patraverint vel ea intentione patraverint, ut dispensationem facilius impetrarent, etsi vel delictum vel nefariam illam intentionem non manifestaverint. Ceterum regulariter non teneri Missionarios interrogare sponsos de hisce rebus ; posse tamen si id necessarium et opportunum iudicaverint. Certe cavendum est ne sponsi ad hanc confessionem importunis interrogationibus urgeantur, tum vel maxime, quod copulam si occulta permanserit, et secretam intentionem praedictam nemo teneatur in foro externo manifestare. Iis enim qui dispensationem in foro externo super gradibus prohibitis obtinuerunt cum reticentia copulae inter eos sequutae, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, vel cum expressione quidem carnalis copulae sed tacita occulta et malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius dispensationem obtinendam, aditus pateat ad forum conscientiae. Ipsi quidem recurrere possunt, suppresso etiam nomine, ad S. Poenit. vel ad S. Sedis Delegatum a quo dispensationem impetrarunt, vel eidem Delegato in foro conscientiae se sistere pro impetranda dispensatione, seu obtentae dispensationis revalidatione. Et hanc revalidationem in foro conscientiae auctoritate apostolica concedendam esse iuxta mandatum S. Poenitentiariae vel a Vicario Ap. a S. Sede delegato etiam per confessarium ab ipso deputandum, praevia absolutione in forma Ecclesiae consueta a quibusvis sententiis censuris et poenis ecclesiasticis , si quas ob incestum et excessus huiusmodi quomodolibet incurrerunt, quibusque actu innodati existant, nec non et ab incestu ipso et excessibus ut supra, iniuncta pro modo culpae salutari poenitentia. Quod si copula est publice nota, vel eam etiam sponsi in foro externo manifestaverint, absolutionem et dispensationem in eodem foro externo esse impertiendam. Caeterum quod spectat ad dispensationes hactenus in Vicariatu impétralas, et ratione praedictae reticentiae subreptitias ac nullas, attenta

» bona fide qua concessae et. obtentae fuerunt, non esse in-
» quietandos eos qui matrimonia ibidem contraxerunt ope
» huiusmodi dispensationum in praeteritum concessarum, us-
> que ad diem qua praesens rescriptum in manus Vic. Ap.
» pervenerit. Nihilominus consensus renovationem in casibus
> particularibus secreto et maxima profecto circumspectione
» et cautela ab ipsomet Vicario Apostolico curandam esse, si forte
» obvenerit ut aliqui hoc modo coniuncti in bona fide non sint,
» vel etiam, si sint in bona fide, Vic. tamen Ap. certe praevideat
» eos de nullitate sui matrimonii secreto adrnonitos consensum
» mutuum ultro libenterque esse renovaturos, quin ex eorum
» consensus renovatione ullum vel minimum scandalum aut
» alterius mali periculum immineat. Quod si qui sint qui de
» dispensationis et,matrimonii validitate dubitantes consensum
» suum renovare obstinate nolint, rem ad Apostolicam Sedem
» esse referendam, expositis accuratissime omnibus casus ad-
» iunctis.»

Ex hoc ergo decreto habemus regulam quam sequamur oportet. Et perperam ageret si quis notaret in eo non agi de impedimento ipso sed de adiuncto aliquo ipsum impedimentum comitante. Nam primo quid intersit quantum ad rei substantiam inter impedimentum dirimens, quo per praeviam dispensationem non sublato, matrimonium est nullum, et circumstantiam impedimenti qua reticita nec per dispensationem aufertur impedimentum^ plane fateor me nescire. Iam vero de ipsis impedimentis agit regula , quam S. C. de Propaganda Fide tradit hac super re missionariis his conceptam verbis.«Non
» esse cur missionarii (quidni et parochi et ordinarii?) tanta
» anxietate laborent de impedimentis ob consanguinitatem et
» affinitatem ecclesiastico iure inductis , quae post diligentem
» inquisitionem ignota remanere possunt.»

Imo evidens ratio demonstrat a fortiori magis locum esse regulae quantum ad ipsa impedimenta. Nam et minus incongruum erit interrogare dispensandus de re inter semetipsos; acta, quam de re acta ab alterutro eorum cum tertia persona ; ex eorum vero, si quam facerent, revelatione de facto

proprio orto scandalo et infamiae consulitur per subsequens, obtenta dispensatione, matrimonium; sed nulla ratione consulitur scandalo et dedecori tertiae personae quacum alteruter se peccasse fassus sit : neque pax coniugiorum et quies familiarum turbantur ex illorum adiunctorum notitia: at turbantur quam maxime ex notitia copulae illicitae ex qua ipsum impedimentum ortum habuerit. Sit igitur firmum regulam in praescripto eoque gravissimo decreto traditam locum sibi proprium et praecipuum habere cum agitur de occultis impedimentis. Ea scilicet nec in genere expedit nota reddi in foro externo, multo minus quis tenetur ea cuicumque in foro externo aperire ; sed eorum remotioni providetur per recursum ad S. Poenitentiariam , vel ad Apostolicum Delegatum , vel etiam, in quibusdam saltem casibus, ad Ordinarium (Vide Bened. XIV. de Syn. dioec. hb. IX. cap. 2. n. 1. et 2.). Et quilibet eo remedio indigens potest vel per se vel per quemvis sibi benevisum, aut per confessarium, aut per parochum vel per ipsam Episcopi Curiam , seu alio quovis modo litte ras dare proprio suppresso nomine , vel ad Cardinalem maiorem poenitentiarium, vel ad Sacram Poenitentiariam, vel ad ipsius sacri tribunalis officiales , vel ad amicum qui eas tradat in S. Poenitentiaria. Hoc pacto sibi quisque consulere potest absque ulla expensa, cum S. Poenitentiariae Ministri nec aliquid quamvis minimum , nec etiam sponte oblatum unquam recipiant ; et gratis omnia exhibentes serena fronte complectantur. Modi autem **Ot** formulae recurrendi seu supplicandi prostant omnibus in quovis compendio Theologiae moralis , cum unica advertentia ut exposito casui addatur quo et ad quem responsa mitti ex officio debeant, nisi quis ea in ipso S, P. officio recipere velit. Et dispensatio vix umquam aut ne vix quidem negatur super matrimonio contrahendo , adducta aliqua causa rationi consentanea, quae nusquam deest : at causa eiusmodi semper probatur, cum res est de contractis matrimoniis et palam celebratis. Etenim matrimonia vix ulla dissolvi possunt , quin gravissima mala subsequantur, quae sane dispensatione impedienda sunt. Ei dis-

perisatio tribuitur hac ratione non modo si impedimentum sit omnino occultum , sed et si paucis notum sit ; r ss enim adhuc occulta censetur etiamsi in oppido nota sit quinque aut sex personis , in civitate vero septem aut octo, modo scilicet ab illis non fuerit divulgata. Et cum dispensatio nonnisi in foro sacramentali , scilicet in Sacramento Poenitentiae executioni tradenda sit, totum negotium agitur tamquam pars et appendix fori sacramentalis ita ut illud fere per omnia imitetur, maxime vero in duobus, nempe primo ut plena fides habeatur instanti sive pro se sive contra se referat ; ita tamen ut assertiones eius pro foro externo, sub modo tamen infradicendo ,'"' nec prosint nec obsint, imo nec allegari nec adduci possint sine manifesta inhonestate et iniuria : deinde ut tota res omnimodo ac nonnullis in casibus frangendo silentio , ab omnibus et singulis manum admoventibus perfici debeat, litteris tandem quibus dispensatio indulgetur, laceratis a confessario post executionem vel destructis, ita ut nullum earum exemplum extet, idque sub poena excommunicationis latae sententiae. Quod si contingeret aliquando etiam post contractum in vim talis dispensationis matrimonium , ut impedimentum ex occulto fieret publicum, possit Ordinarius loci eos separare a toro : sed in foro conscientiae isti sunt veri coniuges, quia vere fuerunt legitime dispensati in vim litterarum S. Poenitentiariae quoad forum conscientiae; et sic si tempore separationis, remoto scandalo, debitum sibi ad invicem redderent, nullum peccatum committerent, quia per secretam dispensationem S. Poenitentiariae vere esset sublatum impedimentum tunc occultum. Imo Episcopus, iudex, parochus moniti secreto a confessario, qui Poenitentiariae litteras executioni mandavit, intercessisse Poenitentiariae dispensationem, debent omnino testimonio confessarii acquiescere, nec ullam afferre illis molestiam qui dispensationem eo modo sibi comparaverunt. Adeunda de his omnibus Institutio ecclesiastica 87 Lambertini ex quo fonte haec pauca derivarunt. Quibus illud tandem addendum est, revalidationem matrimoniorum palam celebratorum, quae ex impedimento occulto nulla

fuerint , non modo numquam denegari, ut iam supra dicluni est, sed et facilis esse executionis nec semper opus esse ut utrique coniugi nota fiat, multo vero minus parti impedimenti insciae, dummodo huius consensus ab initio, scilicet cum matrimonium publice contraheretur, praestitus perseveret. Neque id solum quando intervenit auctoritate apostolica *sanatio in radice*, quae hodie fortassis frequentius conceditur^ sed et cum ordinaria S. Poenitentiariae dispensatio data fuit, locum habere posse tradit S. Alphonsus doctor egregius Theologiae Mor. lib. VI. Tr. VI. n. 1115. et seq. imo hodie ad invalidationem talium matrimoniorum vix opus est recursus, et satis erit confessionem sacramentalem facere confessario qui obtinuerit a S. Poenitentiaria facultates quae *a terdecim casibus* nominantur. Nam inter illas facultates (quae non modo cuilibet Episcopo etiam communicandae conceduntur, sed et cuilibet Parocho petenti, imo cuilibet confessario ab Episcopo commendato tribuuntur) etiam sequens his concepta verbis reperitur « XII. Dispensandi super occulto impedimento » primi nec non primi et secundi tantum gradus affinitatis » provenientis ex illicita copula, quando agatur de matrimo- » nio cum dicto impedimento iam contracto ; ita tamen ut si » huiusmodi affinitas proveniat ex copula cum matre despon- » satae, nativitas desponsatae copulam ipsam antecedat ; mo- » nito poenitente de necessaria secreta renovatione consensus » cum sua putata uxore vel suo putato marito, certiorato seu » certiorata de nullitate prioris consensus , sed ita ut caute » ipsius delictum numquam detegatur ; et quatenus haec cer- » tioratio absque gravi periculo fieri nequeat renovato con- » sensu iuxta regulas a probatis auctoribus traditas ; remota » occasione peccandi, atque iniuncta poenitentia salutari, et » confessione sacramentali semel in mense per tempus arbitrio » suo statuendum. » Ex quo praescripto utendi facultate modo apparet resolutum fuisse doctrina probatorum auctorum et maxime S... Alphonsi supracitati punctum gravissimum circa quod haesit Lambertinus in praedicta Institutione.

# SUPER ELEEMOSYNIS MISSARUM

***Die 24 Aprilis 1875***

*Sess. 22 Decr. de abserv. et vit. in celebr. Missarum.*

Meminerint lectores die 25 Iulii superioris anni S. Concilii Congregationem plura resolvisse dubia *super Eleemosynis Missarum* (1). Resolutiones tunc primum editae novas excitarunt dubitationes pro peculiaribus quibusdam casibus, ex variis locis et personis eidem S. Congregationi ut dirimerentur oblatas. His aliisque eamdem materiam respicientibus simul collatis, et in conventu diei 24 Aprilis sub relato titulo propositis, opus absolutum est. Praestat singulas species, et praecipua cuiusque speciei argumenta innuere.

## FACTORUM EXPOSITIO.

**1.** In Dioecesi T. percelebre adest Sanctuarium B. Mariae primaevae labis experti dicatum , quo innumeri quotidie peregrinantur , et pro Missis quas relinquunt celebrandis, stipendium tradunt quod commune ut plurimum excedit. Ordinarius videns fieri non posse ut tot Missae in Sanctuario persolverentur, alio eas celebrandas mittebat retenta pro Sanctuario quarta parte eleemosynae ; ratus fideles pinguiora stipendia largientes, sanctuarii expensis ac decori consultum voluisse. Quotidie sed pro omnibus offerentibus unam Missam in Sanctuario celebrandam praeceperat. Dein quartam partem eleemosynarum non modo Sanctuarii necessitatibus, sed etiam

(1) Vide Fasciculum TP' Vol. VIII. pag. 10?.

clerici? pauperibus alendis addixit. Tandem anno 1873 a S. Concilii Congregatione petiit ut hanc agendi rationem ratam haberet: rescriptumque accepit - *praevia sanatione quoad praeteritum, ac celebrato maiori qui fieri potest, Missarum numero in designata, Ecclesia, pro gratia translationis reliquarum, cum facultate de earumdem eleemosyna, quatenus unum Francum exsuper et, retinendi medietatem portionis illius quae Francum eumdem excedat, in expositam causam sub Episcopi dependentiam fideliter erogandam, arbitrio ei conscientia eiusdem docto ad quinquennium.* -

At insequenti anno retulit idem Episcopus non leves oriri difficultates in divisione residui ultra Francum : postulavitque ut Sacerdoti celebranti communis loci taxa, idest Franeus unus assignaretur : reliquum vero si quinque Francos excederet , Sanctuario cederet, si quinque Francos haud superaret, pro uno dimidio Sanctuario et pro altero dimidio maiori et minori Seminario et Dioecesanis Collegiis addiceretur. Arguebat namque Episcopus T. quidquid communem et manualem eleemosynam lege Dioecesana statutam superat, praesumi a fidelibus oblatum non presbyteris alio celebrantibus , sed Sanctuario ipsi et communi Ecclesiae bono. Monebat insuper duplex se habere in sua Dioecesi Seminarium et duo Ecclesiastica Collegia ad nongentos usque alumnos recipiendos: reditus vero hisce educationis domibus sustentandis impares esse omnino. His accedere nonnisi per propositam eleemosynarum erogationem, attenta Dioecesis paupertate, excipi posse incolarum loci A. petitionem, ut proprium Collegium quod municipale hodie est, Ecclesiasticum fiat.

Demum ne pia oblatorum mens laudaretur , proponebat eos commonendos esse de usu partis eleemosynae Synodalem taxam superantis.

2. Archiepiscopus L. narrabat : ad Sanctuarium Mariae Virginis F. confluere magnam Missarum celebrandarum eo • piam, quarum taxa ad duas gallicas libellas pro eo loco statuta est. Sanctuarii Capellanos si ibi celebrent integram taxam percipere : dum e contra exteri presbyteri ibi pariter celebrantes, libellam unam et cent. 25 percipiunt. Sed multas semper su-

peresau Missas quae infra annum litari nequeunt, quarum decem millia traduntur Archiepiscopo. Hunc vero totidem alibi celebrandas committere, tradita unius libellae eleemosyna: proindeque in eius manibus superesse quotannis libellarum decem millia quas ipse impendit pro supplenda Capellanorum Cathedralis Ecclesiae sustentatione. Demum alias Missas quae infra annum in Sanctuario absolvi nequeunt, tradi Curiae Episcopali alio celebrandas : detracta prius e singulis una libella, per Sanctuarii Rectorem in expensis cultus atque pro alendis poenitentiariis fratribusque qui Ecclesiae et Sacrarii curarti gerunt eroganda. Animadvertebat insuper anno 1864, qui tunc temporis Archiepiscopus erat, renovationem facultatis tali modo agendi postulasse : quam , licet authenticum exemplar non reperietur, pro certo tenebatur pluribus antea annis a Pontifice fuisse concessam: et rescriptum obtinuisse *«praevia, quatenus opus esset, sanatione quoad praeteritum. »*

Petebat itaque rescripti huius confirmationem ad aliud decennium.

3. Superior Monasterii T. provinciae B. exponebat octo iam ab annis se stipendia Missarum accipere consuevisse, et dimidiam vel etiam maiorem partem retinere pro nova fundatione Monasterii in iisdem regionibus : reliquam vero partem tribuere Sacerdotibus celebrantibus, qui consentientes ea contenti erant. Hoc bona fide se egisse affirmabat ex persuasione Abbatis qui retinebat proprium Ordinem privilegio frui pro novis fundationibus Missarum eleemosynas tali modo colligendi atque erogandi. Modo autem cum in dubitationem incidisset, petebat tum sanationem et absolutionem a censuris quoad praeteritum, tum huiusmodi privilegii concessionem pro Monasterio iam existente et pro aliis inchoatis, tum demum facultatem recipiendi Missas etiam pro quinque mensium spatio solvendas. Petitiones fulciebat attestatione Procuratoris Generalis asserentis « *omnes in illis regionibus novas fundationes ex eleemosynis solummodo oriri et prosperari posse.* »

Tandem aliis oblatis precibus addebat : pro Missis iam celebratis viginti Austriacos obulos se presbyteris dedisse : su perfluum tamen determinare non posse, cum Missarum nu-

meruij' tantum, haud vero stipendium acceptum adnoiavisset. In praesenti prae manibus habere Missas quam plurimas, quarum numerum notaverat consuetumque viginti obulorum stipendium pro unaquaque : non autem varia stipendia reapse sibi tradita : precabaturque celebratarum sibi concedi celebrandaemque missarum excedentis stipendii condonationem.

4. Episcopus C. in sequelam memoratarum resolutionum diei 25 Iulii 1874 exponebat, se suae Dioecesis Sacerdotibus prohibuisse « ne imposferum quoscumque libros vel quaelibet » diaria acciperent vel peterent ab Ecclesiasticis vel Ephemeridum moderatoribus qui pro Missis celebrandis eleemosynarum loco ea traderent.» .... Sed dubitatum fuisse « an » vere in praelaudatis resolutionibus comprehensum fuerit huiusmodi vetitum » ideoque bina proponebat dubia.

I. « An illicite agant ii qui cum non sint bibliopolae nec » mercatores, vel aliter Missarum celebrandarum quaesitores, » verum Ecclesiastici viri quibus sponte a fidelibus Missarum » celebrandarum eleemosynae traduntur, quique ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda , eas celebrandas offerunt Sacerdotibus, ut inde hi accipiant stipendii loco Iibros vel ephemerides ? »

II. « An illicite agant huiusmodi Sacerdotes , qui vel iis » oblatas a supradictis Ecclesiasticis Missas acceptant, vel ipsi » eas petunt celebrandas , ut inde queant, *pro Missis iam » celebratis* earum stipendii loco libros vel diaria acceptare vel » petere, cum ipsi aliunde sciant aut sibi persuadeant aliter » non obtenturos easdem Missas pro effectiva eleemosyna celebrandas ? »

5. Administrator huius iatinae Ephemeridis *Acta S. Sedis* et ipse ad S. Concilii Congregationem exposuit, quidquid ex eiusdem ephemeridis venditione hauritur lucri, impendi pro Collegio Missionum Apostolicarum a SSmo D. N. nuper in Urbe erecto: cumque plures frequenter sibi praesto sint eleemosynae Missarum, has celebrandas huc usque commisisse Sacerdotibus, qui vel nomen Ephemeridi dederant vol Editionem Manualem Commentaria in Apostolicam Constitutionem *Apostolicae Sedis* a bo: me: Petro Avanzini exarata coemerant : tali tributo elee-

mosynarum numero, qui pretium rei aequaret, nihil retento. Verum cognitis memoratis S. Congregationis resolutionibus, ne quid illicitum admitteret, huiusmodi methodum se intermisisse : licet inde magnum Pia Institutio incommodum ferret. Quapropter et ipse institit ut declararetur, an eamdem viam imposterum sequi tuto posset.

6. Moderator Mediolanensis Diarii « *Le Missioni Cattoliche bollettino settimanale illustrato* » ut suae et sociorum quieti consuleret, narrabat: Sacerdotibus Missarum stipendio carentibus qui secus ob paupertatem diario nomen dare nequirent, tot se Missas advëntitias celebrandas committere (quas saepius habet distribuendas) quot diarii pretio respondeant ; integra penitus eleemosyna computata, et habita postmodum de Missis celebratis authentica fide. Ipse etiam petebat an eadem ratione prosequi posset. Mediolanensis Archiepiscopus de more sciscitatus, factorum expositionem confirmavit, diariique utilitatem commendavit.

## ANIMADVERSIONES EX OFFICIO.

Quoad 1um et 2um scilicet quoad Episcopum T. et Archiepiscopum L. eorum casus folii Extensor censebat comprehensos in dubio inter alia proposito die 25 Iulii 1874 sub numero octavo atque ita concepto : « *An liceat Episcopis sine speciali S. Sedis venia ex eleemosynis Missarum, quas fideles celebrioribus Sanctuariis tradere solent, aliquid detrahere ut eorum decori et ornamento consulatur, quando praesertim ea propriis reditibus careant* » cui quidem dubio responsum est «*.Negative nisi de consensu oblatorum*» ideoque arguebat tunc tantum iisdem Episcopis licere ex Missarum eleemosynis aliquid detrahere , cum fideles in id consenserint : secus S. Sedis veniam esse implorandam. Nam in eleemosynis Missarum largiendis mentem esse fidelium ut sacerdotibus Sacrum facturis eae ex integro tribuantur : eosque stipem communi pïnguiorern offerentes ampliorem ex sacrificio fructum haurire velle ex S. Alphonsi theoria. Itaque stipis distractionem quamlibet in alium usum licet pium, mentis cf-

ferentium commutationem secumferre ; eodem modo quo commutatio adest cum celebratio in loco ab oblatoribus haud designato perficitur Iamvero voluntates commutare ad Pontificiam potestatem privative pertinere, cui Deus Ecclesiae Thesaurum commisit ex eoque supplere potest si quid ex Eucharistici Sacrificii fructu detrahi contingat. Enimvero cum uterque Episcopus ad Pontificem confugerit videndum an causae adessent ut eorum preces admitterentur : vel conditio adiicienda esset ut fideles praemoneantur de augmento eleemosynae in praefatos usus distrahendo, prout proponebat Episcopus T. et prout in morem esse S. C. C. eruitur ex Benedicti XIV. instit. Eccl. 56 N. 14(1).

De Superiore Monasterii T. Provinciae B. animad ver tebat casum hunc esse quo quis Missas colligit ut aliis celebrandas tradat eleemosynae parte retenta , quod prohibitum est ex Decretis Urbani VIII. et Innocentii XII. ad *Septimum* et ex Constit. Benedicti XIV. diei 30 Aprilis 1741 quae incipit *Quanta Cura,* et tandem ex percelebri constitutione SSmi D. N. edita quarto Idus Octobris 1869 quae incipit *Apostolicae Sedis* Sect. 2. N. 12. (2) eaque decreta S. Concilii Congregationem constanter servasse. Bonam fidem illi suffragari ut absolutionem et sanationem quoad praeteritum consequatur, sed expendendum esse an et in futurum eamdem viam ac rationem ipse sequi valeat.

Iamvero ex una pane postulanti opitulari utilitatem quae ex agendi methodo piae institutiones hauriunt, ut populis

**(1) Benedictus XIV loco citato ita loquitur « Si tanta pecunia (in aliqua » Ecclesia vel altari) pro Missis cèle» brandis in his conferatur, ut infra » praescriptum tempus absolvi nequeant » in illa Ecclesia vel Altari, quemadmo» dum stipendium conferentes expostu» lant, per S. C. Concilii praecipi solet, *n* ut palam in Templo tabella exponatur, * quae declaret, in ea Ecclesia sen Al» tari infra certum tempus sacra quae »ficri poterunt, conficienda osse: quae » superennt, in alia Ecclesia seu in di» verso Altari eiusdem Ecclesiae cele» branda. Hoc pacto, qui eleemosynas » tribuunt, universa perspecta habebunt, » et pietati facilius obsecundare pote» runt, prout ipsis libuerit »**

**(2) Vide fasciculum 6 vol. 5 pag. 295. Adnotationes ad hanc paragraphum a bo : me: Petro Avanzini diligenter elucubratas reperies in editione Manuali Commentarii *l)e Constitutione Apostolicae Sedis* sub Nota 34.**

ineultis Catholica Religio affulgeat : iidemque ad eam amplectendam alliciantur. Cui accedit quod Sacerdotes , qui celebrant, minori stipendio contenti sunt, totque sacra peraguntur quot fideles committunt.

Ex alia parte prae oculis habenda esse quae tradit S. Alphonsus *Ap. Moral, lib 6. Num. 322.* « Sacerdotem cele-
» brantem non aliter acquirere dominium eleemosynae , nisi
» iuxta voluntatem dantis, qui non solum vult ut Missa ce-
» lebretur, sed ut celebretur tali stipendio : cum enim pin-
» guem tradit stipem , ea intentione dat, ut uberiorem fru-
» ctum ex Missa celebranda percipiat ; sequitur, ut qui ,
» tradito minori stipendio , per alium celebrare facit , peccet
» contra iustitiam: non quia defraudat fructu Missae dantem
» eleemosynam , sed quia non exequitur dantis intentionem,
» qui vult, ut illa Missa unde percipit fructum tali modo ce-
» lebretur ; et quia huiusmodi intentio intrat in substantiam
» contractus , ideo si Sacerdos partem stipendii retinet, in-
» iuste contra dantis voluntatem retinet. » Quibus accedere, 1. Sacerdotes celebrantes ex iis esse qui Missas celebrandas ordinarie non habent, ac nisi diminutum stipendium reciperent nihil obtinerent: quamobrem praesumi nequire eos libere ac sponte stipendii partem Monasterio cedere: 2. ob Missarum celebrandarum cumulum ingentem, nec locum nec tempus ab offerentibus designatum servari posse : 3. Missarum collectionem multis variisque e locis privata auctoritate peractam , a citata Constit. Benedicti XIV. quae incipit « *Quanta Cura* » solemniter improbari ; quia deformitatem quamdam ac turpitudinem continet : 4. hac agendi methodo novum quoddam negotiationis genus induci, tum ratione *personae* tum ratione *materiae* piaculo obnoxium: 5. S. Sedem excommunicatione maiori ipso facto incurrenda mulctasse Ecclesiasticos vel Missionarios, qui in locis Missionum sub quovis praetextu cuicumque negotiationi operam navant Urbanus VIII. in Constit. *Ex debito,* Clemens IX. in Constit. *Sollicitudo* diei 17. Ianuarii 1669.

Ex his proponebat petitam in futurum facultatem haud esse concedendam.

Quaestiones attingens de Missarum eleemosynis in libros vel diaria acquirenda erogatio, quae amplectebantur tum Episcopum C. tum Administratorem huius Ephemeridis, tum Moderatorem Mediolanensis Diarii « *Le Missioni Cattoliche* » eas expendebat ex parte Sacerdotum celebrantium, et ex parte Moderatorum vel Administratorum Ephemeridum. Primis censebat praesto esse dubium *Sextum* Sacrae Congregationi superiore anno propositum quod habebat « An illicite agant ii qui pro » Missis celebratis recipiunt stipendii loco libros vel alias mer- » ces seclusa quavis negotiatione vel turpis lucri specie.» Responsum namque fuit huic dubio « Negative. » Alios pro se habere S. Poenitentiariae resolutionem diei 6 Octobris 1862 qua dubium « Moderator cuiusdam diarii religiosi a S Poe- » nitentiaria postulat, utrum tuta conscientia suum diarium » dare possit Sacerdotibus ea conditione ut celebrent nume- » rum Missarum respondendum prefio quod ab aliis pro dia- » rio solvitur ? » dimissum est per responsionem « Affirma- » tive dummodo Missae celebrentur. »

Suam vero opinionem pandens , aiebat huiusmodi resolutiones in abstracto egregias, non omnes dirimere dubitationes quae in concreto oriri solent, praesertim pro diariorum moderatoribus vel administratoribus. Etenim ex parte Sacerdotum celebrantium, cum quisque, Missis celebratis, eleemosynarum dominus fiat, easque in quos voluerit usus erogare possit ; indubium esse eos licite agere, dummodo quaevis negotiationis vel turpis lucri species seclusa sit. Hanc conditionem necessariam esse: nam si Sacerdotes celebrantes pro certo scirent (certa scientia requiritur ; quia praesumptio vel supposito simplex haud sufficerent ad complicitatem constituendam) a diariorum moderatoribus eleemosynarum negotiationem fieri, et ipsi turpi mercimonio cooperarentur. Et revera licitum esse libros, cibaria aliasque merces pro eleemosynis Missarum dare et accipere, communiter tradi : ac praesertim ex Reiffenst. lib. 5. Dec. tit. 3 § 10. De Simon. N. 204 seq. Diaria autem optima Sacerdotibus maximae utilitatis esse in tanta errorum colluvie quae divina et humana iura in Draesens audacissime impetit.

Rem haud similiter procedere pro diariorum moderatoribus vel administratoribus. Certum namque esse eos licite agere, si offerentes consentiant ut per sacerdotes diariis nomen daturos celebratio expleatur. Sed non raro accidere ut ad eos perveniant quoque Missae perpetuae, et quandoque ex dissitis regionibus : quo in casu nisi fundatores permiserint quovis loco et tempore eas celebrari, de celebratione disponendi facultatem non habent, non enim eleemosynarum sunt domini. His accedere, quod ut petentibus satisfaciant, ingentem quandoque eleemosynarum acervum congerunt ; et hoc improbat Benedictus XIV. in Constitutione quae incipit *Quanta Cura.* Etenim aliis praetermissis incommodis, frequenter accidere ut obligationibus susceptis intra breve tempus satisfacere impossibile fiat. Quod quidem breve tempus in missis manualibus cuín S. Alphonso Morales Theologi ad duos menses coarctare, si agatur de singulis sacerdotibus quibus celebratio committitur: si dè Ecclesiis vel Sanctuariis quae aliis Missarum oneribus gravantur, unum mensem non egredi ad statutum per S. Congregationem Concilii die 17 Iulii 1755 (1).

His hinc inde praenotatis proposita fuerunt sequentia

## Dubia

I. *An et quomodo annuendum sit Episcopi T. precibus in casu.*

II. *An et quomodo annuendum sit Archiepiscopi L. precibus in casu.*

III. *An et quomodo concedenda sit Superiori T. provinciae B. sanatio et absolutio quoad praeteritum pro Missis tam celebratis quam celebrandis in casu.*

(1) S. Congregationi Concilii die 17 Iulii 1755 dubium propositum fuit « Cum » in declaratione Undecimi impressa n super decretis de celebratione Missali rum permittatur receptio aliorum one- » rum Missarum celebrandarum , dum- » modo infra modicum tempus possit » omnibus satisfieri hodie nonnulli su- » periores regulares, pro conscientiarum, » ut inquiunt, quiete, denuo quaerunt:- » an dictum modicum tempus celebrandi » Missas reputetur tempus duorum vel » trium mensium - et resolutio prodiit: » Modicum tempus intelligi infra mea- » sem. -n

**IV.** *An et quomodo annuendum sit eiusdem Superioris precibus.*

V. *An et quomodo sustineatur Decretum Episcopi C. absolute prohibens Sacerdotibus suae Dioecesis ne libros vel diaria religiosa pro Missis celebrandis vel celebratis recipiant.*

VI. *An et quomodo improbandi sint moderatores vel administratores diariorum religiosorum, qui Sacerdotibus Missas celebrandas committunt, retento ex earum eleemosynis pretio diariis ipsis respondente in casu.*

Et quatenus affirmative.

VII. *An et quomodo concedenda sit sanatio et absolutio quoad praeteritum, et facultas quoad futurum, iis religiosarum Ephemeridum moderatoribus vel administratoribus, qui supplicem ea de re huic S. Congregationi libellum dederunt in casu.*

RESOLUTIO. Sacra Congregatio Concilii rebus mature perpensis respondit.

Ad **I.** *Affirmative : commonefactis oblatoribus de translatione, de dilatione celebrationis Missarum, ac de usu excédents eleemosgnae facto verbo cum SSmo.*

Ad II. *Affirmative ad decennium: a die et ad formam praecedentis indulti et ad mentem* « Mens est quod scriba- » tur Archiepiscopo ut elapso decennio moneantur oblatores > *facto verbo cum SSmo.*

Ad III. *Affirmative; celebrata una Missa cum cantu, ad' sistente universa communitate; facto verbo cum SSmo.*

Ad IV. *Negative nisi agatur de Missis sponte oblatis, monitis oblatoribus ut in primo dubio, facto verbo cum SSmo.*

Ad V. *Reformato dubio « An et quomodo respondendum sit Episcopo C. in casu» Negative in omnibus ad utrumque.*

Ad VI. *Negative : dummodo nil detrahatur fundatorum vel oblatorum voluntati circa stipendii quantitatem, locum, ac tempus celebrationis Missarum, exclusa quacumque studiosa collectione Missarum, et docto cui de iure de sequuta Missarum celebratione, facto verbo cum SSmo.*

Ad VII. *Provisum in praecedenti : et attentis peculiaribus circumstantiis pro gratia dilationis celebrationis, non ultra tamen sex menses, facto verbo cum SSmo.*

Ex **HIS COLLIGES.**

I. Vetitam esse quamcumque dispositionem circa eleemosynas Missarum citra oblatorum mentem susceptam.

II. Quoties vel translatio vel dilatio celebrationis vel partis eleemosynae taxam excedentis in pios usus conversio opportuna ac utilis videatur, toties oblatores de huiusmodi commutationibus esse admonendos.

III. Eos omnes qui proprio marte sed bona fide secus egerint , absolutionem quoad praeteritum ac sanationem petere debere.

IV. Ecclesias!icos viros, quibus sponte a fidelibus Missarum eleemosynae traduntur, quique ad bonos libros vel diaria religiosa evulganda intendunt, quoties Sacerdotibus libros vel diaria quaerentibus Missas celebrandas committunt ac stipendii loco libros vel diaria tradunt eleemosynis retentis, illicite non agere.

V. Vicissim Sacerdotibus Missas sibi commissas celebrantibus licere stipendii loco libros religiosos ac diaria accepto habere.

Vi. Ephemeridum moderatoribus vel administratoribus permitti eamdem agendi rationem sequi, dummodo non obsit fundatorum vel oblatorum voluntas, exclusa qualibet studiosa Missarum collectione, nec noa docto cui de iure de sequuta Missarum celebratione.

VII. Celebrationis dilationem ultra sex menses numquam esse protrahendam.

# APPLICATIONIS MISSAS

*Die 22 Maii 1875.*

Decanus Ecclesiae Cathedralis O. **Sanctissimo** haec exposuit « In Ecclesia Cathedrali anno Domini 1732 die 9 Men- » sis Iunii fundata fuit Missa sic dicta - *Rorate* - cum cantu » et organo per Adventum Domini diebus Dominicis, festivis- » que exceptis. » Talis autem est fundationis tenor : « Nos » Praepositus Decanus, Senior, universique Capitulares Eccle- » siae Cathedralis hoc loco testamur, affirmandus, notumque » esse volumus pro nobis, successoribusque nostris venerabi- » lem Dominum Ditericum Henricum de Nehem ex Gonder- » mïhlen, Ecclesiae Cathedralis huius loci Canonicum Senio- » rem 800 Thaleros ad hunc finem legavisse, ut inde pro- » venientibus usuris annuis in Adventu D. N. **I.** C. quovis » tempore matutino, hora septima, diebus tamen Dominicis, » festivisque exceptis, sicut usque adhuc factum est, Missa » *Rorate* sive Adventus cum cantu et organo in nostra alta » Ecclesia Cathedrali peragatur, et b. m. Georgium Klecker » Vicarium iubilarium praefatae Ecclesiae tenore testamenti > ab eo constituti id efficere intendisse, ut haec devotio in » perpetuum permaneat, et id interire non posse: nos ad hunc » finem cum infra conscriptis exequutoribus commemorati » Vicarii Klecker irrevocabiliter condixisse et convenisse:

» I. Nos suscipimus pro nobis, successoribusque nostris cu- » rare ut m Adventu D. N. L C. praefato tempore matutino » hora septima in honorem Iesu Christi, ejusque Ma+fis Ma- > riae semper Virginis cum cantu et organo celebretu *>*A* » quae ad hoc necessaria sunt comparentur, et reddantm

» II. VI. Sequitur delegatio atque assignatio summae qua- » draginta thalerorum per singulos annos, ex qua summa » deductis oneribus pro singulis celebrationibus huius Missae

» Stipendium ordinarium (decem grossi borussici pares libellae
» uni cent. 25) ut pro Missa privata non cantata ministratur.

» Jamvero dubium Capitule Cathedrali ortum est num
> haec Missa *Rorate* dicto modo fundata debeat applicari.
» Nam alii ex antecessoribus ob sibi factam traditionem de
» non applicando bona fide applicationem omiserunt, alii ex
» tutiori applicaverunt.

» Quare ad tollendum dubium , ut certa Capitulo O. a
» S. Sede Apostolica reddatur sententia, humillime Capitulum
» petit.»

Acceptae a S. G. Congregatione preces ad Episcopum remissae sunt hoc rescripto : *Episcopo pro informatione et voto auditis Capitulo, aliisque, si qui sint, interesse habentibus.*

Informatio autem ab Episcopo data .his verbis expressa fuit: « Ante restitutionem huius Capituli pene «singuli quibus
» officium, de quo agitur, incumbebat, Missam *Rorate* appli-
» cavisse videntur, sicut et ego ipse eam per 28 annos ap-
» plica vi; accuratam autem fundationis notitiam non habuisse
» videntur. Ast re nunc diligentius perpensa fundatio anno
» 1732 facta nihil aliud intendisse videtur nisi ut Missa,
» quae jam antea in usu erat *solemniter cum cantu et or-*
» *gano* fieret et in hunc tantum finem celebranti pro majo-
» ri opera 10 grossos, qui pro solemni Missa cum applicatione
» non sufficerent constituisse. Itaque et ego nunc puto a fun-
» datione dictae Missae applicationem non postulari.

» Num autem Missa quae iam antea *sine cantu* celebrabatur,
» vel ob quamdam fundationem vel ex officio forte iam ap-
» pii canda fuerit, de hoc sententiam proferre non audeo. »

Habita hac responsione S. C. iterum rescripsit : « Eidem
» Episcopo , qui adhibitis ulterioribus diligentiis referat an
» Missa de qua in precibus ante fundationem anni 1732 ex
» aliquo titulo applicari debuerit, ac transmittat, quatenus ex-
» tent, particulas tum testamenti Georgei Klerker, tum te-
» stamenti Diterici Henrici Nehem ex Gondhermihlen , quo
» legati fuerunt 800 thaleri. »

Adamussim retulit Episcopus « testamentum Diterici Hen-
» rici de Nehem multimodis indagatum non potuisse inveniri.»
Quare omnino nescio quid iuxta testamentum de Nehem in re, de qua agitur, decernendum, vel supponendum sit. Caeterum « Vicarium Klezker in sua dispositione nihil aliud in-
» tendisse videri nisi ut fundatio Nehem scil. Missa *Rorate*
» iam tunc *musicaliter* celebranda et reapse musicaliter ce-
» Iebrata cum suo fundamento (800 Thr.) melius et optime
» elocando in perpetuum salvaretur, et inde quotannis 40 thr.
» provenirent, et in hac re prius mihi minus cl ira quodam-
» modo me corrigam oportet. Celebrans pro qualibet Missa
» (cantata) nonnisi 10 grossos (lib. 1 §) ex fructibus legati
» percipit. Residuum Organistae (huic soli 20 f thal.), cu-
» stodibus, Emonitori, iuvenibus et Choralibus attribuitur.
» Cur celebrans nonnisi illud minimum percipiat, non potui
» comperire. Fortasse res ita ordinata est, ut Organistae re-
» ditus valde modicus aliquo modo augeretur. »

Hisce acceptis literis, die 9 Januarii 1875 decretum editum fuit « *Per Summaria precum.* »

**Disceptatio gynopti«a.**

Dubium, imo obscurum apparet, utrum applicationis onus a fundatore fuerit impositum veluti ex tenore fundationis eruitur. Quamobrem ad tramites iuris tum civilis, tum canonici contra fundatorem interpretatio facienda videretur. Ita *lex 45 ff. de regat, iuris* « ibi » *Contra eum , qui legem dicere potuit apertius est interpretatio facienda.* »

idque eo vel fortius praesumendum foret, quia fundator illud oneris in themate adiecit, ut *quovis tempore matutino hora septima* Missa celebraretur. Porro S. Congregatio passim docuit applicationem haud fuisse demandatam, quando Missa fundata fuit cum onere celebrationis in Ecclesia, et hora determinata. Ita *in Collen, app'icaticnis Sacrificii 17 D-cembris 1679 lib. 40 decret. In Fricaseinen. applicationis Sacrificii 18 Iulii, et 8 Augusti 1711 lib, decret, fol. 332.*

*et folr 358.* Et, tandem in *Mantuana applicationis Sacrificii 19 Novemb. 1718.*

Neque difficultatem facessit, quod Rmus Episcopus retulerit ante restitutionem Capituli singulos, quibus hoc officium incumbebat Missam applicavisse; subdit enim inde , quod re diligentius perpensa putat applicationem a fundatione non postulari.

Praeterea si animadvertatur tenuitas retributionis, pro dicto Sacrificio solemniter peragendo cum cantu, applicationis onus haud impositum fuisse dici posset. Ait enim Episcopus 10 grossos pro solemni Missa cum applicatione non sufficere.

Verumtamen altera ex parte haec animadverti posse videntur. Monet lex 114 de regulis iuris « *In obscuris inspici solet, quod ver o similius est, aut quod plerumqne fieri solet.* Cui concinit ius canonum *cap. 45. de reguL iuris.* Porro verosimilius est eum, qui Missam fundavit et onus celebrandi Missam imposuit, voluisse eamdem sibi applicari. Huiusce regulae iustitiam, et aequitatem amplexa est S. C. Congregatio ceu refert Bened. XIV *de Sacri f. Missae lib. 3 cap. 9. num. 2.*

Cum itaque in themate Missae celebratio demandata fuisse videatur , ceu tenor fundationis innuit, sponte veluti sua fluit et onus applicationis adiectum fuisse. Eo vel magis quod praxis aut constans aut saltem fere constans eorum qui Missam in quaestione celebrarunt huic sententiae suffragari videtur. Siquidem O. Episcopus a S. C. C. interrogatus respondit sub die 9 iul. 1874. « Ante restitutionem huius Capituli pene singuli, quibus officium, de quo agitur incumbebat Missam « *Rorate* » applicavisse videntur, sicut et ego ipse eam per viginti octo annos applicavi. » Quamobrem ex accurata istorum consideratione descendit tum praesumptionis principium rei dubiae in praesenti quaestione, tum etiam praxim diuturnam eorum quorum interest, suadere obligationem applicationis in casu. Roganti autem Sac. Congregationi Episcopum ipsum ut proferret documenta authentica fundationis istius Missae, si quidem ex iis aliquod argumentum desumi posset

ad vim praesumptionis et facti contrarii informandam, repositum est - testamentum Diderici Henrici de Nehem, multimodis esse indagatum, ast non potuisse inveniri. Quare omnino nescio quid iuxta testamentum de Nehem in re de qua agitur, decernendum vel supponendum sit.

Si itaque non adsunt documenta certa ad rem determinandam standum est regulae generali S. Cong. ex qua intelligitur appositum onus applicandi Missam animae institutoris seu Fundatoris. Siquidem - verisimilius est eum qui onus celebrandi Missam imposuerit voluisse etiam eamdem sibi applicari.

Nec difficultatem facit tenuitas stipendii additi per illam fundationem, quod sufficere non videtur pro applicatione simul et maiori incommodo quod exurgit ex solemniori ritu Missae cantatae. Quandoquidem dici posset curnam nunc tantum huiusmodi difficultas apparuit quum antea pene singuli missam hanc applicavisse videntur, et ego ipse (Episcopus actualis refert) eam per XXVIII annos applicavi? - Praeterea addi potest quod si opus fuerit, non videtur difficile procedi posse ad aliquod stipendii huius augmentum quum soli organistae ex hac fundatione reserventur viginti thaleri cum dimidio, et Sacerdoti celebranti nonnisi decem grossi (lib. 1 *\ k) persolvuntur, unus autem thalerus quadraginta grossibus aequivalet. Et hoc eo magis quod Episcopus testatur : Cur celebrans nonnisi illud minimum percipiat non potui comperire. ~ Quare concludi posse videtur quod applicationis onus perseverare omnino debet et Episcopus provideat, quatenus opus sit, augmento stipendii celebrantis, ex ipsis redditibus fundationis in quaestione. Quod si quando aliquis applicationem omisit, uti Episcopus innuere satis aperte videtur, idemque in vivis adhuc versetur, praescribenda ipsi ratio videretur ut defectui admisso satisfaciat.

Hisce breviter expositis sequentia proposita fuere dirimenda

**Dubia.**

I. *An applicanda sit missa in casu.*

Et quatenus affirmative.

**II.** *An et quomodo providendum praeteritis omissionibus in casu.*

RESOLUTIO. S. C. Congregatio die 22 Maii, causa cognita, respondere censuit:

Ad 1. Affirmative.

Ad 2. Affirmative pro^gratia absolutionis condonationis etc. supplendo etc. facto verbo cum SSmo.

Ex QUIBUS COLLIGES

**I.** Sacrificium Missae esse *regulariter* applicandum pro fundatore; quamvis in instrumento fundationis vel institutionis oneris Missae in quadam Ecclesia *simpliciter* iussum fuerit missam esse celebrandam.

II. Proindeque non sufficere solam praesentiam ad implendum celebrandi onus dum verbum *celebrare* communiter accipi soleat ad significandum onus applicationis Missae peragendae favore pii fundatoris, non obstante quacumque observantia in contrarium.

III. Ex utroque iure, amico foedere, innui in obscuris inspiciendum esse quod verisimilius sit, aut quod plerumque fieri solet; ast nil verisimilius eum , qui onus imposuit celebrandi Missam, voluisse etiam sibi applicari eius fructum.

IV. Excipiendum tamen esse ex DD. casum quo aliud praeseferat voluntas fundatoris vel expressa vel ex urgentibus coniecturis elicita; ut puta si ille demandaverit celebrationem in commodum populi, vel monialium, vel confraternitatis alicuius.

V. In themate praxim constantem aut saltem fere constantem eorum qui Missam perlitarunt talem fuisse constare, ut onus applicandi Missam pro suo fundatore pro liquido haberetur.

MATRIMONII

*Die 22 Maii 1875.*

Ad Sacram Congregationem EE. Cardinalium S. C. Tridentini humiliter accedit Franciscus, presbyter saecularis Dioecesis O. in Brasilia, eiusdem Dioecesis Secretarius, eius oraculum rogaturus circa sequentem casum:

« Ioannes et Theresia inierunt sponsalia de futuro ; et per-
» actis proclamationibus iuxta Tridentinum , nullum reperitur
» impedimentum; sed in pervigilio celebrationis matrimonii de
» praesenti Antonia impedit coram Parocho Ioannis illud ma-
» trimonium, eoquod ipse Ioannes Antoniam cognoverat sub
» promisso matrimonii ineundi.

» Parochus T. scripturam facit coram testibus de impe-
» dimento ab Antonia proposito; quam scripturam ad curiam
» Episcopalem mittit, prout iubetur in Constitutionibus Dioe-
» cesanis.

» Ioannes et Theresia, cognito impedimento, novas peragunt
» proclamationes, utentes aliis nominibus, et iterum sine im-
» pedimento inveniuntur. Tunc obtenta parochi licentia, se si-
» stunt coram Tertulliano Sacerdote, qui inspecta parochi de-
» legatione in scriptis , matrimonio assistit. Postea Ioannes
» et Theresia palam faciunt se esse illos nubentes ab Antonia
» impeditos matrimonium celebrandi, et rem totam detegunt
» de mutatione nominum ; contraxerunt enim mutatis nomi-
» n i bus et cognominibus.

» Parochus T. re detecta , quaerit a Curia Episcopali an
» validum vel nullum sit eiusmodi matrimonium : allegans se
» minime licentiam daturum Tertulliano ad assistendum di-
» ctum connubium, si novisset mutationem nominum eontra-
» hentium, maxime cum a constitutionibus Dioecesanis prohibea-
» tui* Parochus celebrare matrimonium suorum parochianorum,
» si impedimentum oriatur et ad Curiam episcopalem fuerit

> delatum, nisi ab Episcopo vel eius Vicario Generali facul-
» tatem specialem recipiat matrimonio assistendi, non obstan-
» te impedimento. Quapropter in casu nostro parochus matri-
> monium nullum arguit ob impedimentum clandestinitatis
» propter defectum suae licentiae.

» Orator vero a S. Congregatione Concilii humiliter po-
» stulavit utrum matrimonium sic contractum validum sit nec
» ne ? » Hoc habito libello, rescriptum fuit: « Eidem Ordinario
» qui exprimat nomen et cognomen Parochi , et eorum qui
» matrimonium contrahere ausi sunt sub falso nomine; trans-
» mittat delegationem a Parocho peractam, nec non dioece-
» sanas constitutiones ad rem facientes ; referat quomodo pa-
» rocho mentiri nomen et fucum fieri potuerit ab iis , qui
» iam eodem parocho innotescere debuerant occasione praece-
» dentium denunciationum.»

Obtemperans Episcopus S. C. Concilii mandatis haec re-
tulit : « Mihi periucundum est, ea qua par est diligentia satis-
» facere votis EE. Patrum S. C. Tridentini interpretum ,
> Ordinario huius Dioecesis O. relatis in tuis litteris datis sub
» die 25 Decembris anni elapsi, de consultatione eidem S. Con-
» gregationi facta a presbytero Francisco M. de cuiusdam
» matrimonii validitate. Postulationibus tuis praesto sum. No-
» mina et cognomina coniugum habeto. Ioannes Ja vares da
» Silva et Francisco das Thagas, ille exortus legitimo ma-
» trimonio loseph da Silva Javares et Florentia de Virgini-
» bus ; haec a Iosepho Felice Barboza, et Ludovica de Franca
» legitime oriunda.

» Factis denunciationibus cum hisce nominibus coniugum
*y*> et eorum progenitorum, Ludovicus de Franca Duarte im-
» pedimentnm posuit coram Parocho, scilicet allegabat Ioan-
» nem Javares da Silva déflorasse suam filiam Signorinam de
» Franca Duarte ; parochus vero, accepto impedimento a Lu-
» dovico imposito, in scriptis mittit ad Curiam Episcopalem,
*y*> iuxta praescriptiones Dioecesanas. Interim iidem coniuges
» novam denuntiationem per alium Parocho pervenire faciunt,
» mutatis nominibus supra relatis. Parochus autem, accepta

> denuntiatione sibi relata a quodam Gundisalvo Vieira, sene
» parochiano suo, probo et de quo nulla erat suspicio, peractis
» proclamationibus , sub petitione ipsius Gundisalvi nomine
» coniugum, facultatem facit Sacerdoti Tertulliano Iosephos
» dos Santos Pat ury assistendi eiusmodi matrimonio.

» Non abs re erit hic adnotare paroecias huius Dioecesis
» O. esse fere omnes nimis extensas, et Sacerdotes vix unus
» vel alter, praeter Parochum reperiri, possunt in una paroe-
» cia, unde fit ut Parochiani multa quaerant a proprio Pa-
» rocho per alium propter distantiam locorum; paroecia vero,
» de qua agitur, habet quindecim vel viginti leucas in exten-
» sione , et est una ex minoribus. Causa fallaciae ex parte
» parochi T. fuit sua bona fides , probitas et bona aestima-
> tio Gundisalvi ; neque ipse cogitabat de laqueo sibi posito
» a coniugibus.

» Exponendo casum sic scribit parochus T. Puto Tertul-
ia lianum non potuisse matrimonio praedicto assistere , quia
» tantum facultatem ipsi feci ad matrimonium coniugum no-
» minatorum in denuntiatione, non vero illorum quorum ma-
» trimonium impeditum fuerat. Ita parochus T.

» Mitto etiam ad S. Congregationem versiones ex idiomate
» lusitano, tum secundae denuntiationis coniugum, in qua re-
» periuntur nomina differentia, tum facultatis concessae Ter-
» tulliano Sacerdoti , et praescriptionum Dioecesanarum ad
» rem facientium ; quae omnia cum originali concordant. »

## ANIMADVERSIONES EX OFFICIO.

### *Ea quae favore validitatis matrimonii huiusmodi prostant.*

Nemini videtur ambigere licebit huiusmodi matrimonium validum fuisse. Indubium enim est, quod si omnia essentialia concurrant ad aliquem constituendum contractum , renunciandus sit validus contractus iste. Atqui in matrimonio, de quo agitur, essentialia interfuerunt ad illud conti ahendum , hinc

de eius validitate dubitare haud concedunt leges Tectaque ratio, intercessisse in themate essentialia videtur esse in propatulo ; siquidem adfuit consensus utriusque contrahentis exterius expressus , adfuit et solemnitas praesentiae Sacerdotis de parochi licentia ad tramites Sacrosancti Concilii Tridentini *Sess. 24 cap. 1* nulla atque irrita decernentis matrimonia, quae aliter contraheretur, *quam praesente parocho, vel alio Sacerdote, de ipsius parochi seu de Ordinarii licentia , et duobus vel tribus testibus.* Cum itaque essentialia in casu adfuerint, valor matrimonii in aprico versari videtur.

Neque obesse , observatum fuit, matrimonium eiusmodi celebratum ^fuisse de parochi licentia , quando iam impedimentum inter contrahentes denunciatum fuerat, idque a lege dioecesana stricte prohiberi. Praeter enim quam quod vetitum id non est a lege dioecesana sub poena nullitatis, perpendendum occurreret validitatem huiusce matrimonii in discrimen minime adduci etiamsi sub dicta poena interdictum a lege dioecesana fuisset. Scitum siquidem est in Episcopi potestate non esse novum statuere impedimentum dirimens, sed solius esse Romani Pontificis, uti pluribus demonstrat Sánchez *de Matr. lib. 7 disp. i n. 9 et Pontius lib. 6 de matr. cap. i n. 12.* Quocirca S. Congregatio validum declaravit matrimonium celebratum coram parocho, cui ab Episcopo fuerat generatim interdictum ne matrimoniis adsisteret. Ita apud Sánchez et Benedictum XIV. de Synod. Dioec. lib. 13 cap. 23.

Pariter haud interesse contrahentes dolo celebravisse nuptias , sub fictis nominibus ; cum dolus eiusmodi adhibitus fuisse videri possit, non ad ineundum matrimonii contractum, sed ad publicationes peragendas. Denegari enim nullimode posse, contrahentes valuisse coram parocho sistere, matrimoniumque inire absque proclamationibus. Ex eo quod ergo id facere noluerint, argui posse videtur eiusmodi malitiam et dolum adhibuisse tantum ad publicationes peragendas ; pro'ndeque dolum haud affecisse directe matrimonium. Attamen dato et noi. concesso , directe affecisse matrimonium, nil ex hoc erui posse ad eius validitatem infringendam, quum notum sit ma-

írímoníum validum esse, quamvis parochus per dolum et fraudem adducatur, dummodo omnia intelligat. Ita Giribaldus *tract. X. de Sacramento matrimonii cap. 7 de consensu clandestino n. 102.* Cardinal, de Luca *de matrimonio discur. 6 n. 4.* Nihil officere in themate potuisse nominum falsitatem, qua contrahentes usi sunt, vel ex eo colligere cuique fas esse quod neque SS. Canones , neque Concilium Tridentinum requirant in licentia specificationem nominum contrahentium , sed tantum quod matrimonia fiant coram proprio parocho, seu alio Sacerdote de eiusdem Parochi licentia. Et proinde sufficere simplicem licentiam assistendi matrimoniis in genere non solum quia cum Concilium corrigat ius antiquum, non debet extendi ut exigat huiusmodi nominum specificationem, ut in simili ratiocinatur Sánchez *disp. 35 n. 7 et IO:* verum etiam quia persona parochi non requiritur ad hoc ut praestet consensum, sed dumtaxat praesentiam ad effectum ut matrimonium innotescat Ecclesiae, idem Sánchez de *Matrim, disp. 39 sub num. 1 , 3 Rot. in recent. 124 n. 124 n. 16 vers, demum et n. 17 part. 7 ; et in Neapolitana matrimonii* 13 Martii 1651 § *nec proinde coram bo. mem. Card. Corrado.* Et re sane vera. Finem dispositionis S. Concilii illum profecto fuisse , ut matrimonium contraheretur publice in faciem Ecclesiae coram unius contrahentium parocho , et duobus testibus, vel coram altero presbytero de ipsius parochi vel Ordinarii licentia. Itaque cum huiusmodi finem forma conciliaris habuerit, curandae minime esse videntur subtilitates circa modum. Et ideo magis , quod error in nomine non vitiat actum ad monitum legis *Si in nomine Cod. de testamen.*

Difficultatem haud facere videtur si hic subsumeretur licentiam a Parocho datam nullius fuisse efficaciae, eoquod Parochus eam ob causam dedit, quia putavit contrahentes illos fuisse, quorum nomina in publicationibus scripta reperiebantur , alias non concessurus ; difficultas enim eiusmodi evanescere facile videtur 1. si paulisper advertatur parochum pure ac simpliciter illam concessisse licentiam, ideoque Sacerdotem valide matrimonio adstitisse: 2. si perpendatur, quod causa

seu ratio illa a parocho post initas nuptias indigitata, se scilicet non concessarum licentiam si scivisset contrahentes ficta nomina adsumpsisse, non est finalis sed impulsiva, qua cessante non cessat dispositio , ut cum multis tradit *Tiraquel. tract, cessante causa H mit. i" a n. i. usque ad IO.* Igitur uti matrimonium validum fuisset si contrahentes illi coram ipso parocho matrimonium celebrassent utut falsis nominibus et cognominibus usi, ita et validum censendum esse videtur, si coram eius repraesentante contractum fuit. His positis ergo haud videtur ambigi posse de coniugii validitate.

EA QUAE CONTRA VALIDITATEM HUIUSMODI MATRIMONII FACIUNT.

Ex altera vero parte visum est animadverti posse , per sacrosanctum Tridentinam Synodum sancitum fuisse *Sess. 24 cap. 1 de reformat,* nulla atque irrita ea esse matrimonia, quae aliter contrahuntur, *quam praesente parocho, vel alio Sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia.* Matrimonium, de quo res est, contractum fuisse constare sine parochi licentia ; ideoque eius nullitatem manifesto erumpere, censendum est. Neque oggeri posse licentiam a parocho datam fuisse in scripto ; siquidem huiusmodi licentiam etsi in scripto traditam nullius momenti fuisse apparere ex eo quod ex errore data fuerit. Certe ideo parochum sacerdoti licentiam dedisse pro contrahendo matrimonio , quia putavit contrahentes illos revera esse, quorum nomina et cognomina in publicationibus scripta legebantur ; neque profecto dedisse, uti ex actis apparet, si notum ei fuisset contrahentes illos esse, pro quibus impedimentum detectum fuerat. Hinc ex errore provenisse si parochus consenserit licentiam praebendo Sacerdoti ut matrimonium celebraret. Atqui consensus ex errore praestitus nullius esse roboris et efficaciae monet lex *si per errorem ff. de iurisdict, omn. iudic,* «ibi » *Nec enim ferendum est, qui dicat consensisse eos in praesidem, cum ut lulianus scribit, non consentiant qui errant. Quid enim tam contrarium consensui, quam error?* Ergo cum licentia a paro-

cho data nulla fuerit, utpote ex errore proveniens , sponte veluti sua fluere nullius illam fuisse momenti, et idem fuisse ac si data non esset.

Veritatem eiusmodi magis magisque elucescere deprehenditur, si paulisper animadvertatur ad intelligentiam atque delegationis naturam. Delegationem enim esse actum voluntatis , qua alicui tribuitur potestas ac iurisdictio ; hinc nullo modo fieri posse, ut huiusmodi potestas transferatur sine voluntate delegantis ; neque concessa sub nomine illius personae ad diversam personam extendi valet eo quod delegatio stricti iuris sit, ac strictissime sit interpretanda. Ad rem Cardinal, de Luca de matrimonio *diseurs. 1. num.* 7 « ibi » *Cum delegatio dicatur actus voluntatis, per quam delegans tribuat privato illam potestatem seu iurisdictionem, quam non habebat, hinc proinde impossibile est, ut illa adesse possit sine voluntate delegantis ex generali axiomate, ut actus voluntatis trahi non possint ultra id, quod voluntas est ; et clarius ex peculiari natura delegationis , quae est stricti iuris, ac strictissime ad limites verborum intelligenda, ideoque concessa ad unam causam, seu ad unum actum trahi non potest ad alium, sive sub nomine unius personae, pro diversa persona suffragari non potest, ut ultra generalia, quae in iudicialibus commissionibus vel delegationibus habentur in sua sede sub tit. de iudicib. in his specialibus terminis habetur apud Dunoz. disc. 451.*

His attentis evanescere delegationem videtur, quandoquidem in facto est parochum facultatem concessisse Sacerdoti ut matrimonio adsisteret illorum, qui in denunciatione nominati erant, non vero eorum quorum matrimonium impeditum fuerat. Ideoque concludi posse videtur matrimonium in casu nullum atque irritum renunciandum esse utpote clandestine contractum. Idque praeterea ex eo confirmari videtur, quod falsitas contigit circa causam finalem ; nam parochus ea ratione cessante, nullo modo concessurus erat licentiam; finalis autem causa dicitur, quae ita movet disponentem , ut alias non esset dispositurus , ceu sentit Bartol. *lib. 2* §. *f nal. 1*

*fin. ff. de donat, et docent communiter Doctores ac S. Rota passim.* Falsitatem vero circa finalem causam dispositionis ipsam vitiare, late tradit, cum aliis multis, *Tiraquel.* tract, cessante causa limit. I[a] a num. 1 usque ad 10. Haud oblivisci tandem fas est, illam dispensationem, quae concessa fuerit ex causa falsa, subreptitiam ac nullam esse tradi per *cap. Quia de consanguin,* et a DD. ibi notari. Atqui licentia in casu est quaedam dispensatio, et concessa fuit ex falsa causa : ergo eam nullam esse sponte fluit. Ex his itaque omnibus nullitatem matrimonii in propatulo esse censeri posse videtur ; secus malitiis hominum indulgeretur, et quamplurimis incommodis "via sterneretur.

His aliisque pro utraque parte notatis, Eminentissimorum Cardinalium iudicio suppositum fuit dissolvendum sequens

**Dubium.**

*An constet de nullitate matrimonii in casu.*

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 22 Maii 1875, causa cognita, respondere censuit:

*Affirmative.*

Ex QUIBUS COLLIGES.

**I.** Ex iure indubium esse nulla atque irrita haberi matrimonia illa quae aliter contrahantur quam praesente Parocho , vel alio Sacerdote de ipsius Parochi vel Ordinarii licentia (1) in illis locis , in quibus Concilium Tridentinum promulgatum fuerit.

**(1) Cardinal. De Luca Disc. 3. de matrim, ita in propositum sese habet: « ibi » *u* In praecisis terminis huius for- » mae conciliaris in matrimonio, omnino » verius est, atque extra controversiam *n* receptum ut ista dicatur forma prae- » cisa, vel solemnis quae non admittat » implementum per aequipollens, adeo ut *i*> si matrimonium celebraretur in pn » blica platea, seu alias coram magno » coetu virorum qualificatorum, absque » tamen interventu proprii parochi, vel » alterius de eius licentia, id non suffi- *n* ceret ut firmat Sánchez hoc tract. *n* lib. 3. disp. 37. num. 4 cura seqq... et » alii quamplures.»**

II. Quapropter si proprius Parochus quacumque de causa alicui matrimonio adsistere impediatur, alium Sacerdotem ad illud delegari debere ab ipso Parocho vel ab Ordinario ; delegationemque respicere tantum certas ac determinatas personas contrahentium ( 1 ) ut actus delegatae potestatis efficax fiat, neque ab errore vitietur.

III. Naturam enim delegationis erui ab actu voluntatis , per quem delegans propriam alicui tribuit potestatem vel iurisdictionem : ideoque nullo modo eiusmodi traditionem perfici posse absque delegantis voluntate ; quae certe deest si adsit error, quia non praesumitur consentire qui errat.

IV. Delegationem esse , sua natura, stricti iuris ; ideoque concessam ad unam causam, seu ad unum actum trahi non posse ad alium, sive sub nomine unius personae pro diversa persona suffragari non posse.

V. Nullum fieri delegationis actum si error vel falsitas contingat causam finalem , quae suapte natura ita disponentem movet, ut si illa deficeret aliter omnino disponeret.

**(1) Cardinal. De Luca loc. cit. ita disserit.... « Siquidem si licentia per » ordinarium data (vel per parochum) » cuilibet presbytero coniungendi in » matrimonium Titium ita suffragari » posset pro matrimonio contracto per » SemproaiwB, resultaret, quod cum ea- » dem licentia possent contrahi multa » matrimonia inter diversas personas » atque manifesta fraus fieri illi formae, » quae cum adeo maturo iudicio inducta » fuit per Sac. Concil. Trident, ad oc- » currendum inconvenientibus, quae ex » matrimoniis clandestini» resultabant,»**

# EX SACRA CONGREGATIONE. IUDICIS

Sciera Congregatio Eminentissimorum ac Reverendissimorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa IX Sanctaque Sede Apostolica indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi, ac permissioni in universa christiana Republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano die 25 Iunii 1875 damnavit et damnat, proscripsit, proscribitque, vel alias damnata atque proscripta in Indicem Librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur Opera.

Saggi di Psicologia e logica. — Saggio sulla natura. — Dante, il poeta del pensiero. — Saggio sulla filosofia dello spirito. — Dell' immortalità dell' anima. — Opere della Marchesa Marianna Fiorenzi Waddington. — Firenze le Monnier 1864-1866-1867-1868'.

Il Papato ai tempi dell' Impero da Costantino a Giustiniano e il Papato ai tempi nostri con alcune note illustrative sulle leggi del 13 maggio e 19 giugno 1873. — Roma Tip. Eredi Botta 1874.

Sulla prossima fine del mondo; ristretto dell' Opera dell' ultima persecuzione della Chiesa e della fine del mondo per D. Bernardino Negroni sacerdote regolare {*alias* P. Barnaba). — Bologna società tipografica dei compositori 1.874.

Trattato di Morale umana emancipata da ogni dogma e pregiudizio. Semplici letture ad uso del popolo che legge, intende e ragiona, per Aurelio Turcotti. — Voi. 2. presso Ermano Loescher in Roma, Torino, Firenze 1875.

Dürrschmitd: Die kloesterlichen Genossenschaften in Bayern, und die Aufgabe der Reichsgesetzgebung. — Nördingen 1875. — *Latine:* De Congregationibus religiosis in Bavaria et de ordinationibus circa eas a legislatione faciendis. — Neolingae 1875. *Opus praedamnitum ex regula 11 Indicis.*

Friedrich: Der Kampf, generi die deutschen Theologen und theologischen Fakultaeten in den letzen zwanzig Jahren etc. — Bern. 1875. — *Latine:* De oppugnatione theologorum Germanicorum et facultatum theologicarum hisce ultimis viginti annis etc. — Bernae 1875. *Opuspraedamnatum ex regula II Indicis.*

*Auctor operis cui titulus:* Le mie preghiere per cura di M. Pietro Bignami canonico onorario della Chiesa milanese. — Milano 1866. Prohib. Decr. 12 aprilis 1867, *laudabiliter se subiecit et Opus reprobavit.*

*Auctor Operum quorum titulus:* I Gesuiti e la Republica di Venezia, documenti etc. pubblicati per la prima volta, con annotazioni, dal Cav. prete Giuseppe Cappelletti Veneziano etc. — Venezia 1873, *Et:* Breve corso di storia di Venezia condotta sino ai nostri giorni a focile istruzione popolare etc. pel medesimo Cappelletti. — Venezia 1872. Prohib. Decr. 14 Iulii 1873, et 5 februarii 1874, *laudabiliter se subiecit et Opera reprobavit.*

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta Opera damnata atque proscripta, quocumque loco, et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sed locorum Ordinariis, aut haereticae pravitatis Inquisitoribus ea tradere teneatur sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX per me infrascriptum S. I. C. a Secretis relatis. Sanctitas Su i, Decretum probavit et promulgari praecepit. In quorum fidem etc.

Datum Romae die 2 Iulii 1875.

ANTONIUS CARD. DE LUCA Praefectus.

*Er. Hierongmus Pius Saccheri* Ord. Praed.
S. Ind. Congreg, a Secretis

Loco^Sigilli.

Die 2 Iulii 1875 ego infrascriptus magister Cursorum testor supradictum Decretum afiixum et publicatum fuisse in Urbe.

*Philippus Ossani* Mag. Curs.

# EX S. CONGREGATIONE INOULGENTIARUI

*Oratio*
*Pro conversione Chamitarum Africae Centralis ad Ecclesiam Catholicam.*

Oremus et pro miserrimis Africae Centralis populis Aethiopum qui decimam partem universi generis humani constituunt ut Deus omnipotens tandem aliquando auferat maledictionem Chami a cordibus eorum detque illis benedictionem unice in Iesu Christo Deo et Domino nostro consequendam.

*Oratio*

Domine Iesu Christe unicus Salvator universi generis humani qui iam dominaris a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum ; aperi propitius sacratissimum cor tuum etiam miserrimis Africae interioris animabus quae adhuc in tenebris et in umbra mortis sedent, ut intercedente piissima Virgine Maria Matre tua Immaculata eiusque sponso gloriosissimo beato Ioseph, relictis Idolis, coram te procidant Aethiopes, et Ecclesiae tuae Sanctae aggregentur. Qui vivis etc.

*Pater, Ave, Gloria.*

VICARIATUS APOSTOLICI AFRICAE CENTRALIS.

Rmus D. hodiernus Pro-Vicarius Apostolicus Africae Centralis a Sanctissimo D. N. Pio Papa IX humiliter postulavit ut supra dictas preces pro conversione Chamitarum dignaretur approbare, easque Indulgentiis plenaria et partialibus ditare. Relata vero quum fuerit huiusmodi Instantia in Sacrorum Rituum Congregatione, praedicta Sacra Congregatio

audita sententia Rmi D. Ï aurenti Salvati Assessoris sui rescribere rata est : ad Secretarium cum SSmo. Die 27 Septembris 1873.

Facta autem de praedictis eidem SSmo Domino Nostro per infrascriptum Secretarium fideli relatione , Sanctitas Sua suprascriptas preces uti prostant in Exemplari huic Decreto praevia Apostolica Auctoritate sua approbavit, induxitque ut fideles utriusque sexus qui illas corde saltem contrito recitaverint Indulgentiam tercentum dierum in forma Ecclesiae consueta pro qualibet vice lucrari valeant ; qui vero easdem preces saltem semel in die recitaverint per integrum mensem plenariam indulgentiam consequi valeant, dummodo die aliqua ad eorum arbitrium eligenda vere poenitentes confessi et Sacra Synaxi refecti aliquam Ecclesiam vel publicum Oratorium visitaverint ibique per aliquod temporis spatium oraverint iuxta mentem Sanctitatis Suae. In contrarium quibuscumque disponentibus minime obstantibus. Die 2 Octobris anno eodem.

D. BARTOLINI S. R. C. SECRETARIUS.

Praesens Rescriptum a S. Congregatione Rituum exhibitum fuit in Secretaria Indulgentiarum die 12 Novembris 1873 iuxta generale Decretum huius Congregationis die 14 Aprilis 1856 evulgatum. Ex eadem Secretaria hac die 12 Novembris 1873.

*Dominicus Sarra Substitutus.*

# EX S. RITUUM CONGREGATIONE.

## ORDINIS OARTUSIANORUM

Rmus Pater hodiernus Procurator Generalis Ordinis Cartusianorum a Sacra Rituum Congregatione humiliter declarari petiit : An Sacerdos qui die Natalis Domini unam Missam celebrat, legere teneatur Missam horae congruentem, scilicet primam ante Auroram (ex privilegio); secundam, si in Aurora ; tertiam si post Auroram celebrat ; an vero absolute legere debeat tertiam, quae cum Officio canonico magis convenit , prout in quibusdam kalendariis praefertur, ubi legitur: « Qui unam Missam celebrat, tertiam legat cum Evangelio Epiphaniae in fine.»

Sacra vero Congregatio audita relatione ab infrascripto Secretario facta, re mature accurateque perpensa , rescribendum censuit: « *Sacerdos qui unam tantum Missam celebrat, legat Missam , quae respondeat circiter horae iuxta Rubricas peculiares eiusdem diei.* » Atque ita rescripsit et servari mandavit. Die 19 Iunii 1875.

C. EPISC OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEFECTUS.

Loco )K Sigilli

*Piae. Ralli S-. R. C. Secretarius*

## DECRETUM

**Parisien, seu Ordinis Praedicatorum Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Servo Dei Pr. Reginaldo Sacerdoti Professo Ordinis Praedicatorum Beato nuncupato.**

Tn Ordinario Coetu Sacrorum Rituum Congregationis subsignata die ad Vaticanum coadunato ad instantiam R. Patris Fr. Vincentii Acquarone Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Praedicatorum per Emum. et Rmum. D. Cardinalem Aloisium Oreglia de Sancto Stephano, hujus Causae Ponentem proposito Dubio: *An S"ntentia Iudicis delegati a Rmo D. Archiepiscopo Parisiensi sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* Sacra eadem Congregatio, omnibus maturo examine perpensis, auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuit: *Affirmative.* Die 3 Julii 1875.

Quibus per me infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. fideliter relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae Congregationis ratum habuit et confirmavit. Die 8 iisdem Mense et Anno.

C. EP. OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI S. R. C. PRAE*

*Piae. Rolli S. R. C. Secretarius.*

## DECRETUM

**Bipa/na Beatificationis «t Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Simonis Philippovich Sacerdotis Professi Ordinis Minorum S. Francisci de observantia.**

Duodecimo Kalendas Martias Anni vertentis, quum Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. benigne induisent, ut de Dubio signaturae Commissionis Introductionis Causae S[1] vi Dei Simonis Philippovich praefati ageretur in Congre-

gatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso Decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis et Scriptis eiusdem Servi Dei non perquisitis et examinatis; Emus. et Rmus. D. Cardinalis Thomas Martinelli hujus Causae Ponens ad instantiam R. Patris Fr. Bernardini a Cryptis Castri Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia, attentis Postulatoriis Litteris plurium Virorum Ecclesiastica praesertim Dignitate illustrium in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis hodierna die ad Vaticanum coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An sit signanda Commissio Introductionis hujus Causae in casu et ad effectum, de quo agitur?* Et Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis auditoque voce .et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative* seu *signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 3 Julii 1875.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX. fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit: propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Simonis Philippovich praefati. Die 8 iisdem Mense et Anno.

**O.** EP. **OSTIEN. ET VELITERN.** CARD. PATRIZI **S. R.** C. PRAEF.

Loco *fa* Sigilli

*Piae. Ratti S. R. C. Secret.*

# DECRETUM

**Ferrarien. Beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Bonaventurae Barberini Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum Archiepiscopi Ferrariensis.**

Quum pridie Kalendas Aprilis et octavo Idus eiusdem Mensis anno 1870 Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa IX. benigne indulserit ut de Dubio Signaturae Commissionis Introductionis Causae Servi Dei Bonaventurae Barberini praefati ageretur in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria absque interventu et voto Consultorum, licet non elapso Decennio a die praesentationis Processus Ordinarii in Actis Sacrorum Rituum Congregationis, et Scriptis eiusdem Servi Dei non perquisitis et examinatis, subscriptus Cardinalis eidem Sacrae Congregationi Praefectus et Causae Relator ad instantiam R. Patris Fr. Amadei ab Urbeveteri Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci Capuccinorum, attentis Postulatoriis Litteris plurium Virorum Ecclesiastica praesertim Dignitate illustrium, in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die coadunatis sequens Dubium discutiendum proposuit, nimirum: *An sit signanda Commissio Introductionis huius Causae in casu et ad effectum, de quo agitur?* Sacra eadem Congregatio omnibus maturo examine perpensis auditoque voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore, rescribendum censuit: *Affirmative* seu *signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit.* Die 3 Iulii 1875.

Facta postmodum de praemissis per infrascriptum Secretarium Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX fideli relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae Congregationis ratam habuit et confirmavit, propriaque manu signavit Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Bonaventurae Barberini praefati. Die 8 iisdem Mense et Anno.

*C. Ep. Ostien. et Velitern. CARD. PATRIZI S. R. C. Praef.*

*Piae. Rolli S. R. C. Secretarius,*

# DECRETUM

**Montisfalisci Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Petri a Balnearia Sacerdotis Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum.**

In Causa Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Petri a Balnearia praefati quum agi deberet in Congregatione Sacrorum Rituum Ordinaria de Validitate omnium Processuum in eadem Causa constructorum ad instantiam R. Patris Fr. Vincentii a Iennis Sacerdotis Professi et Postulatoris Generalis Causarum Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei Ordinis Minorum Sancti Francisci Reformatorum;Emus et Rmus D. Cardinalis Thomas Martinelli huius Causae ponens sequens Dubitum proposuit in Ordinariis Sacrorum Rituum Comitiis ad Vaticanum hodierna die habitis: *An constet de Validitate Processuum tam Apostolica quam Ordinaria Auctoritate constructorum; Testes sint rite et recte examinati, atque iura producta legitime compulsata in casu et ad effectum de quo agitur?* Emi. porro ac Rmi. Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi post accuratum omnium examen, audito etiam voce et scripto R. P. D. Laurentio Salvati Sanctae Fidei Promotore rescribendum censuerunt: *Constare praevia sanatione ob omissionem repetitionis Testis III. Processus Ordinarii.* Die 3 Iulii 1875.

Facta autem de praedictis Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae IX ab infrascripto Sacrorum Rituum Congregationis Secretario fideli relatione, Sanctitas Sua petitam sanationem, quatenus opus sit, benigne concessit, sententiamque Sacrae Congregationis ratam habere ac confirmare dignata est.

Die 8 iisdem Mense et Anno.

**C.** Ep. Ostien. et Velitern. Card. PATRIZI S. R. C. Praef.

Loco)^ Sigilli

*Piae. Balli S. R. C. Secretarius*

# LITTERAE APOSTOLICAE

## AD EPISCOPUM PACTENSEM

PIUS PP. IX.

*Venerabilis Frater,*
*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Pervenerunt ad Nos tuae litterae, quibus Nobis significasti de tuo in istam civitatem ingres.su, et de laetitia, pietate, ac affectu, quibus Clerus , et fideles advenientem ad se novum Pastorem exceperunt. Consolationem profecto habuimus, Ven. Frater , videntes ex tuis litteris quam praeclara signa religionis suae hac occasione grex Tibi concreditus ediderit, ac Deo gratias egimus , qui in tanta temporum pravitate populi sui fidem erigere, et confortare non intermittit. Cum talis fuerit, adiuvante Deo, Tuus in istam Dioecesim adventus, firmam spem capimus, Tuum gregem ita Tibi semper devinctum fore , ut nihil magis cupiat, quam fideliter . Te duce, in via veritatis, et salutis ambulare, ac minimo dubitamus, Te magis magisque zelo incensum esse, ut tuum Pastorale Ministerium sancte impleas , ac Dei gloriam, Religionis incrementa, animarumque sanctificationem omni studio promoveas. Ad haec omnia feliciter assequenda non omittimus, Ven. Frater , omnium gratiarum plenitudinem Tibi a Domino ex intimo corde adprecari, Eumque pariter rogamus, ut super omnem gregem Tibi concreditum bonitatis suae divitias clementer effundat. Sit demum auspex omnium caelestium munerum, et pignus sincerae dilectionis Nostrae Apostolica Benedictio , quam Tibi, tuoque Capitulo , Clero ac Fidelibus , ut postulasti, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 11 Augusti 1875, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## AD EPISCOPUM BOVINENSEM

## PIUS PP. BL

*Venerabilis Frater,*
*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Agnovimus dolentes, ex litteris tuis die vigesima nona Iunii ad Nos datis , te ex aedibus episcopalibus tuis per vim fuisse delectum , cuius violentiae exempla complura in aliis quoque Italiae dioecesibus gubernium quod dominatur edidisse compertum habemus. At dum ex nuncio a te dato dolor Noster augebatur , Nobis solatio fuit Pastoralis constantia, qua illatam iniuriam sustinuisti, et nobili protestatione emissa , iura Ecclesiae defendere, ea qua poteras ratione, contendisti. Laetantur quidem nunc religionis hostes de facili victoria, qua Ecclesiam inermem et indefensam opprimunt, sed illos tristis manet exitus, non enim ult rices manus effugient omnipotenr tis Dei. Nos autem qui in mundo pressuram habemus illius gratiam demerebimur si nostro fungentes officio patienter iniurias sustineamus. Haec cogitatio quae animum tuum erexit (prout ex litteris tuis intelleximus) dum vim illatam fortiter perpessus es, valeat etiam ad sustinendam constantiam tuam in his angustiis, in quibus propter sacrilegam illam usurpationem versaris. Interim adprecantes Deum, ut te gratiae suae praesidio roboret, et gaudio sancto animam tuam perfundat, apostolicam benedictionem, divinae benignitatis auspicem, tibi, clero et fidelibus tuae vigilantiae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 28 Iulii 1875, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

# LITTERAE APOSTOLICAE

## AD EPISCOPUM NERITONENSEft.

## PIUS PP. IX.

*Venerabilis Frater,*
*Salutem et Apostolicam benedictionem.*

Ea, quae ad Nos retulisti tuis litteris die 16 elapsi Iunii datis de egregiis pietatis et religionis argumentis, quae tuus grex fidelis hoc Iubilaei tempore studiose praebuit, ac praebere non cessat, magnae Nobis consolationis fuerunt. Quin imo ex iis spes Nostra in Deo quotidie magis augetur, cum firmiter confidamus clementiam Eius uberrime fideli populo adfuturam , quo maiori iste constantia et fervore eam sanctis operibus et sedulis precibus implorare contendit. Gratulamur itaque Tibi, Ven. Frater , et Fidelibus tibi concreditis , ac dum Deo gratias agimus pro iis, quae Nobis significasti, Ipsum pariter adprecamur ex corde, ut sua super Te omnesque, queis praesides, dona benigne multiplicet. Non omittimus autem gratos animi nostri sensus exprimere, tum pro votis, quae Nobis obtulisti, tum pro piarum largitionum muneribus, quae tuo tuique gregis nomine ad Nos mittenda curasti. Pignus demum esse cupimus sincerae dilectionis nostrae et auspicem omnium gratiarum Apostolicam benedictionem, quam Tibi,Ven. Frater, cunctoque Clero ac Fidelibus tuae vigilantiae commissis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 3 Iulii 1875, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

# LITTERAR APOSTOLICAE

## AD BARONEM NICOLAUM TACCONE GALLUC6I

## PIUS PAPA IX.

*Dilecte fili,*
*Salutem et Apostolicam Benedictionem.*

Pervenerant nuper ad Nos tuae litterae memoria vinculorum B. Petri redeunte datae, una cum munere scriptionis tuae, quam de christiana charitate, et de eo ànimi affectu, quem saeculum philanthropiam vocat, elucubrasti. Sensus religiosae pietatis , quos in tua epistola expressisti, et egregium studium benemerendi de Ecclesia Dei, quod a Te aliis editis operibus perspicue declaratum fuit. Nos dubitare non sinunt, quin argumentum a Te susceptum ita pertracfaveris , ut iucunda Nobis eius lectio futura sit et in eo novum testimonium tui ingenii, tuaeque optimae voluntatis simus habituri. Interea gratum tibi animum profitemur pro tuae oblationis officio , quo filialem tuam dilectionem Nobis ostendere, et consolationem praebere voluisti, ac supernarum gratiarum amplitudinem Tibi, et familiae tuae, ut postulas, a divina clementia ex corde implorantes, in earum auspicium, et in pignus charitatis Nostrae apostolicam benedictionem tibi, tuisque, dilecte fili, peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 18 Augusti an. 1875, Pontificatus Nostri anno tricesimo.

PIUS PP. IX.

# EX S. CONGREGATIONE CONCILII

## IRREGULARITATIS EX DEFECTU SCIENTIAE

*Die 27 Februarii 1875.*

Episcopus B. S. S. ad S. O. Congregationem retulit, Clericum L. ad Ordines Maiores Subdiaconatus et Diaconatus promotum fuisse ab Archiepiscopo P., qui tunc temporis erat quoque Administrator Dioecesis B. S. S., se autem a primo suo ingressu in dioecesim , adeo mente debilem et minus habentem eum reperisse , ut consilium inierit, antequam sacro Presbyteratus ordine eum insignirei , recipiendi in suo Seminario eumque commendandi pio ac sapienti religioso , quo duce et magistro, studiis operam daret ad ea addiscenda quae cuique Sacerdoti scitu necessaria sunt. Frustra sed vero; nam praedictus magister licet omni patientia praeditus, nullum ex iteratis laboribus fructum reportavit, et ne diutius operam suam perderet, eum tanquam studiis non aptum dimisit ; repulsus hinc tanquam irregularis ex defectu scientiae fuit a S. Presbyteratus ordine , eius precibus et consanguineorum minis omnino posthabitis. Id Diaconus L. aegro-animo tulit ; et Dioecesim suam relinquens , in qua nil sperare poterat, proximam Dioecesim S. petiit, confidens ibi meliorem fortunam sibi arrisuram. Episcopus S. eius preces admisit; at obstitit proprius praesul timens ne Diaconus, recepto Presbyteratus Ordine, in patriam postea remearet ; qua de causa literas excardinatorias tradere recusavit.

Perlata igitur quaestio est ad S. C Concilii , quae omnibus perpensis , et audito etiam Archiepiscopo P. qui asseruit , clericum L. ad Superiores Ordines promotum fuisse,

praehabito coram examinatoribus pro-Synodalibus regulari et sufficienter plausibili examine , significavit Episcopo B. S. S. integrum sibi esse eumdem Diaconum ex sua Dioecesi dimittere eum in finem ut Dioecesi S. incardinari possit, sed in antecessum fidem sibi iureiurando dari mandaret, ne postea ad suae iurisdictionem Dioeceseos redire et ibi commorari intenderei. Episcopum vero S. monitum voluit, ne ipsum Diaconum ad Sacerdotium eveheret , nisi obtenta a S. C. Concilii facultate ; interim vero in Seminarium illum admitteret, ubi studiis indesinenter vacaret.

Post haec Episcopus B. S. S. Diacono L. facultatem fecit ut in Dioecesi S. incardinari posset, quod accidit mense martio 1873. Sed fere ex eo tempore Diaconus iste pluries ad S. C. Congregationem recursum fecit,- postulans ut sibi fieret facultas S. Presbyteratus Ordinem suscipiendi. Sacra vero Congregatio hac super re caute procedere cupiens, posthabitis etiam literis commendatiti is ipsius Episcopi , pluries ordinationem differre censuit, admonens eumdem Diaconum ut maioris progressus in studiis specimen exhiberet, iisque interea impensius vacaret.

At non obstantibus hisce S. Congregationis responsis, Episcopus ipse in Diaconi adiutorium supervenit, plures literas diversis anni periodis ad eam mittens. Hisce vero literis dari sibi facultatem expostulabat, praedictum Diaconum ad sacrum Presbyteratus Ordinem evellendi sequentibus rationibus innixus. Quia nempe eiusmodi Diaconus haberet annos 34 iam completos ; quia obtulit laudabilem attestationem cum de optimis moribus et de assiduo servitio in Ecclesia, tum etiam de aliquo profectu in rebus moralibus et liturgicis addiscendis ; ita ut a duobus ecclesiasticis fide dignis ad examen ab Episcopo deputatis idoneus repertus sit ut ad Sacrum Presbyteratus Ordinem ascendere posset ; quia denique Dioecesis S. ita caret Sacerdotibus , ut amplius non inveniatur qui oneribus muneri parochiali inhaerentibus satisfacere valeat et possit, et duae parochiales Ecclesiae suo pastore iamdiu viduatae remanserint. Hisce habitis literis die 14 Novem-

bris 1874 rescriptum editum fuit: *pr Summaria precum;* et haec pro et contra animadversa fuere.

Inter multiplices quae requiruntur in Clericis qualitates, ut ii rite sacros suscipiant Ordines, non ultimum locum tenet ut sufficienti scientia instructi sint pro quolibet Ordine suscipiendo , ita ut qui debita careat doctrina prout *irregularis ex defectu scientiae* sit merito habendus. Siquidem naturali ac divino iure ab ecclesiastica militia et ecclesiasticis dignitatibus is arcetur; iure quidem naturali, utpote omnino ineptus ad illud munus obeundum, quod singulis Ordinibus competit; iure divino, quia labia sacerdotis custodire debent scientiam, ut populi legem ex ore eius requirere possint ; cui consonat illud propheticum Osee Cap. 4 : *quia tu scientiam repulisti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* Quapropter mirum non est si Ecclesia hac de re sollicita semper fuerit et sapientibus legibus ad rem propositis ab altari arcuerit illos Clericos, qui scientiae saltem sufficientis defectum praeberent. Hinc Gelasius Papa Can. 1. Dist. 36 expresse habet: *{litteratus nullas praesumat ad Clericatus Ordinem promoveri, quia Uteris carens, sacris non potest esse aptus officiis.* Cui concinit Concilium Trid. Sess. 23 Cap. 14 de Reform, edicens qui ad Presbyteratus Ordinem promoveri desiderant:^ *populum docendum ea, quae scire om.nibus necessarium est ad salutem, ac ad administranda sacramenta, diligenti examine praecedente, idonei comprobentur.* Et optimo quidem iure ; nam, inter ceteras quae possent rationes afferri, ignorantia unius vel alterius in totius clericalis ordinis dedecus refunditur.

\t e contra animadversum est, petitionem oratoris excipi posse, si prae oculis habeatur , quod in toto iure scientia ad Ordines promovendorum *taxative* haud reperitur praescripta. Sacri enim Canones examen Ordinandorum prudenti iudicio et conscientiae Ordinariorum relinquunt, qui pro dotibus aut qualitatibus promovendorum , nec non pro specialibus locorum conditionibus et pro Ecclesiae necessitate vel utilitate videre recte possunt quod magis expedire in Domino iudicaverint.

Hinc in Can. illit. Disi. 36 Glossa notat *in ordinandis sufficere scientiam mediocrem;* nec minus generalia sunt verba superius ex Concil. Trid. relata. Benedictus autem XIII in Const. quae incipit *in Supremo* ait : *Episcopos in Domino hortamur ut quantum fieri potest eos tantum, ad Sacerdotium assumant, qui saltem theologiae moralis competenter periti sint.*

ReifTenst. vero lib. 1 decret, tit. II. p. 3 n. 67 tradit : *Quia Clerici saeculares ordinantur ad peragendas functiones ecclesiasticas, quae indirecte concurrunt ad curam animarum, ideo-debent habere scientiam saltem sufficientem in ordine ad ipsas.* Quibus omnibus tandem congruit Card. de Luca in annot. ad Conc. Trid. Disc. XIV. n. 28. « Quamvis in pro-
» movendis Conc. Trid. aliquam literaturam, saltem in Theo-
» logia morali, sen in casibus conscientiae desiderare videa-
» tur, id diversam habet praxim pro diversis locorum moribus,
» seu etiam ex maiori vel minori Episcoporum zelo et dili-
» gentia. In illis enim partibus , in quibus incolae ingeniosi
» ac studiosi sunt, unde propterea literatorum copia habeatur,
» magis circumspecte et rigorose procedi solet. sicque sacri
» Ordines non conferuntur nisi bene versatis saltem in Theo-
» logia morali. In illis vero locis, in quibus naturaliter in-
> colae sunt grossolani vel parum studiosi , sive in parvis et
» obscuris locis , in quibus studiorum occasio non habetur ,
> i une mediocris ac talis qualis scientia reputatur magna li-
» teratura.»

At constare ex testimonio duorum ecclesiasticorum , qui speciatim examini praepositi fuere, Oratorem in studiis Theologiae moralis talem retulisse profectum ut dignus reputatus sit qui ad Ordinem Presbyteratus ascenderet; quod ipsum ab Episcopo confirmatum testimonio suo fuit. Oratoris proinde preces admitti posse. Eo vel magis, quia insolitum non est, quod iustis concurrentibus causis ad sacros Ordines promoveantur ii Clerici, qui scientiam saltem sufficientem attigerint ; quod non semel ab ipsa S. Congregatione factum esse constat. Maiori autem indulgentia se gerere consuevisse cum iam promoto

tam in similibus quam in casibus praesenti gravioribus.. Cuius rei a Fagnano et Fargna de Iurepatr. p. 1 Can. 5, cap. 11 n. 6S optima allegatur ratio ; *quia alias,* scilicet, *promotus nescitur quid ageret, cum nec ministrare possit, nec retrocedere liceat.*

Quibus consideratis , Emi Patres rescribendum censuere: *Arbitrio Episcopi, onerata eius conscientia.*

### Ex QUIBUS INFERANT LECTORES

**I.** Neminem ad Sacros Ordines promovendum, nisi praemisso examine.

II. Illud etsi difficillimum esse non debeat, non tamen adeo leve ut ex eo competens iudicium de scientia Sacerdoti necessaria ferri non possit.

III. In illis Dioecesibus, in quibus habetur Sacerdotum penuria, posse quidem Episcopos circa Ordinandorum examen clementius agere, non ita tamen ut id pro regula statuant.

IV. Improbandos quapropter Episcopos, ad Sacros Ordines promoventes clericos illos, qui vix mediocrem scientiam attigerunt ; idque generatim, et sine magna Ecclesiarum necessitate.

# POSTULATUM CIRCA PAROECIAM

***Die 24 Iulii Ì875.***

Ordinarius R. in relatione status Suae Dioecesis **S.** C. Congregationi ea quae sequuntur exposuit. « in Paroecia C. quae » quatuor centum supra mille habet animas, unus tantum , > praeter Parochum extat Sacerdos, nempe Cappellanus, in » Parochi ..auxilium constitutus , qui suo muneri haud valet » satisfacere pro excipiendis Christifidelium Sacramentalibus » confessionibus, ob suam, qua. laborat, surditatem. Nec vi- » detur obligandus ad alterius Sacerdotis substitutionem in » hoc onere adimplendo, utpote tenui auctus beneficio, cuius » reditus vix sexaginta scutata pertingunt. Parochus autem » pinguiori totius Dioecesis praebenda gaudet ; ad annua si- » quidem ascendit scutata tercentum etc. . . . Hisce expositis, » attentisque circumstantiis, postulo ab Emis Patribus utrum » possim tuto cogere Parochum C. unum Sacerdotem suis » sumptibus sibi adiungere omnibus saltem diebus festivis ad » Sacramentum Poenitentiae administrandum, et alia munia » parochialia obeunda, ob supercrescentem Parochianorum nu- » merum, cui unus Parochus impar effectus fuerit depascen- » do , iuxta Concilii Tridentini Decretum in Cap. 4 Sess. 21 » de Reformat.»

### Disceptatio sinóptica.

*Ea quibus evincitur Coacliutorein adiungi non debere Parochi impensis.*

Ex officio observatam fuit colligi *ex text. in Cap. Porro de Privileg.* Ordinarium haud posse Beneficiis Ecclesiasticis nova adiungere onera, quae imposita haud **fuerint** in prima institutione horum Beneficiorum. Cui Capiti consonat quod Tridentina Synodus tradit in propositum *Cap. 5 Sess. 25*

*de B a f or med.* « ibi » Ratio postulat, ut illis, qu<ie bene » constituta sunt, contrariis ordinationibus non detrahatur. » Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione seu » fundatione aut aliis constitutionibus . . . . certa illis onera » sunt iniuncta, in beneficiorum collatione, seu in quacum- » que alia dispositione eis non derogetur.» Concinunt Fagnanus *in Cap. Conquerente de Cler. non resici,* n. 12. Monacelli Vol. 2 Tit. 15 n. 29 quum loquutus fuisset de oneribus quibus beneficiatus subiacere debet, ait : *Caetera vero onera regulando et adimplenda erunt iuxta legem praescriptam in fundatione, quam Ordinarius alterare non potest, nec bénéficiai o nova addere onera, etiamsi Patronus, sive Exer/uutor Testamentarius consensum daret ; ut pluries respondit S. C. Congregatio.*

Si equidem Ordinarii B. preces humaniter exciperentur , onus omni ex parte novum Parocho adiiceretur, dum obligaretur ob id ad praestandam , propriis sumptibus, congruam Sacerdoti in locum Cappellani suffecto: quod neque iustitia, neque aequitas pati videtur.

In iure praeterea scitum est Coadiutori ex reditibus Beneficii, in quod operam confert , alimenta praestanda fore , Azor. p. 2, i. 3 cap. 2 q. 9. Barbos, de Offic. Episc, alleg. 63 n. 15. Passerin. in c. un. h. t. in 6 num. 43. *Compertum fi f etiam ex r., de Rectoribus c. tua nos* c. nn. cit. « ibi » *D> p'\<v oï'ihus Praelatorum, in quorum adsumentur auxilium, sumptus re ipiant modéralos.* Quibus similia statuuntur in Concilio Tridentino *Ses<. 21 cap. 6 de Reformat.* « ibi » *Epis-api etiam tamquam Apostolicae Sedis delegati eisdem* (Rectoribus Ecclesiarum Parochialium) *illitteratis et imperdis , si alias honestae vitae sint, Coadiutores aut Vi car ii >s pro tempore deputare, partemque fru-tuum eisden pro sufficienti victu assignare , vel aliter providere possint, quacumque appellatione et exemptione remota.* Nec immerito id statuitur quia legitur Matth. c. 10 *dignus est operarius cibo suo,* simulque *1 Corinfh. 9 nemo cogitur militare s'ipendiis sui-* . Porro Sacerdos de quo in themate sermo fit, in beneficium gerentis Vices Curati , opus

suum adhibet. Ergo redditibus huiusce Beneficii eius vitae esset consulendum, idque eo vel fortius retinendum quia acceptum in iure est principium « *qui commodum sentit, debet et incommodum per sentir e.* »

Neque magnam animadversum est habere vim Episcopi argumentum, quo edicit, Cappellano aurium vitio laboranti onus iniungendum haud esse , ut Sacerdotem sibi constituat in auxilium pro muneribus parochialibus obeundis (quibus ipse satisfacere non valet), cum beneficio gaudeat, *cuius reditus vix scutata quinquaginta pertingunt.* Siquidem beneficium hoc etsi tenue ac exiguum esse appareat, praesertim habito respectu ad temporum exigentias atque angustias quibus fit, ut vitae sustentatio difficilior evaserit ob annonae caritatem ; tamen ex hac beneficii exiguitate nefas est inferre, vicarium e<se alendum propriis Parochi sumptibus, quia consectario huic oppositionem faciunt sacri canones. Et quidem can. 1 dist. 82 statutum esse, de Coadiutore deputato, in quantum sibi possibile fuerit, Episcopum curam habiturum etiam per collationem alterius Beneficii simplicis ceu innuit Conc. Trid. Sess. 24 cap. 17 de ref. « ibi » *Quod quidem si ad, vitam eius , cui confertur, honeste sustentandam non sufficiat, ticea[1] nihilominus aliud simplex sttffkirns, dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, eidem conferri.* Praeterea si nulla ex parte hoc Episcopus praestare potuerit, Populus ipse, imperio Ordinarii, cogi poterit, ut necessaria praebeat constituto Coadiutori *arg. can. Omnis Christianus de consecr. Dist. 1 et cap. de his 4 de Consecr. Eccles.* Et iure optimo; quia cuius est emolumentum, eius debet esse et onus *iuxta Reg. 55 Iur. in 6* cum concordantiis. Et ita tenent *Abbas in cap de Rectoribus num 5 et 6,* Barbosa n. 4. Fagnanus ib. n. 12 et 13 h. t. et alii quamplures. Ergo non Parochi sumptibus Vicarius alendus esset ; quamvis Parochus in themate pinguiorem totius Dioecesis illius praebendam obtineret. Eo quod in damnum viduarum, et pauperum vergeret , quibus Parochus ex SS. Canonibus in praesidium et auxilium constituitur, quoties impensis Parochi Coadiutor alendus foret.

*Ea quibus evincitur Coadiutorem adiiciendum esse Parochi sumptibus.*

Attamen ex adverso Episcopi rationes ita gravis momenti esse visae sunt ut negligi nequirent. Nam ex iure compertum est tum causam adesse Parocho a iiungendi Coadiutorem, quum Parochianorum numerus ita auctus fuerit ut unus rector impar evaserit sacris obeundis. Quod Conc. Tridentinum satis clare innuit *Sess. 21 Cap. 4 de Refòr.* « Episcopi » etiam tamquam Sedis Apostolicae Delegati in omnibus Ec- » clesiis Parochialibus, vel baptismalibus, in quibus populus » ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere Ec- » clesiasticis Sacramentis administrandis, et cultui divino pro- » pagando, cogant rectores , vel alios ad quos pertinet sibi » tot Sacerdotes adiungere, quot sufficiant ad Sacramenta » exhibenda, et cultum divinum celebrandum.»

Et Card. de Luca ista exornans verba *Adn. ad Concil. Trid. disc. 16* haec habet: « *Populo excrescente, seu alias tractu temporis immutato rerum statu, adeo ut unus rector vel parochus , vel respective una Ecclesia parochialis universo populo non sufficiat, vel non congruat, tunc prudenter S. Concilium in hoc decreto providet, ut pro facti qualitate Ordinarius unum de duobus remediis adhibeat: vel scilicet Vicarios , seu adiutores, ac unam vel plures adiutrices Ecclesias deputet, parochi et Ecclesiae parochialis unitate non immutata, vel quod , praevia dismembratione partis populi, ac territorii, unam vel plures parochias erigat , quoties omnium opportuna provisio sit practicabilis.* » Praeter DD., qui uno veluti ore concinunt, non desunt exempla S. C. C. ; siquidem ad Coadiutores Parocho adiungendus, ceu causam legitimam iustamque habuit Parochianorum supercrescentem numerum , ceu perlegere datum est in *Civit. Cast. 25 Sept. 1762 § 7,* in Tuscul. 8 Iunii 1765 § 9

Ordinarius autumat eiusmodi adesse causam , ceu supra relatum fuit. In iure autem exploratum est Sacerdoti curam animarum habenti, ob suam, qua laboratinfirmitatem, coad-

iute-rem seu Vicarium ei adiungendum fore, *tit. de Clenc aegrot. per tot. Fagnan. in Cap. Coeterum de Rescriptis* num. 75. Et re quidem vera, si Parochus C. physico haud laborat morbo, morali tamen detinetur infirmitate, veluti candide id Episcopus testatur : *€ et ut verum fatear non bona existima **I** ione gaudet apud gregem suum.* » Quae infirmitas, neminem latet, imparem maiori de ratione reddit illum ad munus parochiale rite obeundum. Proindeque ceu Parocho physico laboranti morbo Coadiutor adiungitur, quippe qui curam de ovibus sibi commissis haud habere possit ; ita Parocho moraliter infirmo adiungi vult, iuxta illud : *ubi enim eadem est ratio, ibi eadem esse debet iuris dispositio C. illud **ff.** ad leg. Aquil Leg. xi Titio de verb. oblig.* Quapropter liquidum apparet Parocho C. alterum vicarium adiungendum esse.

Verum, hoc praestituto, facile est definire, eiusmodi coadiutorem Parochi sumptibus alendum esse : eoquod sacrorum Canonum sanctio , S. C. C. et Canonistarum doctrina est ut onus alendi Cappellani ferat Parochus ipse qui coadiuvatur *C. 2 ubi autem de decimis in 6", S. C. C. in Fer entina Coadiutoriae 26 Februarii 1744, Rota m Asculana contribuí, congruae 28 Apr dis 1755 § 2 coram Eminentissimo Elephaututio.* Hinc pars fructuum ad paroeciam quomodocumque pertinentium , Coadiutori isti adsignanda est pro sufficienti victu, sive istaec pars tertia sit reddituum ut visum est Sacrae Rotae Romanae *apud Daran, disc. 144 num. 6 Card. Falcan, de Decim. decis. 9 num. 19,* sive sit duorum aureorum singulis mensibus, ut de sententia S. C. C. tradunt O irzia *de Benef. par. 9 cap. 2 num. 15, Barbosa de Offic, et Potest. Episc, alleg. 60 num. 2 in fin.*

Neque attendendae sunt parochi querimonias circa honorarium Coadiutori suppeditandum ; dum constet redditus certos paroeciae attingere quotannis scutata 300 ; quae summa longe eam exsuperat congruam a Sac. Canonibus praefinitam. Concilium Tridentinum equidem parochi congruam praestituit in scutatis 100 et S. Pius V in sua notissima constitutione *Ad exequendum* mandavit « *ut portio Parodus*

*as signan d, n non maior centum nec minor quinquaginta seniorum cnnuo^um summa , computatis omnibus etiam incertis emolumentis et aliis obventionibus percipi solitis, eis omnino assignetur.* » Ex praxi S. G. C. curandam est; ut *centum* sint pro rectore ; quod statutum fuit in una Civitatis Castel. 24 Novembris 1821 ad 2 dubium, in Asculana Congruae 21 Iulii 1827 §. Praeterea.

His praenotatis prudentiae EE. PP. CC. remissum fuit ut resolveretur quid esset respondendum petitioni Episcopi B.

RESOLUTIO. Sacra C. Congregatio die 24 Iulii 1875, causa cognita , respondere putavit :

*In casu exposito cogi posse Parochum et amplius.*

EXINDE COLLIGES.

I. Episcopos , ex iure , posse , tamquam Apostolicae Sedis delegatos , Coadiutores deputare, qui pro bono animarum in administrandis sacramentis, Titulari impedito aut impari ob supercrescentem fidelium numerum, auxilium praestent.

II. Indubium ab omnibus haberi Sacrosanctae Tridentinae Synodi mentem fuisse ut Coadiutor de facultatibus Ecclesiae Coadiuti congruam reciperet portionem ad suam sustentationem , cum edixerit Episcopos etiam posse assignare Coadiutoribus partem fructuum pro sufficienti victu eorum.

III. Doctorum quoque esse sententiam Coadiutorem adiungi debere sumptibus Coadiuti, quoties Ecclesiae, vel beneficii redditus aut abundantes sint, aut saltem sufficiant pro congrua Coadiutoris et Coadiuti sustentatione (1).

(1) Controversum est inter Doctores quando redditus Ecclesiae non sufficiant pro utroque quis sit praeferendus an Coadiutor, qui actu servitium praestat et est operarius dignus mercede sua; v<a Coadiutus morbo vel alia latione id agere impeditus.

Etsi alius alia in medium protulerit, tamen invaluisse sententiam videtur prius esse providendum Coadiuto infirmo vel impedito ex redditibusvjßuae Ecclesiae. Et ratio est quia Coadiutus, quamvis impeditus, quum residere debeat , manet semper illius Ecclesiae Rector quoad ius si non quoad exercitium Vi autem huius obligatoriae residentiae censetur suae Ecclesiae deservire; ideoque ex eius redditibus alendus est. Praeterea quum Coadiutus habeat titulum et possessionem cum servitio residentiae, praeferendus est Coadiuton- qui nec titulum habet nec possessionem,

**IV. Rationem ipsam et iustitiae regulas suadere Coadiutorem sumptibus Coadiuti vivere debere : eoquod est princi^-pium in iure receptum «** *qui commodum sentit debet et incommodum per sentire.*

V. **Esse Tridentini mentem, et Doctores admittere ceu causam iustam atque legitimam, supercrescentem Parochianorum numerum adigere Rectores sibi assumere unum vel plures Coadiutores si per se solos impares effecti fuerint ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum.**

«ed nudum exercitium. Quod si alioquin aegroto vel quomodolibet impedito subtraherentpr stipendia, alii essent eius esempio deterriti, et *forte non posset, qui militaret Ecclesiae, inveniri.* Attamen si redditus sufficiant pro Coadiuto tantum, pro Coadiutore Episcopus aliunde providere debet.

# CIRCA MISSAM PRO POPULO

*Die 27 Februarii 1875.*

Revmus Episcopus V. supplici libello Sacratissimum Principem adiit haec exponens:

« In Dioecesi V. non pauci sunt Parochi duabus paroe-
» ciis distinctis praepositi. In Dominicis et in Festis de prae-
» cepto Missam in unaquaque paroecia celebrant pro populo.
» Sed aliquoties isti parochi se conferre non possunt ad secun-
» dam paroeciam, vel propter repentinam difficultatem vel ob
» intemperiem, aut etiam celebrare nequeunt, neque in una,
» neque in altera Paroecia ob infirmitatem subitaueam aut
» diutiaam. Et saepissime deest alter presbyter, qui vicem
» implere possit, nam presbyterorum numerus exiguus est, et
» alii ab aliis non parum distant.

» Quod attinet ad Festa suppressa, quae in hebdomadam
» incidunt, et non sunt de praecepto, in quibus tamen adest
» obligatio Missam applicandi pro populo, parochi qui duas
» regunt paroecias, binare non possunt, et aliunde valde illis
» onerosum est duas celebrare Missas, unam nempe ipso die
» Festi pro una paroecia, alteram postridie vel alio die pro
» secunda paroecia, duas illas pro populo Missas applicando.
» Nam in nostra Dioecesi reditus nimis exigui sunt. Plurimi
» parochi vix sustentari possunt, etiam multas imponendo sibi
» privationes.

» Quapropter Episcopus V. postulat ad quinquennium po-
» testatem dispensandi cum parochis duabus paroeciis praepo-
» sitis, et ut supra impeditis a celebranda secunda Missa pro
» populo diebus Dominicis vel Festis de praecepto ; et insuper
» cum iisdem dispensandi a secunda pro populo Missa in heb-
•> domada in Festis suppressis, ita ut unica Missa pro duabus
» paroeciis applicari possit.

» A avertendum est quod plures animarum pastores, duas
» paroecias regentes, usque adhuc unicam Missam pro populo
» applicarunt in Festis, in quibus secundam Missam celebrare
» debuissent etiam pro populo alterius paroeciae.

» Igitur supradictus Episcopus implorat sanationem et abso-
» ultionem circa Missas non celebratas pro populo secundae
» paroeciae diebus Festis suppressis , et quae in hebdomada
» applicari debuissent. Episcopus V. has petitiones sperat be-
» nigne excipiendas, siquidem iidem favores in iisdem circum-
> stantiis Catalaunensi Episcopo die IX Maii 1874 concessi
> fuerunt. >

**ANIMADVERSIONES EX OFFICIO**

Ex officio animadversum fuit parochos aliosque omnes curam animarum actu exercentes teneri, divino praecepto, pro ovibus sibi commissis novae legis sacrificium offerre. Idque aperte docere Tridentinos Patres *Sess. 22. cap. I.de reformat.* ita ut missae pro populo applicatio recenseri mereatur inter pastoralia munera, quae parocho, ratione officii, incumbunt uti innuit Innocentius XII in Constitutione diei 24 Aprilis 1699; eaque habere locum debeat tam in omnibus Dominicis, quam in aliis solemnioribus festis, iuxta *notis. Constit. Bened. XIV. Cum semper oblatas* et quidem etsi tenues sint paroeciae reditus *S. C. C. in Ferentino, 26 Martii 1735.*

Omnia haec porro firma manent non modo pro iis diebus, qui adhuc a populo servantur, sed etiam pro festis diebus iam suppressis. Ut enim omnes norunt, Pontifices Summi qui. plebem christianam ab onere audiendi sacrum illis diebus liberam reddiderunt, haud parochos exonerarunt ab obligatione missam applicandi pro populo, sicut elucet ex pluribus S. C. C. declarationibus, ex ipsa Benedicti XIV. Constit, n. 7. et ex uteris encyclicis diei 8 Maii 1858 Sanctissimi D- Nostri, cuius initium *Amantissimi Redemptoris,* quibus non novum aliquod onus imponitur, sed rursus tantum praecipitur, et declaratur omnino observandam esse veterem obligationem, contra quam, nulla quamvis antiqua, seu etiam immemorabilis consuetudo

adduci efficaciter possit, iuxta cii. const. Bened. XIV. n. 5. « Nonnulli vero ad evitandum huiusmodi obligationis imple- » mentum allegare solent, congruos sibi parochiae suae redi- » ius non suppetere; alii vero ad inveteratam consuetudinem » confugiunt sustinentes, id neque sibi neque decessoribus suis » per longum tempus, quod immemorabile affirmant, umquam » in usu fuisse, hoc autem ad praecedentes praedictae Con- » gregationis Concilii resolutiones nostram approbationem et » confirmationem extendimus et quatenus opus sit, auctoritate » Apostolica iterum tenore praesentium decernimus et decla- » ramus, quod licet parochi, seu alii ut supra animarum curam » habentes, congruis praefinitis reditibus destituantur, et » quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in » ipsorum dioecesibus, seu parochiis obtinuerit, ut missa pro » populo non applicaretur, eadem nihilominus omnino in » posterum ab ipsis debeat applicari. »

Obligationem eiusmodi, ita ergo Parochos omnesque curam animarum habentes urgere ut si ipsi duabus fuerint paroeciis praepositi, binas missas pro populo applicare teneantur, sive per se, si eis binandi facultas facta sit, sive per alios, sive altera die in hebdomada, si eâ careant. Excipi tamen solummodo casum quo duarum unio paroeciarum sit plenaria ei extinctiva; ita ut ex duabus paroeciis una prorsus ob extinctionem alterius evadat. Et re quidem vera in causa *Lucen.* die 12 Martii 1774 proposito dubio « An parochi, duabus » ecclesiis parochialibus praepositi, teneantur dominicis aliisque » festis diebus Missam in unaquaque ecclesia, sive perse, sive » per alium applicare pro populo in casu » sequens responsum editum fuit: *affirmative,* exceptis tantum parochiis *unitis unione plenaria et extinctiva et scribatur Episcopo iuxta instructionem.* Et instructio S. O. Congregationis ad Episcopum haec est: *quod parochi teneantur applicationi supradictae Missae pro populo singulis diebus dominicis et festis in unaquaque ex Ecclesiis parochialibus,* quae vel aeque prin • cipaliter vel subiective coniunctae sunt atque incorporatae, *cum applicatio unius tantummodo Missae pro populo lecum habeat*

m *iis parochialibus, quae invi com adeo unitae coniunctae atque incurparatae sunt, ut ex duabus una prorsus eum extinctione tituli alterius evaserit.* Nec aliter respondit eadem S. C. C. in *Oveten.* Missae pro populo 18 Novem. 182(5. et in *Cameracen, die 25 Septembr. 1858* in qua interrogata: an parochus qui duas parochias regit, et ideo bis in die celebrat, utrique parochiae suam Missam applicare teneatur, non obstante redituum exiguitate in casu ? respondit: *affirmative.* Tandem similiter responsum fuit in *Salamantina* die 22 Februarii 1822, et die 21 Martii 1863.

Verum ex altera parte rationum momenta ab Episcopo V. in suo supplici libello exposita ita gravia visa sunt u* eiusdem preces benigne excipiendae videantur. Quod enim attinet ad ea, quae prae primis Episcopus postulat, dispensandi nempe ad *quinquennium* a celebratione Missae pro populo diebus dominicis vel festis de praecepto; nec non et a secunda pro populo Missa in hebdomada in diebus festis suppressis , ita ut unica Missa pro duabus paroeciis applicari possit, necessitas ipsa id suadere videtur. Sane ad dies dominicos et festos quod attinet, Episcopus ait, quod aliquando parochi se conferre non possunt ad secundam paroeciam, vel propter repentinam • difficultatem vel ob intemperiem; aut etiam ob infirmitatem subii an eam aut diutinam celebrare nequeunt neque in una neque in altera paroecia; et saepissime impossibile fere esse per alium Sacerdotem supplere, tum quia presbyterorum numerus exiguus est, tum quia etiam alii ab aliis non parum distant. In iure autem tralatitium esse, ad impossibile neminem teneri.

Quod vero suppressa festa contingit, quae in hebdomadam incidunt, et non sunt de praecepto , in quibus tamen adest obligatio missam applicandi pro populo, Episcopus addit, quod parochi qui duas regunt paroecias binare non possunt, et quod illis valde onerosum foret duas celebrare pro populo Missas, unam videlicet ipso die festi pro una paroecia, alterum alio die pro secunda paroecia. Etenim in Dioecesi V. reditus nimis exigui sunt et plurimi parochi vix sustentari possunt. Porro haec postrema ratio tanti ponderis esse videi ur, ut gratia

quam Episcopus enixe implorat minime videretur esse denegada. Scitum est enim quod qui altari deserviunt de altari vivere debent, et bovi trituranti os non est claudendum. Hinc Theologos et Canonistas communiter docere, Missarum eleemosynas ideo introductas fuisse, ut Sacerdotum sustentationi suppleatur. Satis est revocare in mentem quod Angelicus tradit 2, 2. q. 10. art. 2. *Sacerdos enim non accipit pecuniam, quasi pretium consecrationis ; sed quasi stipendium suae sustentationis.* Concordat Bened. XIV. de Synod. Dioec. lib. 5. cap. 8. Quae prae oculis habens S. C. C iustis et legitimis causis concurrentibus alias id concessit, quemadmodum videre est in *Catalaunen. die 9. Maii 1874* quae cum praesenti causa maximam habet affinitatem.

Redituum exiguitas tandem iustam validamque praebere rationem videtur, ut concedi posset sanatio et absolutio quoad Missas pro populo secundae paroeciae diebus festis suppressis in antecessum non celebratas, et quae in hebdomada applicari debuissent; dum aliter grave parochis obveniret damnum. Hac enim de re S. C. C. huiusmodi gratiam largita est pluries, ut in citata causa videre est et in aliis complurimis.

His aliisque notatis remissum fuit iudicio EE. PP. CC. perpendere an preces Episcopi V. excipiendae essent nec ne.

RESOLUTIO. Sacra C. Concilii die 27 Februarii 1875, causa cognita, respondere putavit: *Detur responsum ut in Catalaunen. diei 9 Maii 1874;* quod sic sese habet: *Quoad absolutionem celebrata, ab unoquoque parocho una, Missa pro gratia absolutionis super enuntiatis omissionibus. Quoad vero dispensationem Episcopo cum facultate dispensandi iuxta petita, et in circumstantiis taxative inibi expressis, onerata ipsius Epis* **rupi** *conscientia ad quinquennium, f acto verbo cum SSmo.*

EXINDE COLLIGES:

I. Firmum immotumque manere Parochis onus, ex divino praecepto, applicandi Missam pro populo; ita ut si Parochus unus duabus praesit paroeciis duas applicare obstringitur missas

sive per se, si binandi facultate polleat, sive per alium, siva infra hebdomadam.

II. Onus eiusmodi permanere non solum pro illis diebus, qui adhuc a populo servantur; verum etiam pro diebus festis, auctoritate pontifìcia suppressis ; eoquod dum per Summos Pontifices christiana plebs ab audiendo sacro eximitur praedictis diebus, haud vero ab onere applicandi Missam pro populo exonerantur animarum pastores.

III. Praefatam doctrinam fuisse firmatam quamplurimis S. C C. declarationibus , et auctoritate Apostolica Benedicti XIV; qui haud admittit ceu excusantem causam ab eiusmodi oneris implemento neque redituum tenuitatem, neque inveteratam consuetudinem contrariam (1).

IV. Colliges quoque haud teneri parochum duas applicare Missas, sed unam tantum, si duabus quidem praesit paroeciis, quae tamen invicem adeo unitae sint atque coniunctae, ut ex duabus una effecta sit cum tituli alterius extinctione.

V. Applicare missas quas omisit, aut exposcere absolutionem a S. Sede debere super praeteritis omissionibus illum, qui, etiam bona fide reputans se non teneri obligatione tali, vel aliqua rationabili excusari causa, duas haud applicavit missas pro populis duobus, quibus praefuit.

VI. Aliquando a S. Sede concedi ad tempus locorum Ordinariis petitam facultatem dispensandi cum Parochis qui duas regant paroecias, et binandi facultate careant; ut unicam applicent Missam pro duobus populis.

VII. Eiusmodi Ordinariorum preces tamen excipi benigne a S. Sede tantum solere si gravia adsint adiuncta, quae maximam inducant difficultatem huius oneris implendi ex parte parochi.

(1) Onus applicandi missam pro animabus sibi commissis ita inhaerens, ex divino praecepto, officio pastorum semper habitum est, ut illud a nonnullis extendatur ad Praelatos Regulares, ad Episcopos et etiam ad Summum Pontificem. Etenim P. Antonius Naldi, in *Summa ». Parochus n. 19.* ait: *Revera, non magis debet de iure Divino obligari Parochus in hoc pro suis ovibus, quam Praelatus Regularis pro suis subditis, Episcopus pro sua Dioecesi, atque etiam Summus Pontifex pro universali Ecclesia , in quibus proportionaliter esset dicendum, quod de parocho.*

# DECRETUM

## MANTUANA

Quum SSmo. Dno. Nro. Pio PP. IX. ex certis nunciis innotuerit ex hac vita nuper migrasse Praesulem Basilium de Corridori, qui Abbatiam Nullius S. Barbarae in Mantuana Dioecesi existentem et S. Sedi immediate subiectam possidebat, ac propterea eamdem esse modo vacantem: cupiens autem Sanctitas Sua, ne ex huiusmodi vacatione aliquid detrimenti ipsa capiat, ac volens nunc provisorium in modum ei prospicere , satius duxit eamdem Abbatiam interim Rmo Episcopo Mantuano commendare, ac subiicere, prout per praesens decretum commendat, subiicit, atque submittit ad beneplacitum S, Sedis una cum Clero eidem Abbatiae addicto, nec non cum omnibus iuribus, privilegiis, praeeminentiis quomodocumque Abbatiae et Abbati pro tempore existenti competentibus.

Datum Romae ex Secretaria S. C. Concilii die 4 Nov. 1875.

**P.** CARD. CATERINI Praefectus.

# EX CONGREGATIONE EPISCOPUM ET REGULARIUM
# CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

## PENS10NIS

***Die 28 Maii 1875.***

**Compendium f«eti.** Capitulum Ecclesiae Metropolitanae TJ. constabat quatuor Dignitatibus, quindecim Canonicis, Capellanis ad Capellani SS. Sacramenti deputai is, aliisque qui Capitulo inserviebant: qui omnes, praeter Dignitates et canonicos, amovibiles erant ad nutum.

Cum vero ad Summum Pontificatum evectus esset Clemens XI domo U. cupiens illius Metropolitanae cultui decentius prospicere, Bulla *Super universas* lata die 6 Iulii 1714 Collegium septem Beneficiatorum instituit, qui tum residentiae, tum divinis persolvendis officiis quotidie essent obstricti. « Septem perpetua beneficia simplicia ecclesiastica Beneficia- » tus nuncupanda pro septem presbyteris seu clericis futuris » in ea perpetuis beneficiatis ex Civitate vel Dioecesi U. et » non aliunde oriundis. Quique omnes simul unum Collegium » cum arca, mensa et sigillo communibus constituant et ef- » ficiant, et apud dictam metropolitanam Ecclesiam continuo » vel interpolate resideant atque deserviant, collegialiter inibi » horas canonicas, et alia divina officia una cum capitulo et » Canonicis praedictis, et ad eorum instar psallendo... motu » proprio non ad alicuius super hoc nobis oblatae petitionis » instantiam, sed de nostra mera liberalitate et Apostolicae » potestatis plenitudine, tenore praesentium perpetuo erigimus » et instituimus. »

Favore horum Beneficiatorum pensionem annuam scutatorum centum constituit *perpetuis futuris temporibus duraturam,,* quam imposuit solvendam mensae Episcopali, et Abbatiae S. Laurentii in C. quae tunc vacabant. Hae pensio-

nes indistincte afficiebant redditus omnes tum certos tum incertos, tum ordinarios tum extraordinarios mensae Episcopalis et Abbatiae; atque erant persolvendae *omni mora, tergiversatione* etc____*cessante.* Voluit insuper ut pensiones semper integrae persolverentur: « semper et omni tempore integre,
» et absque ulla etiam minima diminutione debeantur, neque
» quibusvis de causis etiam iuridicis, legitimis, piis vel pri-
» vilegiatis annullari, invalidari, ad minorem summam reduci,
» aut earum solutio retardari queat. »

Haec omnia vero sancita fuere sub poena excommunicationis et interdicti.

Saeculo et dimidio pensiones exacte solutae fuere etiam cum die 13 Martii 1864 in bona mensae Episcopalis Daemanium avidissimas manus extendit. At ob leges 1866, et 1867. bona mensae Episcopalis conversionem daemanialem passa sunt, et abbatia suppressa; ex huius tamen bonis Daemanium pensiones adhuc persolvit quas ea debebat.

Non ita tamen res se habuit circa pensionem a mensa Episcopali solvendam, nam Episcopus cum nullos alios redditus haberet quam quos ex nonnullis bonis mobilibus percipiebat, et ex aliqua summa quam interea a Daemanio habuerat futurae liquidâtionis causa, renuebat pensionem solvere.

Camerarius interea Beneficiato™m urbis U. ad Curiam Episcopalem literas dabat sub die 13 Iulii 1868, quibus Episcopum certiorem reddebat, quod Regius Oeconomatum pensionem persolverat usque ad integrum secundum semestre an. 1867; sed recusabat eam pro futuro solvere, affirmans id peti debere a Directione Regii Daemanii; qua de causa ab Episcopo petebant syngrapham solutionis pro primo semestri 1868 iam completo, et ut sollicite curaret quod reliqua pro futuro tempore solverentur.

Sed sub die 18 Septembris ex parte Episcopi responsum est, verum utique esse mensam episcopalem illo onere gravari, sed Episcopum iis in quibus tunc miserrimis circumstantiis versabatur ad s dvendutn non teneri; declaravit tamen se pensionem illam soluturum si in summa a Dae-

umilio exigenda comprehenderetur. Beneficiati ad Directionem daemanialem sese converterunt, exponentes, « iniustum omnino » esse debita non esse persolvenda nisi sint inscripta; guber- » nium sibimet contradicere cum pensionem solvat debitam > pro arreptis bonis Abbaiiae S. Laurentii, et solverit etiam » pensionem a mensa episcopali debitam usque ad annum 1867. » Inscriptionem hypothecaria^ nihil induere in substantiam y> crediti. Daemanium aut solvat,- aut sin minus litis expensas » sustinere debebit. »

Die 9 Septembris Daemanium postulationem Beneficiatorum respuit, affirmans a Gubernio iuxta leges diei 7 Iulii et 15 Augusti 1867, illa tantummodo onera satisfieri quae essent regulariter inscripta. Et sub die 18 Augusti 1869 Beneficiatus monebat, ut sese converterent ad mensam Episcopalem, quae summam ipsis debitam utique solvere poterat cum a Daemanio pro redditibus habendis interea perceperit Libellas triginta et mille.

Huiusmodi rationes iam Episcopo fuerant expositae; ipse tamen Beneficialis responderat se nihil dare posse; et potius ad illos sese converterent qui mensae bona possidebant. Verum hi declararunt et decreverunt pensionem illam esse a mensa Episcopali solvendam.

Cum itaque Beneficiati nihil a mensa Episcopali, nihil prorsus a Daemanio obtinere possent, supplicem libellum ad S. Sedem porrexerunt, in quo cum a principio exposuissent sibi deberi libellas 2398 vel a Daemanio vel a mensa, subiungebat, se defraudan dimidio reddituum beneficiorum quae ad titulum sacri patrimonii consequuti fuerant; aliud dimidium scutat. 13 seu libellarum plus minus 65, se nedum integre non percipere, sed iam spatio annorum quatuor, praeter quam quod nihil percipiant, coguntur solvere gubernio taxam ita dictam *di ricchezza mobile,* veluti si reapse pensionem perciperet. Sibi nequissimum videri Episcopum ad laicum tribunal vocare (1); Daemanium e contra non posse nisi frustra

(1) Pro eiusmodi erga episcopum quamvis non suum reverentia maxime ii Beneficiati sunt laudandi. Et utinam omnes eos imitentur! Scio enim, quos-

in iudicium a se vocari, cum mensa episcopalis vere debitrix compareat; et iudicium ad id desineret, ut mensa episcopalis ad solvendum compelleretur. Hinc se ad S. Sedem recurrere ut Episcopum benigne ad solvendum cogat.

S. Congregatio sub die 22 Februarii 1872 ad Archiepiscopum Urbis U. scripsit *pro informatione et voto, audito capitulo;* simulque voluit ut audiretur Episcopus urbis S. debitor: *nec non audiatur Episcopus S. super precibus.* Hic sub die 7 Aprilis an. 1872 respondit. « Procurator viriliter » egit, institit, et potuit tandem obtinere quasdam partiales » libellarum summas quibus gravioribus hisce necessitatibus » occurrere possem. Attamen animadvertendum, quod istae » partiales summae fuerunt affectae peculiaribus taxis, quibus » fuere imminutae, etiam in actu traditionis earumdem, ac » ideo in humili conditione habitualiter ipse maneo. »

E contra Archiepiscopus U. eam exposuit sententiam ut Episcopus S. integram summam persolvere!: « omnibus per- » pensis iustitiae consonum mihi videri a S. mensae oecono- » mo seu administratore pensionem integram Béneficiât is » huius Metropolitanae exsolvendam esse tam pro tempore » anteacto quam pro futuro, salva antedictae mensae proce- » dendi facultate si et quomodo et contra quoscumque de iure. » Petebat insuper Archiepiscopus ut administrator S. saltem ad cautelam ab excommunicatione absolveretur.

Eidem sententiae Capitulum Metropolitanae accesserat, ultro subdens: *• Administratorem S. inter ceteras passivitates » enumerasse etiam scutata centum debita beneficialis ,Ü.; » nullimode hunc iusti fi casse deficientiam mediorum ob cultus » expensas; nam pensio solvenda omnibus aliis expensis emi- » net, etiam iis sive pro Ecclesia sive pro seminario faciendis; > responsionem datam a Procuratore S. Camerario Beneficia » torum U., ut nempe hi se converterent ad eos qui mensae » bona possiderent, flocci omnino faciendam esse, cum pensio

**dam ad tribunal laicale Episcopos suos advocasse pro paucis solidis! Proh pudor! Sed viri Ecclesiae addicti qui adeo irreverentes sunt erga suum Episcopum, utinam, hoc tantum crimine maculentnr!**

» afficiat non hunc vel illum fundum mensae S. sed omnes » fructus, redditus, proventus et emolumenta tam certa quam » incerta, ordinaria et extraordinaria, etiam illa quae ex Can- » cellaria dimanant. » His habitis informationibus S. O. Epp. et RR. ad Episcopum S. literas misit, ipsum suadens, ut si summae quas interea a Daemanio percipiébat excedebant con • gruam, quam a pensione quacumque Concilium Tridentinum immunem esse voluit, aliquid Beneficiatis tribueret iuxta Decretum *Cum nuperrimis* (1) ab ipsa S. Congregatione latum; reservaret sibi tamen ius summas persolutas repetendi si a Daemanio pensio Beneficiatis solveretur. Quoniam vero Beneficiati exposuerant, summam a Daemanio Episcopo solvendam ascendere ad libellas 37353; ipsosque ab anno 1869 nihil ab Epis opo percepisse; ideo a die 27 Decembris 1872 sibi deberi affirmabant sc. 500, seu libellas 2687 : rogabant quapropter ut Episcopus ad Iunium usque 1872 solveret sc. 450; et deinde sc. 50 semestraliter, iuxta Bullam Clementis XI *Super universas Orbis Ecclesias.*

S. Congregatio, attente considerata Bulla praedicta, sub die 18 Decembris 1872 Episcopum S. monebat, fore ut, propter continuas Beneficiatorum instantias causa ista pertractantur coram universo Eminentissimorum Patrum consessu iuxta decretum 28 Ianuarii 1871, et a die 5 Iulii 1873 prae? fixit partibus terminum quatenus ulteriora iura sua deducerent ad effectum etc.

Hisce tamen nihil obstantibus, usque ad initium anni 1875 res conciliative actae sunt. Et quoniam S. Congregatio ad Curiam transmiserat exemplar Decreti *Cum nuperrimis,* atque duorum dubiorum, quae respiciebant congruam Episcoporum et Parochorum an. 1873; hinc Vicarius generalis Episcopi S. applicans ius ad factum, sub die il Iunii 1874 beneficiatis huiusmodi dabat literas.

Redditus huius mensae ante bonorum rapinam ascendebat ad libellas 35932.12; redditus actualis ad libellas 12418; ex

**(1) Habetur hoc Decretum Vol. 7. huius Ephciuir.dis pag. Ü25.**

quibus sublatis libellis 5320 pro monetae variatione (1) pensio pro Bénéficiât is reducitur ad libellas 123.35.

Id Camerarius Beneficiatorum respuit, tum quia congrua Episcopalis eiusmodi erat ut posset integram pensionem solvere, tum quia in casu applicandum non erat decretum *Cum nuperrimis,* cum pensio locum teneret veri beneficii ecclesiastici. Tandem post plurima hinc inde pacifice collata, Camerarius beneficiatorum petiit interea ab Episcopo S. libellas 2200 quibus possent expensis et taxis necessariis occurrere, quae ab Episcopo solutae sunt, salvis utriusque partis iuribus.

**Disceptatio sinóptica.**

Attamen cum quaestio minime conciliaretur, disceptata es1 coraiii Eminentissimis Patribus, atque *a Defensore Episcopi S. haec adducta.*

Defendit primo loco, non agi in themate an pensio integre solvenda sit Benefieiatis, sed agi de pensionis dictae reductione ad formam decreti *Cum nuperrimis;* idque probari tum ex iis quae ipsa S. Congregatio Episcopo S. respondit, dari scilicet posse interea aliquam summam Benefieiatis, salva tamen congrua Episcopali, proportionaliter , et ad tramitem decreti *Cum nuperrimis;* tum ex iis quae sui) die 2 Aprilis 1874 ipsa S. Congregatio rescripserat, standum esse, scilicet, resolutionibus latis ab Emis Patribus super Decreto su pradicto, iuxta quas Episcopus S. pensionibus satisfacere deberet.

Ex quibus deducit, in themate agi *de modo applicandi decretum supradictum in casu,* et non *an sit applicandum.* Qua de causa ita ratiocinatur : Romanus Pontifex Pius IX volens gravissimis quibus Episcopi et Parochi opprimuntur

**(1) S, Congregatio Epp. et RR. sub die 30 Maii 1873. ad Dubium: An respectu pensionnai, centum et mille du cata sint intelligenda taxative aut demonstrative , respondere censuit: Ad cjlüctmu de quo in decreto *Cum nuperrimis* affirmative ad 1'« partem, negative ad 2»'. ideoque ducata de quibus in Bulla Clementis VI non erant ititeli igenda ducata aurea (vulgo di Camera) valoris libellarum plus minus 9. s< c soutata romana valoris, libe). 5,^0.**

damnis ob novas leges consulere, per organum S. C. Epp. *et* RR. normam statuit : ut amissio vel diminutio redituum beneficiorum in communi Beneficiarios ac pensionarios afficiat, nullo faído inter ipsamet beneficia ipsasque pensiones discrimine, ita ut praefatis reditibus imminutis vel amissis, habita proportione, imminui etiam pro rata debeant, aut cessare pensiones. Voluit tamen ut integra remaneret congrua Episcopalis aut Parochialis.

Sancta Sedes igitur, unice respexit imminutionem redituum, atque decrevit ut eiusmodi imminutio afficeret Beneficiatus aeque ac pensionarios; secus nullimode Beneficiatorum, Episcoporum praesertim et Parochorum bono consultum fuisset.

Quoad modum autem dictum decretum applicandi, standum esse omnino, ait, ad solutionem datam duobus dubiis propositis sub die 30 Maii 1873. videlicet: I° « An ad effe-
» ctum pensionnai Ducata centum et mille intelligenda sint
» taxative, seu potius demonstrative ? » Et quatenus affirmative ad primam partem , negative ad secundam: 2° « An et
» quomodo solvi debeant pensiones ex reditu paroeciarum,
» qui excedat Ducata centum, et ex reditu mensarum Epi-
» scopalium, qui excedat, Ducata mille » Ad I^m^. « Ad effectum
» de quo agitur in decreto *Cum n.¡.p >rri /iis* affirmative ad
» primam partem, negative ad secundam. » Ad II^ra^. « Prae-
» levatis mille et respective centum , reductio proportion dis
» pensionum ob imminutionem redituum beneficiorum, de qua,
» in citato decreto , instituenda est super residuo redituum
» dictorum beneficiorum. »

Ex quibus Collecter 'Ephemeridis *Acta S. Sedis* inter cetera deducebat : « Unde etiamsi dentur casus, in quibus Pen-
» sionarii considerati tanquam consocii omnium fructuum,
» integra pensione recepta, salvam relinquerent Titulari por-
» tione m 1000, aut 100: non tamen ius haberent ad eiusmodi
» pensionis quantitatem, sed tantum super residuum ex 1000
» aut 100 proportionaliter imminuendam.» At iuxta eiusmodi sententiam, atque instituta proportione reddituum ante et post bonorum expoliationem, tum detracta summa scutatorum m iii **3**

seu libellarum 5320 ad tramites Decreti, omnino eruitur Benefieiatis nil aliud deberi quam pensionem libellarum 243.21.

*Quae pro Bénéficiait s allegata Sunt.* Defensor Beneficiatorum contra allegatas ab Episcopo S. rationes opponebat, dotem scutatorum 100 Benefieiatis assignatam, non pensionis, sed perpetui beneficii Ecclesiastici naturam induere iuxta Clementinam *Super universas* in qua iubetur, dotem praedictam esse solvendam « absque ulla etiam minima diminutione... » neque quibusvis de causis etiam iuridicis, legitimis, piis vel » privilegiatis... annullari, invalidari, ad minorem summam » reduci, aut earum solutio retardari queat. » Q.o praemisso duas, inquiebat, esse quaestiones résolve;das: I[a] de iure; an scilicet, pensiones praedictae comprehendantur iii Decreto *Cum nuperrimis,* 2[a] quo criterio et mensura, dato quod comprehendantur, applicandum illud sit decretum: prima quaestio *substantiam,* altera *modalitatem* respicit, ad qu^m tamen deveniri non potest, nisi prima resoluta.

Affirmavit igitur legisperitus ex citato decreto generalem regulam constitui, ut sive amissio sive imminutio reddituum beneficiorum aeque partiretur inter Beneficiati m atque Pensionarium. Quoniam vero si eiusmodi regulae indiscriminatim subiacuissent Episcopi et Parochi, in eo versari periculo poterant ut amitterent congruam ipsis a Tridentino assignatam, hinc horum favore decretum sancivit ut salva et integra ipsis remaneret congrua scutatorum roman. 1000, et 100. Si igitur comparatione instituta inter antiquos et novos reditus Episcopi S. appareat, ipsi salvam et integram manere congruam a Tridentino assignatam, atque insuper dimidium fortasse super ipsam congruam, quis umquam negare poterit ab Episcopo praedictas esse solvendas pensiones utpote quae in Decreto *Cum nuperrimis* non comprehendantur?

Atqui Episcopo S. esse dimidium reddituum supra congruam defensor demonstravit instituta ratione reddituum Episcopatus tum ante, tum post daemanialem depraedationem. Addidit insuper, criterium *partitionis* damnosum, quod intendit Decretum *Cuoi nuperrimis,* non esse sumendum a comparatione red i t **UÔ**

hodierni cura redditu, quo fruebatur paullo ante ultimam rapinam ; sed a comparatione redditus actualis cum redditibus existentibus tempore, quo pensione dicta fuit Episcopatus S. oneratus. Ex quo sequeretur quod cum illa imposita fuerit anno 1714. inter haec duo temporis extrema esset comparatio instituenda.

Sed praetermissa eiusmodi quaestione quae modalitatem respicit, Defensor Beneficiatorum omnino negat, Decretum *Cum nuperrimis* posse applicari pensionibus de quibus in casu.

1. Quia in iure canonico pensio est semper *precaria*, cum imponatur ob causam temporalem favore alicuius perso*-nae, quare excludit perpetuitatem: « Text. pars fructuum ad » tempus non in perpetuum separata; Givan. de pens. q. 1. » n 1. Barbosa par. 3. Ius Eccl. univ. cap. 11. n. 3. Fagnan. > in cap. Ad audientiam. » Quare Canonistae a perpetuitate differentiam deducunt inter beneficium et pensionem : « Per > hoc differt beneficium essentialiter a pensione ; pensio non » confertur in perpetuum, sed solummodo ad vitam gravati, » vel ad summum ad vitam pensionati, eoque mortuo cessat > et extinguitur. E contra vero de natura beneficii ecclesia- » stici est, ut semel legitime institutum perpetuo duret; unde » obitu beneficiati non extinguitur, neque cessat, sed dicitur » vacare donec rursum alteri conferatur.»

Iam vero in Bulla *Super universas* lata a Clemente XI. diserte affirmatur institui non pensiones, sed beneficia perpetua, quorum dos solvenda esset a mensa. Episcopali S. « Se- » ptem perpetua simplicia, beneficia ecclesiastica *perpetuo* eri- » gimus et instituimus, dictisque septem beneficiis sic erectis » et institutis pro eorum dote unam pensionem centum scu- » tatorum super mensam episcopalem S. perpetuo reservamus, » constituimus, et assignamus. »

Eiusmodi ergo institutio pensio vocari nequit.

Quod magis elucescit ex hoc quod eiusmodi pecunia esset solvenda beneficiatis qui officio ecclesiastico essent mancipii: « Horas canonicas et divina officia una cum Capitulo et Ca- » nonicis etc. psallendo, et respective celebrando. »

Neque opponatur, ab Institutore eiusmodi onus vocari nomine pensionis; nam *non est vis in nomine quando constat de re.* Et S. Rota observavit vocabulum *pensio* in casibus similibus intelligendum esse late, et improprie. « Nil relevare » quod SSmus appellaverit pensiones, exinde enim non im- » mutavit illarum naturam cum onus quodlibet lato sensu di- » citur pensio. Decis. 121. n. **1.** p. 10. recent. Cap. *Conque-* » *rente* de Cleric. non resid. Fagnan. in cap. *Ad Audientiam* » de Rescriptis n. 42 ad 45. »

Ex iis vero principiis argumentatur Defensor, Decretum *Cum nuperrimis* respicere pensiones, et non dotes beneficiorum ; neque Bullam *Super universas* comprehendi in eo decreto.

2. Subdidit insuper, Decretum *Cum nuperrimis* non comprehendisse , noluisse comprehendere, fortasse non potuisse comprehendere beneficia ecclesiastica ; non comprehendisse, quia aperte loquutum est de solis pensionibus, et conservare voluit beneficia ecclesiastica ; noluisse comprehendere , quia onera a modernis legibus imposita aggravant omnia beneficia, tam ea quae solvunt, quam ea quae recipiunt, ea proportione, quam Decretum innuit; et fortasse non potuisse comprehendere, quia perpetuitas percipiendi dotem beneficiorum statuitur in Canone *Sanctorum Canonum* Dist. 70.

3. Sed dato etiam, prosequebatur Defensor, quod Decretum cit. comprehendat etiam eiusmodi institutiones permanentes, tamen id excluderetur in casu hoc speciali.

Quandoquidem reductio onerum in favorem tertii desumenda est ex voluntate concedentis, quem si constet nullo in casu, maxime si casum praevident, voluisse eiusmodi reductionem, manifestum erit, hanc locum habere non posse, quin aut negetur concedenti auctoritas, aut violetur ius acquisitum a recipiente. Ita etiam iudicavit S. Rota Rom. cum Pontifex in actu concessionis praevident quod ob impositam pensionem integra non remanebat congrua Episcopalis a Tridentino statuta . « Pensio reservata super Episcopatu, qui non ascendit » ad scutatorum mille est valida , cum videatur derogati! m

» Concilio Tridentino ; dummodo appareat , Papam habuisse"
> notitiam valoris. » *Decis. 90. p, 9. n. 303 rec.*

Atqui casum certe praevidit Clemens ; neque tamen imminui pensionem passus est, cum scripserit, eam integram esse solvendam « peste, fame, bello, siccitate, terraemotu, et » quibusvis causis fortuitis et inexpectatis, et quocumque iudi- » cio evenire insolitis, et speciali nota dignis, et de necessi- » tate iuris vel facti omnino exprimendis non obstantibus. » Pensio igitur dicta nullo pacto est imminuenda, multo minus e medio tollenda.

4. Neque illud praetermisit Defensor observare, quod scilicet, non obstante daemaniali invasione, mensae Episcopali S. duplum Congruae a Tridentino statutae remanserit ; non potest ergo Episcopus pensionem denegare quin omnino citatam saepe Bullam Clementinam et iura a tertiis acquisita subvertat.

5. Animadvertit insuper, decretum *Cum nuperrimis* aeque favere beneficiatis ac pensionatis ; certum esse autem onus eiusmodi pensionem solvendi omnimodis non nocere Episcopo S. Quandoquidem , nisi pensio extitisset scutatorum 100, mensa episcopalis aliquid amplius a Daemanio accepisset: sed in ea maiori summa debuisset Episcopus solvere varias taxas annuas, quae constituissent summam annuam sc. 46; ita ut mensa vix percepisset scutata annua 54; at stante pensione, mensa episcopalis percipit sc. 100 a quolibet onere immunia, cum taxae in Beneficiatus, quibus sc. 100 tradenda essent, sint conversae. Ex quibus deducebat non esse admittendam reductionem scutatorum 26 ab Episcopo propositam; cum in sui favorem remaneret summa scutatorum 74, cuius excessus ipsi non deberetur.

Circa tempus vero quo dimetiendum esset incrementum aut decrementum redituum additum est ex officio, id decretum reperiri in Romana pensionis 6. Februarii 1874. Inter multos vero qui defendunt, eiusmodi tempus esse computandum a *die concessionis gratiae, impositionis, et reservationis,* recensendus est *De Rosa De eœecut. Litt. Apost.* cap. 7. n. 20, qui ita scribit: « Notandum est quod ad iustificandam:

» valorem ad finem sustinendi pensionem simpliciter reserva-
» tam, vel impositam sive in beneficio pleno, sive vacanti
> sufficit iustificatio tempore gratiae et reservationis. » Quod tamen clarius Rigantius ad reg. 55. Cane. n. 83. expressit. « Rursus probatio valoris debet percutere tempus praecisum
» gratiae ex plene relatis per Lotterium etc. Quod tamen
» moraliter est intelligendum, ut scilicet non percutiat tem-
>• pus remotum » Ex quibus postremis verbis discutiendum proponebat Eminent. Patribus, an expediens esset computare reditus beneficiales a tempore quo pensiones impositae fuere; quod factu difficillimum esse, ultro fatebatur. Adfirmavit insuper, multis in casibus S. C. Ep. et Reg., inspecta pensionum natura, decrevisse non esse applicandum in casu Decretum *Cum nuperrimis,* ut in Romana *Contributionis onerum* et *retentionis* sub diebus 30 Maii et 26 Septembris 1873. Et in Romana, *seu Minorum Reformatorum* 6 Febr. 1874 proposito dubio : *An et quomodo app'icandum sit decretum* Cum nuperrimis *in casu?* quamvis m Bullis de pensionibus sermo esset, responsum fuit: *Attentis peculiaribus circumstantiis negative in omnibus.* Quod et alias responsum fuit.

Quibus visis et consideratis ad duo proposita dubia, quorum 1m. « An et quomodo applicandum sit Decretum *Cum*
> *nuperrimis* in casu ? »

Et quatenus affirmative.

2m. « An, quomodo, et a quo tempore sit locus reductioni
» summae libellarum 532 quae assignatae sunt Benefieiatis
> Ecclesiae U. in casu? » Eminentissimi Patres sub die 28 Maii 1875 respondendum censuere.

Ad 1m. Concurrentibus peculiaribus circumstantiis in casu concurrentibus negative.

Ad 2m. Provisum in primo.

## Ex QUIBUS COLLIGANT LECTORES.

I. Decretum *Cum nuperrimis* tantum afficere pensione» proprie dictas, non autem eas quae induunt naturam beneficiorum Ecclesiasticorum.

II. Valde differre inter se pensiones et beneficia: pensio enim suapte natura precaria est, quia imponitur ob causam temporalem favore alicuius personae; beneficium vero semel legitime institutum perpetuo durat.

III. Pensionem ideo expirare cum vita *gravati,* seu ad summum cum vita *pensionati;* dum e contra beneficium, obitu beneficiati, non cessat, sed vacat donec alteri rursus conferatur.

IV. Congruam Episcopalem et Paroecialem a Tridentino statutam integram conservari debere.

V. Quapropter si quae pensiones sint ab Episcopis vel Parochis solvendae, super his solvi debere quae congruam excedunt, servata aequa gravaminum proportione.

# EX S. RITUUM CONGREGATIONE

## NUCERINA PAGANORUM

Rmus **D.** Raphael Ammirante Episcopus Nucerinus Paganorum exposuit, in quadam Collegiata Dioeceseos suae adesse obligationem celebrandi per Annum nonnulla Funera quae sunt applicanda pro Benefactoribus, quumque ipsa nullam habeant fixam diem, persolvuntur, quando per ritum diei fas est. In his dicitur cum cantu Missa, quae est de quotidianis. Plurimae vero quum exortae sint controversiae circa hanc Missam , praefatus Episcopus insequentia Dubia Sacrorum Rituum Congregationi solvenda proposuit, nimirum:

*Dubium I.* Utrum in hac Missa solemni dici debeant tres Orationes uti iacent in Missis quotidianis, sine ulla mutatione?

*Dubium II.* Utrum liceat vel debeat mutari secunda Oratio cum illa, quae post Missas quotidianas, inter diversas reperitur , signata N. 11. vel 12.?

*Dubium III.* Utrum haec tantum Oratio signata N. **11.** vel 12. dicenda sit?

*Dubium IV.* Quum sermo sit de eisdem Missis quotidianis cum cantu celebrandis, estne eadem regula servanda, quando funus celebratur pro uno defuncto, vel una defuncta circa numerum et mutationem secundae Orationis ?

*Dubium V.* Quum dies anniversaria obitus vel depositionis alicuius defuncti sit dies privilegiata aeque ac dies 3.* et 7." vel 30.ª potestne in Missa , quae celebratur solemniter in die anniversaria dici nomen defuncti vel defunctae, uti fit in die 3.ª 7.ª et 30.ª ?

*Dubium VI.* Quum fiat funus cum aliqua solemnitate potestne in Missis quotidianis dici nomen defuncti vel defunctae, quando mutatur secunda Oratio?

*Dubium VII* Quum celebrationem Missae solemnis praecedat frequenter recitatio Officii Defunctorum, potestne in Ora-

tione, quae dicitur in die anniversaria, addi nomen defuncti vel defunctae ?

Sacra vero Congregatio referente infrascripto Secretario propositis Dubiis respondendum censuit:

Ad I. II. et XII. *In Missis quotidianis de Requie, quae solemniter cantantur, una tantum Oratio dicenda (excepta prima die mensis et Feria II) et in casu solum illa signata N. 11 vel 12 quae est pro pluribus defunctis ; et dentur Decreta in una, Ordinis Minorum Sancti Francisci de Observantia diei 16 Aprilis IS53 ad XXII et in una Briocen diei 12 Augusti 1854 ad XI (\).*

Ad IV. *Provisum in responsione superiori, et Oratio conveniens esse debet personae, aut personis pro quibus celebratur.*

Ad V. VI. et VII. *Orationes in quibus Littera N non invenitur tam in Missa quam in Officio sine nomine legendae, et ' dentur Decreta in una, Viglevanen diei 7 Aprilis 1832, et in una s. Marci diei 22 Mar iii 1862* (2).

Atque ita respondit et servari mandavit. Die 19 Iunii 1 8 7 5 .

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEFECTUS

Loco *fa* Sigilli

*Piae. Rulli S. R. C. Secretarius.*

**(1) En, in comm od n m lectorum decre ia ad quae remittit S. R. C. in responsis supra datis. « An quoties Missa *de Requie* quotidiana decantatur cum Diacono et Subdiacono una tantum Oratio in ea dicenda sit (excepta prima die Mensis et Feria secunda), vel requiratur etiam concursus et pompa exterior , uti opinatur Cavalieri explicans illud *solemniter* Rubricae Missalis *Tit.* V. *n.* 3?» S. R. C. resp. *Affirmative* ad** 1. **part. *Negative ad* 2. die 16 apr. 1853, in una *Ord. Min. s. Franc. de Obser.* ad 22 (5183). — Et *in Briocen.*, die 12 aug. 1854, ad 11. (5208), interrogata: « Utrum secunda Oratio semper mutari possit, et eius loco dici Oratio pro defuncto aut defuncta? » S. C. respondit: * Unicam Orationem dicendam in Missa *de Requie* cum cantu pro anima illius, quam designat eleemosynam exhi« bens ».**

**(2) *In Viglevanen.* die 6 apr.** 1832 (4687), **S. R. C. respondendum censuit: «Oratio, *Inclina Domine*, legenda sine nomine, uti iacet in Breviario, et Missa-Ii Romano, citra tamen probationem cónsuetudinis dicendi has preces post Laudes, quae iuxta Rubricas dicendae forent post Primam ». Et in una *S. Marci*, dio 22 mart. 1862 (5318), ad dub. 17: « In recitandis Orationibus pro Defunctis vide-1 ieet: *Deus Indulgentiarum* etc. *Inclina Domine* etc. potestne superad di nomen et titulus defuncti? » Ead. S.** C **resp. *Negative,***

# DECRETUM

**BISINIANEN. Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Fr. Humilis a Bisiniano Laici Professi Ordinis Minorum Sancti Francisci Beformatorum.**

**SUPER DUBIO**

*An et de quibus Miraculis constet in casu et ad effectum de quo agitur i*

Magnum' constructurus sanctitatis fastigium Ven. Servus Dei Humilis a Bisiniano, alta prius iecit fundamenta humilitatis in ipso, quod assumpsit nomine inter sodales laicos Franciscalis familiae Reformatorum. Quam porro congruenter ita appellaretur, totius vitae eius ratio evidenter ostendit. Fidelissimus enim Sancti Patris Francisci sectator et filius arctissimam paupertatem, tamquam humilitatis fomentum et virtutum omnium radicem iuxta Patris sui praecepta ita adamavit, ut rerum humanarum contemptu, asperrimis carnis aifiictationihus, suique abnegatione Crucis mortificationem iugiter in suo corpore portaverit. In exercitatione itaque virtutum omnium quotidie progrediens, quo sibi demissior, eo supernis charismatibus sublimior in carne ambulans non secundum carnem m ditavit.

Post severam igitur ex more examen super eiusdem Yen. Servi Dei virtutibus, heroicas solemniter eas fuisse pronunciavit Sa. Mem. Pius PP. VI. die Sancto Francisco sacra anno MDCCLXXX. Pontificio autem Decreto cum divinum miraculorum testimonium suffragantur, Causae Postulator ex iis prodigiosis sanationibus, quae Ven. Servo Dei intercessore peractae in processuum tabulis referebantur, duas iudicio Sacr. Rituum Congregationi discutiendas proposuit. De iis porro iuxta Apostolicas constitutiones triplex institutum fuit examen: primum scilicet in Antepraeparatorio coetu in aedibus Reverendissimi Cardinalis Antonii Mariae Panebianco Maioris Poenitentiarii Causae Relatoris IV. Idus Sept. An. MDCCCLXVH. secundo in Praeparatoriis comitiis in Palatio Apostolico Vaticano VI. Kalendas Maias anni MDCCCLXX. in Generali tandem Congregatione coram SSmo Domino Nostro Pio PP. IX. in

Vaticano Palatio habita Kalendas Junii vertentis anni. Tn qua vero cum praefatus Reverendissimus Cardinalis Relator dubium proposuisset « *An et de quibus" Miraculis constet in caste, et ad effectum de quo agitur ?* » Reverendissimi Cardinales SS. Ritibus tuendis praepositi, ac Patres Consultores singuli ex ordine suffragium suum protulerunt. Quibus auditis SSmus Dominus Noster antequam mentis suae oraculum ediceret, omnes hortatus est, ut in tam gravi ferendo iudicio divini luminis opem incessanter a Domino postularent

Implorata tandem superni luminis illustratione Sanctitas Sua supremum iudicium hodierna Dominica ultima post Pentecosten Praesentationi Immaculatae Virginis devota proferre constituit, qua etiam tuto procedi posse decrevit ad Beatificationem tam Ven. Servi Dei Alphonsi de Orozco, quam Ven. Servi Dei Caroli a Setia. Postquam itaque incruentum Sacrificium pienissime obtulerat, in aulam nobiliorem Vaticanae aedis vocari iussit Reverendissimum Cardinalem Constantinum Patrizi Episcopum Ostien. et Veliternen. S. Collegii Decanum et SS. Rituum Congregationis Praefectum, et Reverendissimum Cardinalem Antonium Mariam Panebianco Maiorem Poenitentiarium Causaeque Relatorem una cum R. P. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, meque infrascripto eiusdem Congregationis Secretario, iisque adstantibus solemniter edixit « *Constare de duobus propositis Miraculis in tertio genere* > scilicet de primo « *Instantaneae, perfectaeque sanationis pueri Iosephi Panza a lepra* » tum do altero « *Instantaneae,perfectaeque sanationis Beatricis Lerra a parotite gravissimis stipata symptomatibus.* •»

Hoc autem Decretum in Sacrorum Rituum Congregationis acta referri, atque evulgari mandavit XI. Kalendas Decembris Anni MDCCCLXXV.

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELTTERNEN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEFECTUS

LOCO *fa* Signi

PLACIDUS RALLI S. R. C. SECRETARIUS

# DECRETUM

**TOTi^TATTA Beatificationis et Canonizationis Ven Servi Dei Fr Alphonsi de OiVD-scD Sacerdotis Professi Ordinis Eremitarum Sancti Augustini Provinciae Hispanicae.**

SUPER DUBIO

*An stante approbatione Virtutum et duorum Miraculorum tuto procedi possit ad Beatificationem Ven. Servi Dei?*

Ven. Dei Servus Alphonsus de Orozco Sacerdos Professus in inclita Eremitarum S. Augustini familia, fuit equidem in universa Hispania in qua ortum et vitam duxit, exemplum in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, sedulo attendens lectioni, exhortationi et doctrinae. Indefessa namque verbi Dei praedicatione, qua scriptis, qua consilio, qua effusa in pauperes caritate , omnibus omnia factus , ut omnes Christo lucrifaceret. Nomen eius propterea apud omnes concives praesertim fuit in benedictione: hinc de Ven. Servi Dei christianarum virtutum excellentia, quas divinum etiam prodigiorum testimonium commendabat, actum de more est in Sacrorum Rituum Congregatione, easque post accuratissimam disquisitionem heroicas declaravit sa. mem. Clemens XII. in pervigilio Assumptionis Beatissimae Virginis Mariae Anni MDCCXXXll. Diuturnum vero post silentium iniuria tantum temporum causae impositum, duo tandem proposita fuere Miracula Ven. Servi Dei ope patrata, eaque post se verum discussionis examen solemni Decreto probavit SSmus Dominus Noster PIUS PAPA IX. XVII. Kalendas Decembris Anni MDCCCLXXIV. Congruum autem hodie potissimum est Ven. Alphonsi nomen inter Beatos accensere, ut qui placuit Deo et inventus est iustus, sit gentis suae hisce diebus iracundiae reconciliatio. Quapropter in generalibus Comitiis coram Sanctissimo Domino Nostro PIO PAPA IX. in Vaticana aede habitis Kalendis Iunii vertentis anni Reverendissimus Cardinalis Constantinus Patrizi Episcopus Ostiem et Veliteinen., Sacri Collegii Decanus, SS. Rituum Congregationis Praefectus

et Causae Relator dubium proposuit « *An stante Virtutum et duorum Miraculorum approbatione tuto procedi possit ad Ven. Servi Dei Beatificationem ?* » unumque Patres omnes responsum reddidere, decernendos nimirum esse Ven. Servo Dei Alphonso De Orozco altarium honores.

Suffragium vero huiusmodi antequam sententia sua ratum SANCTISSIMOS PATER haberet, rei gravitatem animo reputans, auxilium de Sancto impetrandum fore indixit.

Iteratis itaque in spiritu humilitatis ad Deum precibus, Sanctissimus Dominus Noster PIUS PAPA IX. Dominica ultima post Pentecosten, qua Praesentationis Immaculatae Virginis Mariae memoria recolitur, peracta ferventer Eucharistici Sacrificii oblatione, accitisque in aulam nobiliorem Vaticani Palatii Reverendissimo Cardinali Constantino Patrizi Episcopo Ostien. et Veliternen. SS. Rit. Congreg. Praefecto et Causae Relatore, nec non R. P. Laurentio Salvati S. Fidei Promotore, meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus decrevit « *Tuto procedi posse ad Ven. Servi Dei Alphonsi de Orozco Beatificationem.* »

Hoc vero Decretum publici iuris fieri, in Sacrorum Rituum acta referri, Litterasque Apostolicas in forma Brevis de solemni Beatificatione in Patriarchali Basilica Vaticana quandocumque celebranda expediri iussit.

XI. Kal. Decembr. An. MDCCCLXXV.

C. EPISCOPUS OSTIEN. ET VELITERN. CARD. PATRIZI
S. R. C. PRAEFECTUS

Loco £g Sigilli

PLACIDUS RALLI S. R. C. SECRETARIUS.

# SUMMA ACTORUM

## QUAE IN HOC OCTAVO VOLUMINE CONTINENTUR

### ACTA SOLEMNIORÂ ROMANI PONTIFICIS.

## EX ACTIS CONSISTORIALIBUS.



## EX AEDIBUS VATICANIS,



## LITTERAE APOSTOLICAE.



## EX S. CONGR. S. R. U. ÍNQUISIT.



## EX S. CONGREGATIONE INDICIS.

EX S. APOST. POENITENTIARIA,



EX S. CONGREGATIONE CONCILII.

EX S. CONGR. EPISC. ET REGUL.



EX S. CONGR. INDULGENTIARUM,



EX S. CONGREGATIONE RITUUM.

# INDEX GENERALIS

**CONCLUSIONUM QUAE IN PLERISQUE ACTIS IN HOC VOLUMINE RELATA ADNOTATAE SUNT, QUARUM MATERIA IN RESPECTIVIS ACTIS AMPLE EXPOSITA, VEL DECLARATA REPERITUR.**

Eae autem conclusiones sub sequentibus verbis comprehenduntur.



## Administratio Sacramentorum.

Ius Sacramenta administrandi Episcopo infirmo, tum ei defunto funera persolvendi, Missam et Officium faciendi ad Canonicos pertinet, minime ad Parochum, *pag.* 210.

Canonici non possunt huic iuri renuntiare, tum quia inductum est ut consulatur dignitati et honori Episcoporum, tum quia sit lex universalis, a qua dispensare non potest nisi Summus Pontifex, *ibid.*

Ex officio sequuntur emolumenta ? ideoque ad illos spectant qui ius habent persolvendi officia atque persolverint, *ibid.*

Statuta Caeremonialis Episcoporum vim legis habent, eaque ab omnibus sunt servanda, *ibid.*

## Appellatio.

Nemo appellare potest a definitiva sententia lata nisi infra tempus a iure constitutum-, nempe antequam definitiva sententia transeat in rem iudicatam ; dum ex regula iuris *res iudicata pro veritate accipitur, pag.* 613.

Sententia definitiva tunc regulariter ex iure transit in rem iudicatam, si infra decem dies a sua prolatione non appelletur ab ipsa, adeo ut postea ree tractari non possit, et contradicere volens non audiatur, *pag.* 614.

Sententia definitiva transit in rem iudicatam etiamsi debito tempore appellatum sit ab ea; postea tamen appellatio deserta fueiit, *ibid.*

Licet aliquando legitime insurgera contra rem iudicatam ; haud temer-

íamen, nec sme cansa, sed alterutro dumtaxat in casu; vel si violata lex fuerit, vel nova et gravia monumenta demonstrent iudicantes deceptus fuisse in factorum adiunctis, ***ibid.***

### Applicatio Missae.

Sacrificium Missae est regulariter applicandum pro fundatore; quamvis in instrumento fundationis vel institutionis oneris Missae in quadam ecclesia simpliciter iussum fuerit Missam esse celebrandam, ***pag.*** 666.

Proindeque non sufficit sola praesentia ad implendum celebrandi onus, dum verbum ***celebrare*** communi!er accipi soleat ad significandum onus applicationis Missae peragendae favore pii fundatoris, nonobstante quacumque observantia in contrarium, ***ibid.***

**V ' A** utroque iure, amico foedere, innui I ur in obscuris inspiciendum esse, quod verisimilius sit, aut quod plerumque fieri solet; ast nil verisimilius eum, qui onus imposuit celebrandi Missam, voluisse etiam sibi applicari eius fructum, ***ibid.***

Excipiendum tamen est, ex Doctoribus, casum quo aliud praeseferat voluntas fundatoris vel expressa vel ex urgentibus coniecturis elicita ; ut puta si ille demandaverit celebrationem in commodum populi, vel monialium, vel confraternitatis alicuius* ***ibid.***

### Canonicatus quoad dispensationem.

Ad obtinendum canonicatum in collegiata Ecclesia sufficit aetas quatuordecim annorum, ***pag.*** 120.

Vetita ac nulla reputatur a sacris canonibus praesentatio laici ad beneficium ecclesiasticum, nisi tempore a iure statuto habilis reddatur, sive iure ordinario,sive per dispensai ¡onenv'ftiVi.

Patroni laici possimi praesentare ad vacans beneficium actu incapacem de genere vocatorum, posthabito idoneo de ipsomet genere, dummodo infra terminum iuris habilis reddatur, ve| dispensationem obtineat, ***ibid.***

Patronus potest seipsum praesentare ad beneficium ***per viam precum*** petendo nempe ab Ordinario ut sibi ex gratia beneficium conferat, secus praesentatio sui ipsius esset ipso iure nulla, ***pag.*** 121.

Ignorantia legis fundationis in patrono non admittitur ; proindeque, si quis contra ipsam praesentavit inhabilem, amittit pro illa vice ius praesentandi , nisi infra quadrimestre nominationem variaverit, *ibid.*

Quadrimestri elapso patronis laicis ad praesentandum concesso, ac non nominato idoneo, ius ad superiorem devolvitur, ***ibid.***

### Chorus quoari servitium.

Nullus Canonicus eximitur a servitio chorali ; dum ex Tridentino Concilio ***Sess. 24, cap. 12, de Reform.,*** quivis praebenda tus debeat per se et non per alios divinum obire officium, cuius gratia beneficia ecclesiastica instituta fuere, ***pag.*** 334.

Frustra adlaborat ad evincendam exemptionem ab eiusmodi onere legibus solemniter sancito, qui Apostolicum indultum, legitimum et vigens, haud quomodocumque praesumptum in sui favorem exhibere non possit, ***pag.*** 335.

Consuetudo et observantia in contrarium haud alicui refragatur hac in re; eoquod potius reiiciendae sint tamquam abusus contra naturalem, legalemque beneficiati obligationem inductus; quique utpote disciplinae choralis corruptela numquam tractu temporis «invalescere possit, *ibid.*

Nullius esse roboris observantiam eiusmodi evincitur etiam e\ eo quod

illa adversetur sancLíoníbusTridentinis, proindeque incidat in censuram Pii IV. ***in Principis Apostolorum,*** quae iuxta ***Benedictum XIV. Inst. Eccl. 60, v. 7, singula*** eiusdem ***Concilii ea p/A u simul complectitur, et nullius efficit momenti consuetudines, quae leges in iisdem capitibus praescriptas violent, ibid.***

Non licet Canonicis abesse a Choro neque per tres menses quando constitutiones Ecclesiarum suarum longius servitii tempus requirant, ***pag.*** 452.

Neque eis licet a longiori servitio chorali abesse, quando ob eiusmodi servitium speciales lucrantur distributiones, ea de causa a pia testatorum voluntate assignatas, ***ibid.***

### Coadiutores parochiales quo^d alimenta.

Episcopi, ex iure, possunt tamquam Apostolicae Sedis delegati, coadiutores deputare, qui pro bono animai um, in administrandis sacramentis Titulari impedito aut impari ob super crescentem Fidelium numerum, auxilium praestent, ***pag.*** 699.

Indubium ab omnibus habetur Sacrosanctae Tridentinae Synodi mentem fuisse ut Coadiutor de facultatibus Ecclesiae Coadiuti congruam reciperet portionem ad suam sustentationem, cum edixerit Episcopos etiam posse assignare Coadiutoribus partem fructuum pro sufficienti victu eorum, *ibid.*

Doctorum quoque est sententia Coadiutorem adiungi debere sumptibus Coadiuti, quoties Ecclesiae vel beneficii reditus aut abundantes sint, aut saltem sufficiant pro congrua Coadiutoris ct Coadiuti sustentatione, ***ibid.***

Ratio iosa et iustitiae regulae suadent Coadiutorem sumptibus Coadiuti vivere debere: eo quod est principium ***ìli*** iure receptum « ***qui commodavi sentit debet et incommodum petmentire, » pag.*** 700.

Est Tridentini mens, et Doctores admittuni ceu causam iustam et legitimam , supercrescentem Parochianorum numerum adigere Rectores sibi assumere unum vel plures Coadiutores si per se solos impares effecti fuerint ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum, ***ibid.***

### Confraternitates.

Quaelibet Confraternitas vocari debet ex fine principaliori, ***pag.*** 28&

Ad legitimam Confraternitatum existentiam necessaria est approbatio episcopalis, ***ibid.***

Nulla Confraternitas institui potest in locis ubi alia eiusdem nominis et instituti erecta reperitur, exceptis dumtaxat Confraternitatibus SSmi. Sacramenti et Doctrinae Christianae, quae in singulis Paroeciis possunt et institui debent, non obstante quod ibi reperiatur erecta quaelibet alia Confraternitas, ***ibid.***

In rebus canonicis et spiritualibus nullam civile gubernium habet potestatem, ***ibid.***

### Congruae Parochiales.

Pro congrua Parochi sustentatione, iuxta Concilii Tridentini dispositiones, unione beneficiorum, vel decimarum aut primitiarum assignatione, aut symbolis et collectis parochianorum , aut commodiori alio modo provideri debet, ***pag.*** 102.

Sancta Sedes tenuitati parochialis praebendae succurrere solet Missarum reductione, ubi aliis mediis a iure statutis provideri nequeat, ***pag.*** 103.

Congrua pro Vicariis Curatis a iure statuta in summa scutatorum centum, non ***taxative*** sed demonstrative accipienda est, ***ibid.***

### Divortium.



### Electio
### quoad Praebendas canonicales.



### Electio
### quoad Vicarium Capitularem.



### Eleemosynae Missarum.

## Erectio Cappellae.

**Executor Testamentarius.**



**Fructus Beneficii.**



**Iuspatronatus quoad usurpationem.**



**Iuspatronatus quoad successionem.**



**(1) Heic obiter notari vult errore typographico evenisse ut in prima parte coroUarii I. pag. 349 omitterentur verba *u in casu* » ad efformandam plenam, uti decu it, dictionem « ä. *C. Congr. haud admisisse Ancharani theoriam in casu.* » Scitum est enim eiusmodi theoriam receptam esse in Foro, noque illam respuere eamdem S. C. Congr. Proindeque si in praefata quaestione haud applicata fuit, id accidisse putetur quia testatoris voluntas palam opponitur; dum piorum testatorum voluntas religiose colatur apud sacra Dicasteria.**

**Mitrimonium quoad impedimenta.**

**Missa Conventualis.**



**Missa pro Populo.**

nnico actu salisfier possit duplici praecepto; dummodo per huiusmodi actum totum ponatur quod per diversas leges praescribitur, ***ibid.***

Ita firmum immotumque manet Parochis onus, ex divino praecepto, applicandi Missam pro populo, ut si Parochus unus duabus praesit paroeciis, duas applicare obstringalur Missas sive per se, si binandi facultate polleat, sive per alium, sive infra hebdomadam, ***pag.*** 705.

Onus eiusmodi non solum permanet pro diebus illis qui adhuc a populo servantur, verum etiam pro diebus festis , auctoritate Pontificia suppressis; eoquod dum per Summos Pontifices christiana plebs ab audiendo sacro praedictis diebus eximitur, haud vero ab onere applicandi Missam pro populo exonerantur animarum pastores, ***pag.*** 700.

Eiusmodi doctrina firmata fuit quamplurimis S. G. G. declarationibus et praecipue Apostolica Auctoritate Benedicti XIV; qui haud admittit ceu excusantem causam ab eiusmodi oneris implemento, neque reddituum tenuitatem, neque inveteratam consuetudinem contrariam, ***ibid.***

Haud tenetur Parochus duas applicare Missas, sed unam tantum si duabus quidem praesit paroeciis, quae tamen invicem adeo unitae sint atque coniunctae, ut ex duabus una effecta sit cum tituli alterius extinctione, ***ibid.***

Applicare Missas quas omisit, aut absolutionem exposcere a S. Sede debet super praeteritis omissionibus ille, qui etiam bona fide reputans se non teneri obligatione tali, vel aliqua rationabili excusari causa, duas haud applicavit Missas pro duobus populis quibus praefuit, ***ibid.***

Aliquando a S. Sede conceditur ***ad tempus*** locorum Ordinariis petita facultas dispensandi cum Parochis qui duas regunt Paroecias, et binandi facultate carent, ut unicam applicent Missam pro duobus populis, ***ibid.***

Tamen Ordinariorum preces benigne excipi solent quando gravia adsint adiuncta, quae maximam inducant difficultatem huius oneris implendi ex parte Parochi, ***ibid.***

## Oblationes quoad administrationem.

Administratio oblationum atque eleemosynarum, quae ad specificum finem non sunt destinatae, neque ad Episcopum neque ad Capitulum pertinet, sed ad Parochum intra cuius Paroeciae limites colliguntur, ***pag. ìli.***

Eleemosynarum vero ac oblationum quae quolibet in loco intra Paroeciae limites ad certum ac determinatum finem elargiunfur, Parochus censetur legitimus administrator, ac tantum, obligatione adstringitur earum rationem reddendi Ordinario, *ibid.*

## Oratorium publicum.

Oratorium censetur publicum , ubi comperiatur ab Antistite consecratum fuisse et divino cultui destinatum , ***pag. M.***

Deficiente fundationis instrumento ad Oratorii publicitatem arguendum , haec ex coniecturis probari potest ; quarum praecipua est si illius ostium locum publicum spectet, omnibus pateat, et annexam habeat etiam turrim campanarum, ***ibid.***

Absonum non est ut publica censeantur Oratoria in atriis palatii sita, quando certa publicitatis signa inibi concurrunt, maxime si in illis aliquod ecclesiasticum beneficium fundatum sit, ***ibid.***

Inter signa quibus evinci potest Oratorium publicum extare, etsi in atrio

**Parochus quoad Ius funerandi.**



**Parochus quoad oeconomiam.**



**Paroecia quoad confinia.**

Non so-um a laica potestate, verum peque ab ipso Episcopo immutari possunt paroeciarum confinia, nisi in casibus a iure permissis, ***ibid.***

### Pensiones.

Decretum ***Cum nuperrimis*** tantum afficit pensiones proprie dictas, non autem eas quae induunt naturam beneficiorum Ecclesiasticorum, ***pag.*** 7i0.

Valde differunt inter se pensiones et beneficia : pensio enim suapte natura precaria est quia imponitur favore alicuius personae; beneficium vero semel legitime institutum perpetuo durat, ***ibid.***

Proindeque pensio expirat cum vita ***gravati,*** seu ad summum cum vita ***pensionati;*** dum e contra beneficium, obitu beneficiati, non cessat, sed vacat donec alteri rursum conferatur, ***ibid.***

Congrua Episcopalis et Paroecialis a Tridentino statuta integra conservari debet, ***ibid.***

Quapropter si quae pensiones sint ab Episcopis vel Parochis solvendae, debent solvi super his, quae congruam excedant, servata aequa gravaminum proportione, ***ibid.***

### Possessio canonicalis.

Possessio canonicalis praebendae capienda est a Canonicis praesente Capitulo, collegialiter collecto, utvalida et legitima dici possit, ***pag.*** 22.

Aliquando Sancta Sedes, iustis de causis, a possessione capienda dispensare solet, ut quis praebendae fructus percipere valeat, ***ibid.***

### Potentes quoad iuspatronatus.

Nomine potentium eos omnes venire, qui iurisdictionem temporalem habent in loco, in quo situm est beueiuiiim, ***pag.*** 10.

### Potestas delegata.

Natura delegationis eruitur ab actu voluntatis, per quem delegans propriam alicui tribuit potestatem vel iurisdictionem , ideoque nullo modo eiusmodi traditio perfici potest absque delegantis voluntate; quae certe deest si adsit error, quia non praestimitur con^ sentire qui errat, ***pag.*** 675.

Delegatio est, sua natura, stricti iuris; ideoque concessa ad unam causam, seu ad unum actum trahi non potest ad alium, sive sub nomine unius personae pro diversa persona suffragari non potest, ***ibid.***

Nullus fit delegationis actus si error vel falsitas contingat causam finalem, quae suapte natura ita disponentem movet, ut si illa deficeret aliter omnino disponeret, ***ibid.***

### Praebenda Poenitentialis quoad erectionem.

Indubium est Ordinarios facultate pollere perpetuo erigendi in poenileniialnn aliquam ex praebendis suarum Cathedralium, aiente Concilio Tridentino : ***Poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo instituatur, pag.*** 357.

Nulla diserta Concilii Tridentini verba exhibent exceptionem prae qualitate et natura praebendarum; ita ut simul ac Episcopus unam ex illis pro Poenitentiario constituerit, ius eam optandi nullius roboris fiat, erectioque praevaleat, ***pag.*** 358.

Praebenda ante vacationem in poenitentialem formaliter erecta censetur veluti reservata et affecta ; nullumque antiquiori ex Canonicis ius in eam superest; dum ex iure optare liceat praebendam liberam, minime veioaffectam reservatamque, ***ibid.***

## Praebenda Theologalis.



## Praesentatio.



## Professio religiosa.

**Unio Eoclesiarum dismembratio.**



**Utensilia sacr?.**



IMPRIMATUR - P. Fr. Vincenti* Maria Gatti O. P. S. P. A. ***U.***